CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

I. 2

ISAIAS PROPHETA

COMMENTARIUS

IN

ISAIAM PROPHETAM

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARS ALTERA CAP. 38-66 COMPLECTENS



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75

1887

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Isaiam Prophetam* auctore P. IOSEPHO KNABENBAUER S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 7 Februarii 1887.

L. S. ANT. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. Generalis S. I.

IMPRIMATUR
Parisiis, die 25 Martii 1887.
† FRANCISCUS Arch. Parisiensis

TYPIS MA DETUR
Suessione, die 28 Julii 1887
† ODO, Episc. Suessionen. et Laudunen.

CORRIGENDA

Pag. **32** lin 21 patus lege natus. — **46,** 38 pro ם pone ם. — **114,** 17 Origine l. Origene. — **114,** ult. lin. ait l. ita. — **189,** 9 pro ק l. ק. — **210,** not. 1 ult. lin. vox habent fere deleta est. — **266,** 33 Dominus l. Dominum. — **344,** 15 por l. per. — **357,** 21 pusillanimis l. pusillanimibus. — **358,** 11 longissimae l. longissime. — **380,** 38 tpsas l. ipsas. — **387,** ult. lin. meritio l. merito. — **413,** 31 eodm modeo l. codem modo. — Aliquoties preli vitio punctatio hebr. non plene exprimebatur; aliquae etiam literae interciderunt: **230,** 17 yrum l. Cyrum. — **231,** 2 vul l. vult. — **387,** 22 oelum l. coelum. — **464,** 18 *posui* l. *posuit.* — Demum pag. **40** lin. 4 inf. illud t in convolutust transfer ad e. in lin. 3 inf. et lege et, convolutus.

PROLEGOMENA

I. — De alterius partis argumento.

Populum in alienam regionem abductum veteremque theocratiam eversum iri Deus iam in visione inaugurali (6, 11-13) vati clare manifestavit; interroganti enim prophetae, quamdiu obcaecatio illa futura esset, respondit: donec desolentur civitates absque habitatore et domus sine homine et terra relinquatur deserta, et longe faciet Dominus homines etc., immo repetitis vicibus multam fore derelictionem et vastitatem in medio terrae et si remanserit decima pars, denuo in eam devolutum iri iudicium, donec reipublicae arbor succidatur, ita ut non remaneat nisi truncus. Atque quod ea visione prophetae erat propositum, etiam 1, 30. 31 inculcat eadem imagine; idem proponit in parabola 5, 5: ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius et erit in direptionem; diruam maceriem eius et erit in conculcationem et ponam eam desertam; idem exsilium eandemque dispersionem populi supponit in oraculo 11, 11 edito. Verum simul cum abductione populi et eversione theocratiae ei ostensa fuit instauratio; ita iam in visione inaugurali; nam semen sanctum iri relictum promittebatur (6, 13).

Ad hanc iam partem accuratius describendam vates in subsequentibus se convertit. Prologi enim instar priore loco refert qua occasione vaticinium iam 6, 11. 12 datum ita accurate fuerit determinatum, ut exsilium babylonicum indicaretur: Ezechias enim licet insigni beneficio a Deo donatus in morbo et non sine miraculo sanitati restitutus, cum missis a rege Babylonis nuntiis omnes thesauros suos ostendisset, audit annuntiatum exsilium babylonicum (cap. 38. 39). Instaurationem fore et liberationem ex exsilio et hanc liberationem demum absolvendam esse salute messianica, iam necessario elucet ex iis quae Isaias in priore parte docuit. Id consequitur ex norma illa generali: Sion in iudicio redimetur; id ex 2, 2 seq. 4, 2; 6, 13; id ex vaticiniis de Emmanuel eiusque regno pacis et iustitiae (9, 6; 11, 1 seq.); id ex salute gentibus promissa, si se adiunxerint Sioni (14, 1. 2; 16, 5; 19, 23-25; 24, 23; 25,

1-27, 13). Quare minime mirum esse potest, si propheta annuntiationi exsilii subiungit vaticinium de liberatione. Atque uti iam a cap. 7 et deinceps duplicem ob oculos habuit liberationem, ab Assyriis alteram, alteram per Emmanuelem concedendam, ita in hac quoque parte duplicem nobis proponit : ex exsilio babylonico alteram, alteram sublimiorem per Messiam (Emmanuelem) efficiendam. Neque in ea re Isaias ab aliis recedit prophetis, immo eorum vestigiis arcte inhaeret. Expende enim quae de exsilio et liberatione inde consecutura dicunt Osee (2, 14-24 ; 3, 5 ; 11, 8-12 ; 14, 5-9), Amos (9, 11-15), Michaeas (2, 12. 13 ; 3, 9-5, 8 ; 7, 11-20). Adde quod iam in Pentateucho dispersio Israelis inter gentes futura praedicitur (Lev. 26, 31-45. Deut. 29, 20-30, 9) et quod Isaias testis ruinae regni israelitici et exsilii assyriaci et illas minas ob oculos habens et populi iudaici impietatem et contumaciam cernens etiam sine revelatione divina coniectare poterat dissolutum iri regnum quoque iudaicum. Fore autem restaurationem iam annuntiatur vaticinio de regno Davidis aeterno (2 Reg. 7, 14 et saepius) et omnibus vaticiniis messianicis. Hanc vero restaurationem etiam contineri reditu in Palaestinam huncque reditum esse necessarium quasi prooemium temporis messianici, inde statim efficitur quia Messias, in quo demum omnis salus constituitur et absolvitur, in Palaestina manifestari debet (cf. 7, 16 ; 8, 8 ; 9, 2 ; 11, 16) regnumque eius in Sion fundari (cf. 4, 5 ; 24, 23 ; 25, 6 ; 28, 16 ; 35, 10). Unde ex ipsa rerum indole et nexu intimo consequitur utramque liberationem arcte inter se coniungi et proin descriptione prophetica quoque inter se copulari.

Haec altera pars tribus sectionibus continetur, quae eodem versu redeunte *non est pax impiis* inter se dividuntur (48, 22 ; 57, 21 ; 66, 24) et quarum argumentum iam statim ab initio summatim indicari videtur : completa est miseria eius, expiata iniquitas, suscepit de manu Domini duplicia (hebr. 40, 2).

Primae sectionis prologo (40, 3-11) liberatio ita describitur ut ipse Dominus dux sit futurus populi redeuntis (cf. Mich. 2, 13), cuius potestati nemo possit resistere et cuius tamquam pastoris boni clementia ab omnibus sit praedicanda. Ita fundamento generali posito vates prima oratione (40, 12-21) Deum *posse* populum suum salvare demonstrat ex potentia illa et sapientia et maiestate divina quae ex rebus creatis elucet. Talis autem cum Deus sit, et idololatrae summae arguuntur stupiditatis et qui pusillanimes sunt ad summam fiduciam et spem laetam provocantur. Iam hoc loco advertere liceat quam maxime consulat vates in hac quoque parte necessitatibus sui temporis ; duos quasi ordines in populo adesse cernit : impios idololatras, Dei cultores qui tamen afflictionibus pressi animos despondeant ; en quomodo utrisque oratione sua

consulat. Postquam Deum posse salvare ostendit, in altera oratione (cap. 41) quomodo liberatio futura sit describere incipit : omnes populi invitantur, ut sint testes annuntiationis et exsecutionis : heros ab oriente veniet expugnans et conculcans regna; coram eo gentes contremiscunt; verum Israel non habet cur timeat, quia Dominus Israel gloriose exaltabit. Haec cum Deus et dudum annuntiaverit et ope compleverit, se tamquam verum Deum coram omnibus demonstravit. Heroi illi bellica fortitudine insigni opponitur in oratione tertia (42, 1-12) alius qui spiritu Dei imbutus, mansuetus, veritatem et iustitiam orbi afferet et spirituali omnium liberatione effecta orbem laude et gloria Dei complebit. Duo igitur duces, duae liberationes nobis proponuntur simili modo quo in priore parte saepius sermo erat de liberatione ab invasione assyriaca et de liberatione per Emmanuelem concedenda.

In quarta oratione (42, 13-44, 23) vates Deum considerat qui utramque istam liberationem est effecturus : Deus enim ut bellator fortis exsurget ad sui populi causam tuendam, ad populum suum e potestate inimicorum eripiendum, ad hostes puniendos et idololatras confundendos ; hisce autem Dominus se probat veridicum rerum futurarum annuntiatorem et liberalissimum bonorum omnium largitorem, qui sine ullo populi merito maxima in eum bona effundit et ita gentes quoque ad sui cognitionem adducit. Talis tantusque cum sit Deus, idololatrarum stupiditas plane fit inexcusabilis ; hanc inferens conclusionem vates doctrinam propositam etiam pro aequalibus reddit utilem ; ad quod adverte quam late et aperte idololatria in Iudaea serpserit temporibus Achaz et Manasse, et saltem tecte etiam Ezechia rege. Postquam igitur vates duplicem quandam liberationem in antecedentibus adumbravit, iam incipit unamquamque latius describere ; unde in quinta oratione (44, 24-45, 25) redit ad heroem illum bellica fortitudine victoriisque insignem, quem iam suo nomine Cyri effert, enarrat victorias eius et quid effecturus sit pro restitutione Israel. Hisce vero quae iam dudum antequam fierent a Domino erant praedicta Iahve esse solum Deum verum invicte demonstratur. Inter herois illius facinora recensetur expugnatio Babylonis, qua facta reditus exsulum permittitur ; unde oratione sexta (cap. 46) casus annuntiatur Babylonis quo simul idola victa sunt et prostrata ; et oratione septima (cap. 47) quantopere fastus et arrogantia Babyloniorum humilietur oporteat pluribus proponitur. Concluditur haec sectio oratione octava (cap. 48), qua Israelitae monentur, ut ad hoc vaticinium attendant et secundum illud agentes salutem a Domino dandam summis votis appetant. Hisce ergo *prior* liberatio eiusque dux et effector describitur.

In altera sectione sermo convertitur ad alterum illum ducem et liberationem sublimiorem, quae iam 42, 1-12 adumbrata fuit. Oratione

prima (cap. 49) ipse dux et opus eius generali quadam ratione describitur: cernitur Messias quidem contemptus; at ex hoc contemptu summa gloria redundat in ipsum et in ipsam urbem, quae ad miram amplitudinem et honorem maximum provehetur. Altera oratione (cap. 50) describitur contumacia populi, qua divinum auxilium impediebatur, et obedientia et patientia Messiae, qua illorum rebellio expiatur; beati illi qui Messiae obsequuntur; vae autem rebellibus! Tertia oratione (51, 1-52, 12) restitutio Sionis celebratur, quae scil. est gloria ex obedientia et victoria Messiae consequens. In illa restitutione salus continetur praeclara pro omnibus sempiterna, quam Deus magnis illis antiquitatis miraculis instauratis concedet. Quare ne timeat Israel; Deus enim potentissimus regnum suum fundabit, ipse auferet omne opprobrium a Ierusalem et hostes eius conteret. Unde Sion laetetur; tempus miseriae abiit; Dominus ipse liberator adest. Quam suavis nuntius, quo audito omnes exsultant. Verum ut tanti boni fiant participes, Babyloniam relinquant oportet. In oratione quarta (52, 13-53, 12) ea accuratius proponuntur et absolvuntur, quae iam in antecedentibus (49, 4. 7; 50, 5-7) de Messia patiente indicata erant; describitur eius satisfactio vicaria, mors, sepultura et praeclari fructus ex eius passione oriundi hic breviter recensentur. Qui fructus in subsequentibus orationibus magis magisque delineantur. Ita oratione quinta (cap. 54) illud: *videbit semen longaevum, dispertiam ei plurimos* explicatur in novae Sionis amplitudine, gloria, sanctitate. Quare oratione sexta (cap. 55) admonentur ut ad Messiam, auctorem salutis, totis animis se convertant et iam nunc laeta spe se consolentur. Oratione autem septima (cap. 56. 57) sublatis veteris legis limitibus salutem omnibus offerri docetur; exponitur scil. illud: iustificabit multos (53, 11); qua salute proposita propheta vehementer in impios invehitur Israelitas, quorum sceleribus vindicta Dei provocetur; unam iis superesse salutis viam, ut ab idololatria recedant.

In prima oratione (cap. 58) tertiae sectionis magna cum emphasi interna renovatio mentis inculcatur; hanc esse viam qua ad salutem perveniatur. Idem in altera oratione (cap. 59) denuo proponitur; solum peccatis occludi et impediri auxilium Dei; cum peccatum longe dominetur neque ab hominibus iustitia possit restitui, Deum ipsum zelo sanctitatis suae regnum iustitiae stabile esse conditurum. Hoc autem regnum describitur tertia oratione (cap. 60) in gloria Ierusalem, super quam urbem gloria Domini orietur, ita ut ad eam omnes populi confluant eamque venerentur; ibi iam stabili ratione sanctitatem iri fundatum. Ad tale autem fastigium gloriae et sanctitatis theocratiam iri adductum per Messiam oratione quarta (cap. 61) vates declarat Messiam faciens

explanantem, quomodo et quibus ipse salutem sit allaturus. Hac salute et gloria duplicia illa continentur, quae Ierusalem acceptura est de manu Domini. Iis propositis atque descriptis vates populum edocet, quali animorum praeparatione obviam ire oporteat saluti, quali desiderio salus sit expetenda, cuius ut participes fiant, animis et corporibus a Babylone recedant. Ita oratione quinta (cap. 62). Idem alio schemate oratione sexta (cap. 63. 64) continetur : describitur enim Messias qui victoria reportata hostes conculcaverit. Qualiter huic victori obviam eundum sit, ne quis inter hostes eius conculcetur, vates precibus fusis declarat, quibus cum humili peccatorum confessione et maximo salutis desiderio actiones coniunguntur gratiarum pro immensa Dei misericordia et benignitate. Hac ergo via obviam eant Messiae ; hisce animorum sensibus iam nunc sese induant ! Num plerique Israelitarum hac ratione voci Domini obedientes salutem oblatam amplectentur ? Respondet vates oratione septima (cap. 65) : gentes Dominum esse quaesituras et inventuras ; Israelitas maximam partem esse contumaces ac rebelles ; reliquias solum salvas fore ; sed qui renuerint multiplici excidio iri afflictum, dum pii omnium bonorum abundantia sint potituri. Oratione octava (cap. 66) epilogus totius prophetiae habetur. Veram pietatis indolem denuo delineat propheta et solum iis fore salutem monet, qui humili obedientia Domino dicto sint audientes ; impios et irrisores excisum iri. Ostendit regnum Dei quod omnes populos complectatur et bonorum copiam omnibus offerat. Sed cum nova hac theocratia simul iudicium coniunctum iri, quo discriminentur mali et boni. Qui fideles inventi fuerint, praecones fore ait gloriae Dei ; simul cum Israelitis gentes accessuras esse ad montem sanctum, ibique Deum adoraturas, dum contemptores Dei suppliciis crucientur. — Uti cap. 2 sacer vates incepit a monte Domini, ad quem omnes confluant, ita 66, 20 eodem monte, omnium gentium centro, exhibito vaticiniis finem imponit. Omnia enim ad hoc unum diriguntur, ut regnum Dei stabiliatur ; hoc autem regnum in monte Domini, in Ierusalem, tamquam in suo centro constitui, in utraque libri parte vates aequali ratione asserit (cf. 24, 23 ; 27, 13 ; 49, 18 ; 52, 1 ; 54, 1 ; 60, 1 etc.).

II. — Ad quem auctorem hanc partem referri oporteat.

Cum plerique ex acatholicis hanc partem a propheta quodam iuniore, tempore exsilii babylonici ad finem vergentis vel etiam edicto Cyri de Iudaeorum reditu iam edito conscriptam esse magno studio contendant, ante omnia inquirere expediet, quaenam indicia de tempore in ipsis hisce oraculis tradantur.

Iam unum ex gravissimis indiciis eo continetur quod haec oracula ita proponuntur, ut diu ante exsilium edita et nota fuisse necessario oporteat existimari. Oracula enim de Cyro eiusque victoriis et de liberatione ab ipso concedenda ita verbis concepta sunt et ita crebra quoque repetitione efferuntur, ut in ipsa horum oraculorum annuntiatione magno cum pondere inculcetur, praedictionem factam esse diu antequam rei praedictae germina et indicia adfuerint vel adfore cognosci potuerit; ex tali autem praedictione diu ante ipsam rem facta et nota apertissime sequi Deum Israelitarum esse verum Deum, utpote qui illa praedictione demonstraverit modo invicto et ad omnium captum quam maxime accommodato se res quoque futuras sua scientia comprehendere et cuncta a sua voluntate et potentia dependere. Ad quod ut animos rite advertant crebra fit iisdem in capitibus admonitio. Insuper eadem demonstratio confirmatur a contrario, cum saepius non sine emphasi idololatris obiiciatur, ab idolis nunquam quidquam eiusmodi esse praestitum, et cum multa cum ironia provocentur, ut aliquam rerum futurarum praedictionem, cuius speciem adeo eminentem Iahve ediderit, ipsa quoque edant vel dicant, quando vel ubi tale divinitatis testimonium insigne exhibuerint. Iam vero si talis est indoles horum oraculorum, necessario orta esse debent diu ante exsilium. Utrumque : et talem esse indolem oraculorum et ex ea indole consequi priscam originem, paucis erit declarandum.

Indolem esse peculiarem eam quam dixi horum oraculorum immediate ipsis verbis quibus concipiuntur clarissime apparet. Ad talem enim praedictionem factam diu ante ipsam rem coram omnibus populis aperta fit provocatio coniuncta cum ironica invitatione, ut idola simile quid exhibeant 41, 21-29; idem 43, 9 : « quis in vobis annuntiet istud et quae prima sunt audire nos faciet ? dent testes eorum... vos testes mei, dicit Dominus » etc. vel 45, 21 : « quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc praedixit illud ? numquid non ego Dominus et non est ultra Deus absque me » et 46, 9 : « recordamini quia ego sum Deus et non est ultra Deus nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum et ab initio quae necdum facta sunt » etc. et 48, 5 : « praedixi tibi ex tunc; antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres : idola mea fecerunt haec et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista » etc. et 48, 16 : « audite hoc : ex tempore antequam fieret ibi eram ».

Ex tali autem argumentatione septies cum emphasi repetita necessario consequitur oracula haec debuisse edici diu antequam eventus illi opere impleri coepti sunt. Id in ipsa explicatione textus satis patebit; interea haec pauca innuisse sufficiat. Finge enim talia prima vice dici et innotescere demum exsilio ad finem iamiam vergente, eo scil. tempore, quo, uti adversarii volunt, Cyrus iam variis victoriis partis imperio babylo-

nico urbique imminet cladem et ruinam minitans. Quid istis oraculis eo tempore demum effici potuit? Nonne vates, si tunc demum exstitisset et ea quae iam partim facta sunt vel iamiam fiunt vel in eo sunt ut facili coniectura tamquam mox futura annuntiari possint, gravi vaticinio praedixisset ut talia quae iam dudum ante impletionem fuerint clare ac distincte praedicta, nonne vates se omnium risui et contemptui exposuisset? Qua fronte potuit eo tempore talia dicere? nonne hoc vaticinandi modo et se et Deum tamquam deceptorem et mendacem aperte professus esset? Vult ex vaticiniis diu ante impletionem datis Dei sapientiam et divinitatem probare et populum inducere, ut ab idolis ad Deum illum vivum et verum se convertant, et ut hoc efficiat, quid in medium adducit? Ex adversariorum sententia fingit ex eventibus sui temporis oracula et ea ut olim iam edita populo proponit et ita Dei praescientiam probat. Quo quid absurdius cogitari potest? Quis putabit neminem eam detegere fraudem? et vati illi dicere: ubinam erant oracula tua antea? prima vice nunc cum res fiunt proferuntur; ergo mentiris haec diu ante a Deo fuisse annuntiata! Plane ergo intelligi nequit, quomodo ea oracula in fine exsilii oriri potuerint et pronuntiari a vate qui ceteroquin omnem fraudem omneque mendacium abominatur, qui idolorum inanem cultum, divinationes omnesque praestigiatorias artes abhorret et agnitione veri Dei et demonstratione eius omniscientiae subvertere vult. Iam qui fingi potest eum qui adeo in fraudem praestigiatorum invehitur, eadem fraude divinitatem Iahve aliis velle persuadere? Et si voluisset, num potuisset? num non stultissime egisset talia dicens quae statim ab omnibus facillime fraudis ac mendacii argui potuissent? De qua re vide quae praeclare disputat *von Himpel,* Theolog. Quartalschrift, Tübingen 1878 p. 325 seq. 333, et ex protestantibus *Kueper,* das Prophetenthum p. 247, *Naeg.* et alii.

Neque in hac argumentatione solum continetur indicium temporis ante exsilium. Alia adsunt quibus et tempus illud et prophetae commoratio in Palaestina certissime adstruitur. Id quoque ipsa explanatione textus uberius innotescet, unde praeoccupatione quadam haec hoc loco attigisse satis erit: eo ipso quod iam 40, 2. 9 vates iubetur consolari Ierusalem, quod alloquitur Ierusalem, urbem stantem sane supponit seseque prodit prope eam commorantem; idem denuo cernis 41, 27 et praesertim 62, 6: super muros tuos Ierusalem constitui custodes. Et si 41, 8. 9 Abraham vocatus esse dicitur « ab extremis terrae », ita certe non locutus esset propheta in Babylonia constitutus, verum ita loquitur is solum qui in Iudaea versatur. Abraham enim a Domino vocatus ex Ur Chaldaeorum profectus est, sed Ur urbs, uti tradunt assyriologi, ibi sita erat, ubi nunc sunt ruinae Mugheir (El-Mukajjar — cf. *Delitzsch,*

Wo lag das Paradies ? p. 227) meridiem versus a Babylone. Hanc igitur regionem nemo in Babylonia loquens *extrema* terrae vocabit. Regionem porro iudaicam in qua consistit vates etiam prodit, cum Dominum faciat dicentem : et quid nunc mihi est *hic*, quoniam ablatus est populus meus (52, 5), *hic* scil. in urbe, in templo hierosolymitano, ubi est sedes Dei ; Dei enim habitaculum in exsilium esse ablatum nullo modo concipi potest et ipsis verbis excluditur, cum Deus dicat se relictum esse quasi solum populo ablato. Huic vero locutioni illam confer, qua de Babylone sermo fit : recedite, exite *inde* (מִשָּׁם 52, 11) et qua regio babylonica ut longinqua designatur. Tempus ante exsilium aperte describitur iis in locis quibus Dominus profitetur se scelera populi vindicaturum et puniturum eo quod populum tradet gentibus castigandum ; id autem clare enuntiatur 56, 9 et 57, 11. 12. 13 : quibus in locis tot alia temporis ante exsilium indicia adsunt, ut plerique illud oraculum tempori Manasse regis attribuant. Atque revera fieri nequit, ut exsilii tempore reprehendantur propterea quia foedera quaerant et ineant cum gentibus, ut in poenam idololatriae iis dispersio inter gentes denuntietur etc. ; porro eodem in loco mali pastores ita describuntur, ut re et verbis similitudo adsit cum 5, 11 seq. 28, 7 seq. ; describitur idololatria talis qualis in Palaestina exercebatur [1] et in Phoenicia, et si Deus subiungit : numquid super his non indignabor ? haec reprehensio et hae minae certe non sunt prolatae tempore liberationis iam instante. Quis credere potest in fine exsilii iam liberatione illucescente dici potuisse auferri iustos et pios morte ne videant mala neque tamen alios recogitare secum a facie malitiae collectum esse iustum (57, 1) ? Eodem modo 65, 3 describitur idololatria et a v. 6 seq. Deus profitetur se iam nolle silere, i. e. iam non patienter ferre eorum delicta, verum in eo esse ut remetiatur opus eorum in sinum eorum ; idololatria autem exsilio est punita, quomodo ergo in fine exsilii instante liberatione intelligi potest

---

1. Etiam *Cheyne* adnotat, *torrentes* 57, 5 nullo modo posse convenire regioni babylonicae neque illas carcerum caveas et foramina 42, 23 neque arbores 41, 19, atque mirum esse quod arbor dactylorum ferax (phoenix dactylifera) omnium arborum frequentissima in Babylonia non commemoretur. Verba eius sunt haec : the reference 57, 5 to torrents beds is altogether inapplicable to the alluvial plains of Babylonia and equally so is that to subterranean « holes » in 42, 22 ; and though, no doubt, Babylonia was more wooded in ancient times than it is at present, it is certain that the trees mentioned in 41, 19 were not for the most part natives of that country, while the date palm, the commonest of all the Babylonian trees is not once referred to (The prophecies of Isaiah, London 1881, II p. 202). Argumentum ex 56, 7-57, 11 pro Isaia auctore praeclare quoque proponit *Kueper* l. c. p. 245. Etiam *Orelli* (die Propheten Jesaja und Jeremia, Noerdlingen 1887) fatetur auctorem in 56, 9-57, 11 et 58, 1-59, 20 modum loquendi imitari prophetarum qui ante exsilium scripserint (p. 127).

denuntiatio gravissimae poenae ? Si vates in Babylonia tempore exsilii vixisset, 52, 4 praeter oppressionem ab Assyriis factam certo certius Chaldaeos quoque nominasset ; modus loquendi 56, 5. 7 *in domo mea et in muris meis* etc. melius accommodatur tempori ante exsilium ; item ea quae 66, 1-6. 20 leguntur et civitatem et templum supponunt et minis propositis non exsilium iam transactum, sed futurum ostendunt ; ita v. g. : « unde et ego eligam illusiones eorum et quae timebant adducam eis, quia vocavi et non erat qui responderet » etc.

Quae hucusque adumbravimus, valide confirmantur eo quod oracula ista deprehenduntur nota et imitatione in aliquibus locis expressa apud Ieremiam, Sophoniam, Ezechielem, Nahum, Habacuc. De qua imitatione et dependentia luculenter tractant *von Himpel* (l. c. 476. 489 seq.), *Reinke* (Messian. Weissag. II p. 488 seq.), *Zschokke* (Historia s. ant. test. 2 ed. p. 269), *Kaulen* (Einleitung p. 306) et ex protestantibus *Kueper* l. c. p. 270-291, *Keil* (Einleitung p. 247), *Delitzsch* (in comment. *Drechsl.* III. p. 403), *Naegelsbach* (Der Prophet Jesaja, p. XXX seq.). Pauca indicabimus. Testimonium satis grave et efficax praebet Zacharias, qui tamquam « verba quae locutus est Dominus *in manu prophetarum priorum*, cum adhuc *habitaretur Ierusalem* et esset opulenta ipsa et urbes in circuitu eius et ad austrum et in campestribus habitaretur » illam de ieiunio doctrinam affert quam Is. 58, 5 legimus : cf. Zach. 7, 5-10 et vide quae in comment. Proph. min. ad h. l. notavi. Ieremiam autem priscorum prophetarum effata recolere et passim suis inserere oraculis notum est et ab omnibus concessum. Unde si magna deprehenditur similitudo et affinitas inter varia quae apud Ieremiam leguntur et inter cap. 40-66 Is., non auctorem horum capitum sed Ieremiam mutuatum esse more suo tuto dicere licebit. Est igitur is qui scripsit cap. 40-66 antiquior Ieremia ; quam conclusionem ut evitarent adversarii librum Ieremiae a scriptore capitum illorum multis interpolationibus esse auctum et retractatum asserebant. Sed quod gratis asseritur, gratis negatur. Si enim Ieremias multa imitatione expressit ex aliis prophetis et ex partibus Isaiae ab omnibus admissis deprompta, cur in eadem habitudine inter librum Ieremiae et alteram Isaiae partem subito rem invertamus et fingamus id quod iam in se maxime improbabile est, talem ac tantum vatem qui in cap. 40-66 deprehenditur sedulo in id quoque incubuisse ut alterius vatis librum suis interpolationibus retractaret ? Accedit quod cap. 40-66 adhibita inveniuntur in sermonibus Ieremiae eodem modo quo aliorum prophetarum dictis uti solet : scil. quae uno in contextu apud illos leguntur et serie continua, ea in singula quasi membra divisa variis in locis variaque ratione suis aspergit sermonibus et saepe parva quadam

inflexione vocis et mutatione verba priscorum refert. Unde omnia illa adsunt quibus Ieremiam usum esse cap. 40-66 certo affirmandum est.

Is. 59, 1 seq. : ecce non est abbreviata manus Domini... sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine ;	Ier. 5, 25 : iniquitates vestrae declinaverunt haec et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis ; 4, 18 : viae tuae et cogitationes tuae fecerunt haec tibi ; Lament. 4, 14 : polluti sunt in sanguine ;
Is. 59, 9 : exspectavimus lucem et ecce tenebrae, splendorem et in tenebris ambulavimus ;	Ier. 8, 15 : exspectavimus pacem et non erat, tempus medelae et ecce formido ; 13, 16 : exspectabitis lucem et ponet eam in umbram mortis et in caliginem ; cf. 14, 19 ;
Is. 59, 12 : multiplicatae sunt iniquitates nostrae coram te et peccata nostra responderunt nobis ;	Ier. 14, 7 : si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt aversiones nostrae, tibi peccavimus ;
Is. 48, 20 : auditum facite hoc et efferte illud usque ad extrema terrae ; Is. 46, 1 : confractus est Bel, contritus est Nabo ; contabuerunt et contrita sunt simul ;	Ier. 50, 2 : auditum facite, annuntiate in gentibus : confusus est Bel, victus est Merodach ; confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum ;
Is. 51, 7 : lex mea in corde eorum ;	Ier. 31, 33 : dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam ;
Is. 51, 15 : ego sum Dominus qui conturbo mare et intumescunt fluctus eius ; Dominus exercituum nomen meum ;	Ier. 31, 35 : haec dicit Dominus qui turbat mare et sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi ;
Is. 57, 20 : impii quasi mare fervens quod quiescere non potest ;	Ier. 49, 23 : turbati sunt in mari, prae sollicitudine quiescere non potuit ;
Is. 65, 17 : non erunt in memoria priora et non ascendent super cor ;	Ier. 3, 16 : neque ascendet super cor neque recordabuntur illius ;
Is. 66, 15 : וְכַסּוּפָה מַרְכְּבֹתָיו	Ier. 4, 13 idem ;
Is. 66, 16 : חַלְלֵי יהוה	Ier. 25, 33 idem ;

Quae apud Ieremiam cap. 10 de stultitia idololatriae leguntur, et sensu et verbis proxime accedunt ad ea quae Is. 44, 12-15; 41, 7; 46, 7; 40, 18 seq. 44, 9 seq. leguntur. Promissa quae apud Ieremiam a cap. 30 leguntur, in multis ita efferuntur, ut Is. 48, 21 ; 51, 15; 49, 9 seq. 54, 7 ; 55, 3. 12 ; 58, 11 ; 60, 18. 21 et alia et sensu et verbis exprimantur ; praesertim Ier. 31, 7-14. 20-25 plurimum alludunt ad ea quae Is. 40. 42. 49. 55. 62. 65 exponuntur (ita *von Himpel* l. c. p. 511. 520).

Neque minus certum est a Nahum cognosci et adhiberi illa cap. 40-66 ; nemo enim, ut recte advertit *Naeg.*, negare poterit, Nah. 2, 1 componi ex Is. 52, 7. 1 et 51, 23 ; item Nah. 3, 7. 10 fluxisse ex Is. 51, 19. 20 (cf. *von Himpel* l. c. 471). Sophonias quoque qui multa a prioribus prophetis mutuari solet, si dicit 2, 15 : haec est civitas gloriosa habitans in confidentia, quae dicebat in corde suo : ego sum et extra me non est alia amplius, iam ipsis verbis *haec est civitas* indicat se verba aliunde mutuari; leguntur autem Is. 47, 8.

Hisce igitur satis patet oracula haec exstitisse ante exsilium et nota fuisse Nahum, Ieremiae, Sophoniae aliisque. Ad quem igitur auctorem ea referemus ? Maximam intercedere similitudinem eorum oraculorum cum aliis ab Isaia editis ipsa explicatione declarabitur neque opus est id pluribus hoc loco demonstrare, cum ii ipsi qui Isaiam esse eorum auctorem negant illam similitudinem nedum in dubium vocent, sed alta voce praedicent ; ultro enim fatentur neminem ita proxime accedere ad maiestatem et sublimitatem Isaiae, neminem ita plane sentiendi loquendique rationem Isaiae sibi propriam reddidisse, neminem adeo profunde mentem atque indolem Isaiae penetrasse et eam quasi induisse, sicuti magnum illum vatem qui scripserit haec nostra capita (de qua re vide *Seinecke,* Der Evangelist des alten Testamentes p. 34. 36. 38 ; et similia statuunt *Knobel, Fürst, Umbreit;* cf. *Naeg.* p. XXVII). Cum itaque et tempus habeamus ante exsilium et maximam cum Isaia similitudinem, qua re tandem impedimur quominus traditioni constanti et antiquissimae consentiamus qua Isaias statuitur auctor?

Iam paucis erit perpendendum quam firmis fundamentis haec traditio fulciatur. Quanta cura et sollicitudine sua cuique prophetae oracula servata sint, supra iam exemplis demonstratum est ; cogita v. g. de oraculo Abdiae ; quare fieri nullo modo potuit, ut oracula adeo insignia falso cuiquam adscriberentur. Unde id ipsum, quod haec oracula in libro Isaiae inveniuntur neque unquam alio in loco inserta fuisse demonstrari vel suaderi potest, iam firmum subministrat argumentum. Ordinem autem illum in Isaiae libro adoptatum esse perantiquum, etiam ex eo iure concluseris quod in libris Regum invasio Sennacherib et Ezechiae morbus neglecta temporis serie proponitur eo plane ordine quo in Isaiae

libro. Cur autem apud Isaiam eventus illi alio quam quo acciderunt ordine narrentur, ratio est conspicua et ipso libri Isaiae argumento expostulatur (cf. supra p. 1 et vol. I p. 5. 6); cur autem idem ordo ab ordine temporis alienus habeatur in libris Regum, commode non explicatur nisi ex auctoritate et exemplo Isaiae, a quo qui libros Regum composuit et qui a plerisque Ieremias censetur (cf. *Cornely*, Introd. II. 1 p. 293) recedere noluit. Sed cum omnibus consentientibus libri Regum ante exsilii finem fuerint compositi, etiam ante exsilii finem oracula haec iamdiu exstitisse et Isaiae librum eodem quo nunc ordine fuisse dispositum et auctoritate sua plurimum valuisse, indubie conficitur. Hisce adde explicitum testimonium sacri auctoris Eccli. qui laudes quas Isaiae tribuit ex altera Isaiae parte potissimum deprompsit : « spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion; usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent » (Eccli. 48, 27. 28; cf. Is. 40, 1; 41, 4. 22. 26; 42, 9; 43, 9. 19; 44, 26; 45, 11; 48, 16; 49, 13; 51, 3. 12. 19; 52, 9; 57, 18; 61, 2. 3; 66, 10 . 13). Accedunt testimonia s. auctorum novi testamenti, qui testimonia ex hac parte sub Isaiae nomine allegant; cf. Matth. 3, 3; 8, 17; 12, 17. Marc. 1, 2. Luc. 3, 4; 4, 17. Ioan. 1, 23; 12, 38. Act. 8, 30. Rom. 10, 16. 20.

Praeterea haud infirmum argumentum etiam iis continetur quae Esdr. 1, 2 de Cyri decreto referuntur; nam Cyrus profitetur : « omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli et ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ierusalem » ; quae verba omnino conformia sunt ad Is. 44, 26 seq. et confirmant id quod *Iosephus* (Antiq. 11, 1. 1) narrat, Cyro vaticinium hoc fuisse ostensum, quo permotus fuerit ut iussa faceret. Sed quis sibi persuaserit, Cyrum aut noluisse aut non potuisse inquirere et certis indiciis deprehendere, quando demum oraculum fuerit editum, aut sine ulla eius originis antiquitatisque investigatione eius verbis se dicto audientem praestitisse aut recenti Iudaeorum fraude adeo *facile* esse deceptum?

Candide fatetur *Orelli* l. c. p. 128 in ea sententia qua Isaiam esse auctorem negatur prorsus accedere ad aenigmatis rationem cur haec vaticinia libro Isaiae addita sint et etiam magis mirum esse neque ullo modo posse explicari cur ea sine nomine auctoris sint tradita vel quomodo id intercidere potuerit; debere itaque criticos sincere fateri nihil posse afferri, unde cur sine nomine sint tradita explicetur. — Sed duo haec aenigmata sibi creant critici! Sane mirum est et ab omni verisimilitudine maxime alienum, id accidisse in talibus vaticiniis quod in nullo alio oraculo et prophetam esse plane oblivione obrutum eo tempore ex quo certissima adsunt documenta historica et oracula esse falso attributa alii cuidam, cum tamen reliqua omnia maxima cura suis quaeque auctoribus sint servata (cf. *Kueper* l. c. p. 243). En in quantas difficultates incidunt

quia clara testimonia historica nihili ducunt, sed rem malunt amplecti inexplicabilem quam testimonio traditionis tot momentis stabilito subscribere!

III. — Quae potissimum obiiciantur.

Restat ut de adversariorum sententiis rationibusque ea quae potissima proferuntur breviter addantur. Haec capita Isaiae denegari coepta sunt a *Koppe* et *Doederlein;* ex eo tempore plerique ex protestantibus institerunt, ea saltem in re concordes, ea capita non esse ad Isaiam referenda, aliis in rebus etiam satis discordes. Plerique quidem eum qui scripserit inter exsules in Babylonia vixisse statuunt; in Aegyptum autem eum relegat *Ewald* (Propheten d. A. B. II, 403; Geschichte d. V. Israel IV, 22. 56. 66. 103 etc.); non degisse Babylone censet quoque *Duhm* (Theologie der Proph. p. 283), quia 42, 22 sors exsulum exaggeratione ab omni probabilitate aliena describatur. Demum *Seinecke* ea saltem in re verum tenet et propugnat, quod in Palaestina et in Ierusalem vatem degisse affirmat (l. c. p. 3. 4). De tempore quoque oraculorum isti critici inter se differunt. Et *Bertholdt* quidem (Einleitung p. 1390) in ipsis oraculis quattuor tempora distinguit; aliqua esse edita ante invasionem Persarum, aliqua post eam; alia dum Babylon obsideretur, alia urbe expugnata. *Gesenius* oracula tum orta esse dicit, cum Cyro contra Babylonem progrediente spem liberationis conciperent Iudaei; at posteriora capita priore loco esse composita; post ea demum illa quibus victoriae Cyri adeo certo praedicantur. Alii singula capita variis belli Persarum cum Babyloniis gesti eventibus attribuere student; ita *Hitzig*, ita *Knobel* quoque, qui cap. 40-48 orta dicit cum Cyrus primos suos ageret triumphos; cap. 49-62, cum bellum inferre gentibus occidentem versus habitantibus pararet; 63, 1-6 describi ruinam regni lydici etc. Demum *Beck* et *Seinecke* oracula haec omnia orta esse post edictum liberationis a Cyro promulgatum statuunt et eo edicto vatem esse ad oracula fundenda permotum; et ille quidem vatem eventum iam praeteritum tamquam a Domino praedictum descripsisse vult, ut aequales eum divino consilio ac dispositione evenisse sibi persuaderent; *Seinecke* vero liberationem per Cyrum ullo modo praedici negat, eam factam supponi ubique et non annuntiari nisi novam salutem sublimiorem, quae post liberationem illam subsequi debeat. Singula haec refutare non opus est; partim iam refutata sunt iis quae antea exposuimus, partim ipsa explicatione textus apparebit ea gratuito adstrui et textu invito.

Rationes autem quibus Isaiam haec oracula fudisse negant hae potissimum sunt, quae a *Knobel-Diestel*, *Orelli* aliisque proferri solent: primo Isaiam vixisse in periodo assyriaca et proinde exsilium *babyloni-*

cum non potuisse praedicere. Verum enimvero si haec ratio quidquam valeret, iam omnes omnium prophetarum libri spurii essent declarandi. Nam in omnibus vera continentur vaticinia, verae praedictiones rerum futurarum : ita Osee praedicit ruinam regni israelitici, exsilium, reditum ex exsilio; Amos ruinam tabernaculi David eiusque instaurationem, punitionem gentium finitimarum; Michaeas ruinam Samariae, Ierusalem, exsilium *babylonicum,* reditum ex exsilio, nativitatem Messiae in Bethlehem ; Nahum ruinam Ninive; Habacuc casum Chaldaeorum; quid plura, cum ipsi rationalistae negare non possint saepius edita esse vera vaticinia eaque omnino determinata? Ita *de Wette-Schrader* in eorum vaticiniorum numero refert Ez. cap. 12. 24, 25 seq. 33, 21 seq. Haud incongrue advertit *Naeg.* (l. c. XXIII) si iste canon valeret, aequo iure dicendum esset cap. 52-55 scripta esse post Christum et vatem hunc legisse epistolas S. Pauli.

Secundo obiiciunt exsilii tempus exhiberi ut tempus vati praesens, ruinam regni iudaici ut tempus praeteritum. Ad quae duo oportet advertere : adesse indicia multa et indubia conditiones saepius tangi quae solum ante exsilium exstiterint (de qua re supra p. 6 seq.); dein si prophetae ea quae futura sunt annuntiant, etiam ea ut praesentia describere solent. Sic v. g. Michaeas ruinam Samariae et regni iudaici annuntiat et statim calamitatem longe lateque serpentem deplorat; ita Habacuc epinicio celebrat ruinam Chaldaeorum quam vaticinatus est. Vastitatem fore et desolationem Isaias iam 1, 28; 5, 5; 6, 10-13 etc. praedixit; quid ergo mirum si dicat 49, 8 hereditates *dissipatas* iri restitutum vel 58, 12 deserta saeculorum aedificatum iri, vel 61, 4 ruinas antiquas iri erectum, vel 63, 18. 19 populum Dei conculcari ab hostibus eumque opprimi 52, 5 et 59, 9 et Deum permittere, ut populus hostibus tradatur 42, 14 et 57, 11 ? Nihilominus omnes isti loci afferuntur tamquam testes quibus probetur vatem vixisse in fine exsilii. Sed cum Isaias locis indubie ab omnibus admissis et ruinam praedicat et instaurationem, certissime etiam scribere potuit omnes hos locos quibus nihil aliud exprimitur nisi ruina et instauratio; quomodo enim aliter loqui potuit, si ruinam et instaurationem describere voluit? Neque verum est prophetam saepe dicere liberationem iamiam instare, immo Deum iam incepisse eam moliri; nam 40, 9; 41, 27; 43, 19 solum salus futura annuntiatur; quando futura sit, non dicitur; 46, 13 vero contextus est : si vir voluntatis Dei de terra longinqua venerit, prope fore liberationem; id quod verissimum est; de 51, 14 vide commentarium et confer modum loquendi 14, 1. Immerito igitur hi loci obiiciuntur ut tales quos Isaias non potuerit scribere; immerito quoque asseritur 42, 9; 48, 3. 6. 7. 16 describi prima iam molimina quae Deus peregerit ad liberatio-

nem adducendam; iis enim locis vaticinia olim data et impleta tamquam testimonia afferuntur fore ut nova quoque quae annuntientur opere compleantur; vide comment.

Tertio obiicitur accurate describi rerum conditionem quae fuerit tempore exsilii; exstitisse discordias inter Babylonios (49, 26), Cyrum victorem nomine efferri (44, 28; 45, 1), victorias quas iam reportaverit commemorari (41, 2. 3. 25), exponi eius de Aegypto consilium (43, 3; 45, 14), indicari gentium sub Croeso adversus eum conspirationem (40, 15; 41, 1. 5; 51, 6; 59, 18) et victoriam Cyri (63, 1). Verum si loci singuli inspiciuntur; haec omnia vel gratis adstrui deprehenduntur vel nihil ad rem efficere. Nihil enim 49, 26 innuitur de discordiis inter *Babylonios,* cum ibi de tempore Cyri non sit sermo, sed de tempore post instaurationem. Cyrum nomine suo designari verum est; sed cum ratione adeo singulari a Deo fuerit electus ad opus Dei peragendum, mirum non est, si Deus ipsius quoque nomen revelaverit, praesertim cum hac nominis designatione ipse Cyrus quam maxime impulsus sit ad iussa facienda (cf. Esdr. 1, 2 seq. *Iosephus,* Antiq. 11, 1. 1). Victorias autem quas iam reportaverit non commemorari 41, 2. 3. 25, sed victorias modo maxime generali praedici et eam praedictionem ut argumentum verae divinitatis afferri ex iisdem locis et 41, 1. 22. 23. 24. 26 patet. Quae 43, 3 et 45, 14 de Aegypto et Aethiopia et Saba dicuntur, non sunt petita ex tempore Cyri, quia Cyrus in illas regiones nullam suscepit expeditionem neque eas subiugavit. Si hoc argumentum valeret, ipsa rationalistarum sententia de fine exsilii subverteretur et vates deberet tempori post Cyrum adscribi. Neque mentio fit gentium sub Croeso adversus Cyrum conspirantium; nam 40, 15 gentes esse impotes et fere nihil ratione divinae maiestatis habita dicuntur; 41, 1 convocantur, ut iudicent, utrum Deus an idola ediderint vera vaticinia; 41, 5 modo maxime generali dicitur regiones quoque longinquas terrore iri concussum, si heros ille ab oriente exstiterit. Cur 51, 6 afferatur, nemo, puto, assequetur, dummodo versum legat. Et cum 59, 18 iam nullo modo de Cyro sermo sit, neque 63, 1, frustra ii loci allegantur. Si autem dicunt vatem spe instaurationis quam cap. 60. 61 describat deceptum fuisse, cum conditio post exsilium longe abfuerit ab illa salutis sublimitate, monendi sunt, iis in locis efferri amplitudinem salutis messianicae; si haec obiectio consisteret, esset rationalistis quoque negandum ullum vaticinium de felicitate messianica ab ullo unquam propheta esse editum, ergo etiam Is. 2, 2 seq. 11, 4 seq. 12, 1 seq. 30, 23 seq. 32, 1 seq. non posse referri ad Isaiam, quae tamen oracula Isaiae ab ipsis rationalistis benigne conceduntur.

Quarto monent varias partes quae fuerint inter exsules, exsulum

mores et conditionem ita accurate describi ac delineari, ut vates inter exsules adfuisse necessario censendus sit. Singulos qui ad eam rem stabiliendam afferuntur locos inspiciamus breviter : 46, 6 seq. 57, 5 seq. 3 seq. idololatrae reprehenduntur et quam stulta sit idololatria inculcatur. Num haec ad finem exsilii referuntur? nequaquam. Nam 57, 5 modus describitur idololatriae in Palaestina exercitus; dein si versus exsilii finem tanta aderat inter Iudaeos idololatria, vere oportet dicere : facta sunt novissima peiora prioribus et poena exsilii fructu prorsus caruit (cf. *von Himpel* l. c. 313 seq.). Quod 66, 5 impii dicunt, idem iam 5, 19 loquuntur; quomodo ergo verba in 66, 5 relata exsilium indicent? Reprehensiones quae 59, 3 fiunt et verbis et rebus iam cap. 1-5, 9, 15 seq. 28, 7 etc. continentur; ergo iis minime ad finem exsilii remittimur. Iam *ante* exsilium Ieremias observationem sabbati urget (17, 21. 22); quare idem monitum (Is. 58, 13) apud nostrum vatem finem exsilii declarare censeri debeat, quis explanabit? Porro ex eo quod vates confortat pusillanimes eosque consolatur (40, 27; 49, 24; 51, 12; 45, 9) concludunt vatem loqui in exsilio, ac si Isaias in parte priore non eadem ratione piis et afflictis animos adderet ac modis omnibus eos ad fiduciam in Deo ponendam excitaret! Quid quod pios subire persecutiones tamquam indicium exsilii venditant? an nunquam legerunt 1, 15. 23; 3, 15; 5, 8-25; 10, 1. 2 etc? vel num haec omnia ad exsilii tempus sunt ablegan-da? Et post talium locorum enumerationem concludit *Knobel-Diestel*: « ita solum is scribere potuit qui exsilii tempore vivebat eiusque temporis conditiones optime perspectas habebat ».

Quinto obiiciunt prophetas ante exsilium ipsumque Isaiam exspectasse emendationem populi poena exsilii inflicta effectum iri; iam vero in hisce oraculis populum in exsilio constitutum describi tamquam gentem contumacem, obduratam, incredulam, apostatam, peccatis onustam, minime emendatam, ergo ea capita non esse ab Isaia composita. Ad quae probanda afferuntur 48, 4. 8, de quibus verbis vide in comment.; dein 63, 17 et 64, 7; sed hisce peccata priora deflentur eorumque efflagitatur venia; porro 58, 1; 59, 2. 12; verum hisce ea scelera reprehenduntur, quae Isaias iam cap. 1 et 5 reprehenderat, et fucatam aequalium pietatem (1, 10 seq.) traducit; haec enim clarissime docent vatem ex oraculis et vaticiniis suos edocere aequales, quali mente debeant Deo servire. Neque verum est vatem nostrum ab exsilio non exspectare populi emendationem; si dicit 48, 10 : elegi te in camino paupertatis, contrarium enuntiat.

Sexto urgent omnes huius partis sermones dirigi ad exsules, quos vates continuo alloquatur, modo pios, modo impios; ex quibus interrogationibus propositis quaerat, quos consoletur vel reprehendat, quos ad

emendationem invitet et a Babylone recedere iubeat; talia autem ab Isaia qui 150 annis ante exsilium scripserit dici non potuisse. Verum in hoc ratiocinio id omissum est quod in priore parte iam saepius observavimus et quod iterum iterumque in altera parte monendum erit, vatem dum normas recte agendi *aeternas* proponat quae omni tempore valent ita exsulibus quoque consuluisse, ut tamen praeprimis sui temporis necessitates ob oculos habuerit. Ita quae 40, 18. 21. 25 ex iis quaerit idololatriae stultitiam manifestant; num ea verba tempore Isaiae non aptissime proferri poterant? Lege 2, 8, 20; 31, 7. Quae vates 41, 10. 14; 43, 1; 44, 2. 8 — ii enim loci obiiciuntur — commendat : noli timere, non solum pro exsilio valent, verum quam maxime quoque ad confortandos pios Isaiae tempore conferunt (cf. 8, 17. 19; 10, 24; 12,2 ; 28, 16); idem valet de 42, 18 et 48, 1. Quomodo vero admonitiones ut mores emendent et ad Dominum revertantur (44, 22; 46, 8. 9. 12) tempus exsilii, idque unum prae se ferant, nemo dicere potest, cum eiusmodi monita apud omnes prophetas legantur atque opportune omni tempore fiant. Verba autem 56, 6 seq. si non poterant dici nisi tempore exsilii, etiam ea quae 2, 3 et 11, 11 et 14, 1 habentur aequo iure ad exsilium referri debent, id quod tamen ne rationalistae quidem faciunt. Uti 34, 16 ab Isaia posteri admonentur, ut requirant diligenter et vaticinia completa esse fateantur, ita a more prophetico minime abest, ut liberatione ab exsilio praedicta simul tradatur exhortatio ut illa opportunitate utantur; ita cap. 12 admonet eos qui tempora messianica visuri sunt, ut Deo laudes canant; ita 14, 4 narrat quomodo ruina Babylonis facta laetaturi sint ii qui viderint; eadem et similia adverte ad cap. 25. 26. Neque 61, 1 et 50, 5 *vates* profitetur se esse ad exsules missum (vide comment.) vel se ab exsulibus male tractari; perperam quoque ex 42, 9 et 48, 3. 6. 7. 16 concludunt haec dici post aliquas victorias a Cyro reportatas; de his aliisque locis qui hic obiiciuntur (62, 1. 6; 53, 1) vide commentarium. Mirum est etiam 57, 4 adduci, quasi solum exsilii tempore prophetae irrisionibus sint expositi; ergo etiam 28, 9. 10 ad exsilium reiicere oportebit.

Septimo loco, ut agmen argumentorum augeatur, iterum afferunt locos eos quos antea iam attulerant 59, 2 seq. 64, 8; addunt dein precationes 51, 9 et 63, 7-64, 11, quibus vates populi peccata deflet, confitetur, veniam petit et salutem expostulat. Eiusmodi preces autem ad munus propheticum omnino spectant; iis enim et aequales et posteri erudiuntur; neque eas alienas esse ab Isaia, iam 8, 17-20 et 12, 1-6 et 24, 15 et 25, 1 seq. 26, 1 seq. patet ; unde cur iis precationibus origo in exsilio demonstretur nullo modo apparet.

Octavo aiunt Ieremiam cum propter ruinam urbis et templi praedic-

tam mortis reus accusaretur (Ier. 26, 8 seq.) non pro sui defensione provocasse ad oracula nostra, id quod sane facturus fuisset, si exstitissent. Utique praeclaram rationem! Nam cum Ieremias in succincto illo sermone 26, 5 revera mentionem faciat sermonum servorum Domini prophetarum, unde tam fidenter asserunt Ieremiam nihil ex Isaia allegasse? Narrationem in cap. 26 habemus brevem et per summa solum rerum capita incedentem. Praeterea adverte, Isaiam hisce oraculis non tam destructionem quam instaurationem vaticinari; quare seniores ad Ieremiam defendendum (26, 17 seq.) si argumentum planissimum et efficacissimum afferre voluerunt idque verbis clarissimis conceptum, vix ad Isaiam poterant provocare, optime autem, prout fecerunt, ad Michaeam. Dein quis postulabit ut ea occasione omnia priorum prophetarum oracula nominatim recenseantur? an ab illorum seniorum silentio etiam inferent, oracula Osee 2, 11. 14; 3, 4 et Amos 9, 1 etiam non exstitisse tempore Ieremiae? Ceterum multis iam ostensum est Ieremiam novisse oracula in cap. 40-66 reposita, quare argumentum quod in ea accusatione Ieremiae a silentio inferunt, futile est.

Nono loco sententias exprimi arguunt iis in capitibus rerumque descriptiones et opiniones ab Isaia plane alienas; proferri scil. exspectationem et spem omnino exaggeratam de reditu ab exsilio eiusque magnificentia, de novis coelis et nova terra, de splendore urbis restitutae, de longaevitate piorum, de subiectione gentium; eiusmodi autem hyperbolas longe abesse a mente et indole Isaiae sobria. Ad quae primo illud nota quod iam supra monui de descriptionibus messianicis, quae apud prophetas stilo sublimiore et splendore ac magnificentia imaginum efferri solent; vatem vero in cap. 40-66 instaurationem in se describere ita, ut messianica quoque quam maxime eaque in summo perfectionis gradu tangatur, ex toto rerum nexu perspicuum est. Deinde adverte omnia illa quae obiiciantur iam clare praeformari in priore Isaiae parte. Nam quae 65, 17 et 66, 22 et 60, 19 dicuntur, iam praeparantur in nova terra 11, 6 seq. descripta et praesertim 30, 26: « et erit lux lunae sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum »; futurum autem Sionis splendorem non solum descriptum legimus 54, 12 seq. 60, 1 seq. 66, 12, sed etiam eius splendoris rationes modique iam explicantur 2, 2 et 4, 2 seq. 11, 9; 18, 7; 24, 23; 25, 6; 26, 1 seq. Quae autem de gentium obsequiis 49, 22; 60, 9. 10; 61, 5; 54, 15 dicuntur, non modo non contraria sunt iis quae in parte priore proferuntur, verum potius ex iis fluunt; lege enim 14, 2: « et tenebunt eos populi et adducent eos in locum suum et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas et erunt capientes eos qui se ceperant et subiicient exactores suos »; perpende 2, 3 et

9, 4-7 et 11, 14. 15 et 25, 9-12 et fateri debebis in hisce locis iam oracula alterius partis luculenter contineri et gentium obsequia describi. Tamquam signa temporis posterioris *Knobel-Diestel* etiam adducit Ierusalem dici civitatem sanctam (48, 2; 52, 1); sed cum creberrime sermo sit de Sion monte *sancto*, cum Ierusalem dicatur Ariel (29, 1), in qua urbe sit caminus Domini (31, 9), quae sit civitas sollemnitatis nostrae (33, 20), in qua olim iustitia habitavit (1, 21), in qua omnis sanctus vocabitur qui ad vitam scriptus est (4, 3), appellatio *civitatis sanctae* quasi per se nascitur et facillime oritur ita ut potius mirandum sit quod non saepius occurrat; sane a mente Isaiae in priore parte manifestata minime est aliena. Si vero oppugnationem idolorum et numinis divini demonstrationem quae a vaticiniis fiat a mente Isaiae recedere contendunt, non videntur legisse ea quibus in priore parte idololatria convellitur (1, 29; 2, 8. 9. 18-21; 8, 19; 16, 12; 17, 8; 19, 1; 31, 7) neque ea quibus vis et valor vaticiniorum ad numen divinum demonstrandum indicatur (8, 1. 16; 30, 8; 34, 16). Quodsi adhortationem ad sabbatum obervandum denuo nobis oggerunt tamquam posterioris temporis indicium, interrogamus, num etiam id quod 4 Reg. 4, 23 ex tempore Elisei narratur et quod Amos 8, 5 de sabbato refert, ad tempora exsilii relegari possit? Porro contendunt proponi sententias de Deo quae non adfuerint nisi tempore posteriore; ita v. g. Deum de rebus sublunaribus esse parum sollicitum 40, 27; 47, 10; 49, 14; 57, 15. Sed nonne iam 29, 15 eodem modo apud Isaiam impii loquentes inducuntur? nonne qui miseriis afflicti sunt conqueri solent, quod Deus abscondat faciem et auxilium ferre obliviscatur? ita iam Ps. 10, 1; 13, 1. 2 (hebr.), ita non uno in loco Iobus conqueritur; quid ergo alienum ab Isaiae tempore si eodem modo miseros et pusillanimes conquerentes facit? praesertim cum 26, 17. 18 similes sensus exprimantur. Idea quoque satisfactionis vicariae minime potest dici incognita fuisse tempore Isaiae; eam enim praeformarunt et symbolice repraesentant sacrificia, eam satis clare enuntiat Michaeas, aequalis Isaiae (Mich. 6, 7); quare ergo apud Isaiam non posset exhiberi? Neque *servus Iahve* aliam expostulat aetatem; eam enim ideam in germine iam habemus in priore parte Isaiae 4, 2 et 11, 1 seq. quocum confer 53, 2; ceterum quam sedulo hanc ideam Isaias praeparet in priore parte, vide in disputatione de servo Iahve. Ultimo loco obiicit *Knobel-Diestel*, in altera hac parte theocratiae instaurationem non connecti cum rege ex Davidis familia oriundo; quod quam falsum sit, vide ad 55, 3 quo loco totidem verbis antiqua vaticinia Davidi data recoluntur.

Decimo loco genus dicendi in medium proferunt quod quidem sublimitate et maiestate proxime ad Isaiam accedat, at nihilominus sit magis

perpolitum et etiam magis diffusum. Aliquod discrimen utique facile omnes agnoscent; sed perpende argumentum diversum, aetatem vatis magis etiam provectam; insuper attende, cum sermones partis prioris a vate iuniore ad populum habiti sint, hos sermones vix eodem modo coram populo esse propositos neque ex concionibus ad populum habitis exortos; unde non mirum est, si genus dicendi aliqua ratione diversum deprehendatur. Neque tamen illud discrimen adeo magnum est, ut adversarii iactant, praesertim si aliud tractari in plerisque argumentum attenderis. Obiiciunt v. g. ad nomen Iahve in altera parte varias adiungi appositiones; sed simile quid observare poteris 2, 10. 19 et iam 1, 24; nomina multiplicari ad emphasin habendam vides 9, 6 et etiam 10, 33; 12, 2; 26, 1; 28, 16 et praeterea vide 3, 1; 8, 9. 10; 18, 2. 7; 28, 10. 13; 29, 1. Rei argumentum id secum fert, ut in altera parte frequentius efferat vates heroem illum a Deo esse excitatum et vocatum et eventus futuros a se esse praedictos; at quis dicet talibus ostendi genus dicendi ab Isaia alienum? Immerito id obiicitur; similia enim etiam in priore parte inveniuntur. Nam propheta et se a Deo missum declarat 6, 8 et nationes vocari a Deo et eligi ut ultionem exsequantur 5, 26; 7, 17; 8, 7; 10, 6; 13, 3 etc.; qui ita loquitur, certe ab eius indole non est alienum etiam Cyrum ut a Deo vocatum et excitatum proponere; Isaiam quoque ad sua vaticinia provocare iam dictum est (cf. 8, 16; 30, 8; 34, 16). Conqueritur *Knobel-Diestel,* quod Deus apud Isaiam iis nominibus non laudatur quae frequenter in cap. 40-66 usurpentur scil. creatoris, formantis, redemptoris, salvatoris, consolatoris; at quid legitur 12, 2? « ecce Deus salus mea : fortitudo et laus mea Dominus, factus est mihi in salutem »! quid 17, 7; 25, 4; 26, 1; 31, 5? Dein attende, cum in altera parte praecipue de liberatione et instauratione sermo sit, eiusmodi nomina e rei argumento debere frequentius occurrere. Quare ea quoque obiectio sine fundamento profertur.

Ultimo demum loco numerum sat magnum vocum phrasiumque exhibet *Knobel-Diestel* quae propriae sint alteri parti Isaiae, ideoque alium arguant vatem. Cum adversarios non piguerit longam seriem contexere, etiam nos taedere non debet ostendere longa ista serie nihil effici posse contra Isaiam alterius quoque partis auctorem. Quare ad verba singula et phrases quae ab iis afferuntur, adscribemus ea quibus ea patet immerito allegari ut alius vates cap. 40-66 scripsisse perhibeatur. Primo loco exhibent צֶמַח, sed cum substantivum *germen Iahve* 4, 2 occurrat, vox haec Isaiae non poterat esse ignota; קָרָא in priore quoque parte v. g. 6, 3. 4; 12, 4; 22, 12 eadem notione adhibetur qua 40, 2. 6; 44, 7; 58, 1; פָּצַח רִנָּה etsi frequentius in altera parte invenitur,

tamen etiam 14, 7 legitur et verbum רָנַן habes 12, 6 et 24, 14 et 35, 6 et praeterea 16, 10. Neque verum est מִשְׁפָּט et צֶדֶק vel צְדָקָה alia significatione adhiberi in cap. 40-66 quam in prioribus ; vide in comment. ad 42, 1. 3. 4 ; 51, 4 ; 41, 2. 10 ; 45, 8 ; 51, 5 etc. Cum עָם *populi* notionem habeat, non apparet cur *Knobel-Diestel* in 40, 7 et 42, 5 singularem quendam usum cernere velit. Cum אַיִן et אֶפֶס verba sint plane in usu posita et etiam in priore parte inveniantur (5, 8 ; 34, 12 ; 37, 3), arbitrarium est asserere כְּאַיִן et כְּאֶפֶס peculiare dicendi genus alterius partis demonstrare, praesertim cum illud non occurrat nisi ter (40, 17 ; 41, 11. 12), hoc semel (40, 12). Neque indoles peculiaris agnosci potest in eo, quod *omnis caro* dicitur pro omni homine ; haec enim locutio etsi in priore parte non occurrat, tamen ex Gen. 6, 13. 17. 19 ; 7, 16. 21 ; 8, 17 ; 9, 11. 15. 17 satis nota est ; ceterum 40, 6 adhibetur caro ad designandam impotentiam, uti 31, 3. Peculiare genus dicendi deprehendunt in שֹׁד וָשֶׁבֶר 51, 19 ; 59, 7 ; 60, 18 ; sed cum utraque vox saepius in priore parte reperiatur apud Isaiam, non apparet cur non idem Isaias ad emphasin habendam utramque potuerit coniungere ; prior legitur 16, 4 ; 22, 4 et 13, 6 quoque ; altera 1, 28 ; 15, 5 ; 30, 13. 14. 26. Notum est in lingua hebr. participia et adiectiva gen. fem. adhiberi pro substantivis ; quare talis usus immerito affertur quo singulare eius partis dicendi genus probetur. Neque ἅπαξ λεγόμενα id efficere possunt ; ea enim in priore quoque parte inveniuntur ; ita 14 in cap. 30, 11 in cap. 32 (cf. *Kaulen* l. c. p. 305). Cum גָּאַל in ea notione qua Is. 59, 3 et 63, 3 adhibetur, occurrat apud Ierem. Sophoniam aliosque, non cernitur ratio cur vox haec debeat Isaiae denegari ; idem dic de כָּנָה quae vox Iob 32, 21. 22 reperitur et de מָחָא Ps. 98, 8. Ez. 25, 6, de נָהַר Ps. 34, 6, de נָשַׂק Ps. 78, 21. Ez. 39, 9, de צָעָה Ier. 2, 20 ; 48, 12, de הֹצֶן Neh. 5, 13 (et similis vox legitur Ps. 129, 7), de צִיר Ps. 49, 15 forma, figura, quae vox propter צוּר Isaiae tempore non potuit esse incognita (cf. Ex. 32, 4. 1 Reg. 7, 15. Ier. 1, 5 kethib). Eodem modo alibi occurrunt, ergo Isaiae qui linguae peritissimum se ubique exhibet ignota esse non poterant verba צַמָּה Cant. 4, 1 ; 6, 7 ; שׁוֹבָב Ier. 3, 14. 22 ; הֵאִיר in notione *accendendi* adhibetur Is. 27, 11 et iam Num. 8, 2 ; אִמֵּץ Prov. 8, 28. Iob 4, 4. Am. 2, 14 etc. ; חִדֵּשׁ Iob 10, 7. 1 Sam. 11, 14. Ps. 51, 12 etc. ; כִּהֵן Ex. 28, 41 ; 29, 1. Os. 4, 6. Ez. 44, 13 ; de כּוּל formae derivatae reperiuntur apud Ier. et Ez. et iam in Gen. (45, 11 ; 47, 12 ; 50, 21), Prov. 18, 14 et saepius in libris Regum ; הוֹעִיל habetur Is. 30, 5. 6 ; ergo falso affertur tamquam locutio propria alteri parti ; ceterum haec vox pariter invenitur in libris Iob, Prov. 1 Sam. Ier. ; quomodo ergo peculiare

dicendi genus hac voce demonstrari potest? Neque הִמְלִיט 66, 7 ab usu Isaiae recedit, cum verbum in piel eadem notione usurpetur 34, 15; cur vero עָמִיד 47, 13 et פָּגַע (47, 3; 59, 16; 64, 4) voces haud raro obviae afferantur, nullus assequor. Perperam quoque adducitur פִּתַּח 51, 14, cum verbum hoc in priore parte saepius inveniatur (14, 17; 20, 2; 22, 22; 26, 2; 28, 24) et in forma quoque niphal 5, 27; 24, 18; 35, 5; idem dic de הִרְבִּיץ quod non solum 54, 11, sed etiam 13, 20 reperitur et in forma qal 11, 6. 7; 14, 30; 17, 2. Usus loquendi in notione vocis הִרְגִּיעַ qui Ier. 31, 2 et 50, 34 deprehenditur iam tempore Isaiae exstitisse merito censetur; saltem id bene advertendum est nos tam pauca scire de historia linguae hebraicae, ut plane ridiculum sit asserere vocem aliquam quae certo adsit tempore Ieremiae nondum exsistere potuisse tempore Isaiae.

Immerito quoque tamquam indicia quae Isaiae non conveniant afferuntur: בּוּל 44, 19; reperitur enim Iob 40, 20 quoque; גֶּזַע 40, 24, quae vox 11, 1 quoque legitur et Iob 14, 8; הָמוֹן 60, 5; nam eadem notione *divitiarum* legitur Ps. 37, 16 et iam Is. 5, 14 haec notio bene congruit; חֳלִי 53, 3. 4; nam eadem vox 1, 5 et 38, 9 legitur et praeterea alibi quoque occurrit; חֵפֶץ 44, 28; 46, 10; 53, 10; 58, 3. 13; omnibus enim istis locis vox adhibetur ea significatione qua iam legitur 2 Sam. 23, 5 (in ultimis verbis Davidis) et 1 Reg. 5, 22; praeterea eadem notione habetur 1 Sam. 15, 22; 18, 25 etc.; חֶרְפָּה 47, 3; sed etiam si vox eo loco accipitur notione eadem qua עֶרְוָה, mutatio significationis est adeo facilis et obvia, ut ex communi vocis significatione per se fluat (cf. 4, 1; 30, 5; 25, 8); מֵלִיץ 43, 27; sed vox reperitur Gen. 42, 23. Iob 33, 23. 2 Par. 32, 31; מְסֻכָּן 40, 20; talem vocem non esse plane singularem etiam Deut. 8, 9 et Eccl. 4, 13; 9, 15 probatur; עֵד 55, 4; perperam statuitur notio *legislatoris,* ut inusitatus modus loquendi habeatur; retinenda est notio usitata, quae Is. 8, 2 et 19, 20 adest et pro 55, 4 etiam Ps. 89, 38 commendatur; פֶּסֶל 40, 19; 44, 10; sed aliis locis 40, 20 et 44, 15. 17; 45, 20 ostenditur vocem adhiberi notione generali *simulacri,* quod vel fusum sit vel ex ligno vel lapide sculptum; ceterum de fusis quoque imaginibus dicitur vox Ier. 10, 14; 51, 17; צָבָא 40, 2; sed notio laboris, molestiae facile fluit ex significatione communi et ea etiam habetur Iob 7, 1; 10, 17; 14, 14; כְּעַל 59, 18; 63, 7 etiam legitur 2 Par. 32, 19; neque הֵן 54, 15 aliam habet notionem ac ceteris in locis: 23, 13; 32, 1; 33, 7; sed etiamsi notionem *si* indueret, haec notio iam praeformatur Lev. 25, 20 et conferri potest Iob 12, 14 et 23, 8 et 40, 23. Ier. 3, 1 et iam Ex. 8, 22. Cur etiam לְאוּמִּי 51, 4 afferatur,

mirum est, cum vox 17, 12. 13 quoque inveniatur, ergo ab Isaia minime exsulet.

Porro *Knobel-Diestel* ad demonstrandum genus dicendi esse peculiare haec affert : « solus horum capitum auctor efformat formam piel verbi פֵּאֵר (55, 5 ; 60, 7. 13), pual verbi זֹרַע (40, 24), hiphil denominativum a voce פַּח (42, 22) et hithpael verborum יָמַר, פִּתַּח et שָׁעָה (41, 10. 23 ; 52, 2 ; 61, 6) » ; sed quam inefficax tale sit argumentum, ex eo iam elucet, quia pauca ex thesauro linguae hebr. servata sunt ; quare nimis audax est eiusmodi formas fuisse ita communes negare, ut earum usus scriptorem denotet ab Isaia distinctum. Adde quod fere apud unumquemque scriptorem vet. test. una alterave forma inveniatur quam frustra apud reliquos quaesieris. Ad exempla autem illa allata haec adverte, ut videas quam nihil iis efficiatur : piel verbi פאר etiam legitur Ps. 149, 4 et Esdr. 7, 27 ; et cum hithpael iam Iud. 7, 2 inveniatur, nemo affirmare poterit piel fuisse tempore Isaiae ignotum ; de pual a verbo זרע dubium moveri nequit, quia ex formatione aliquorum substantivorum satis patet piel eius verbi in usu positum fuisse ; si vero piel in usu erat, non est ratio cur pual ab usu communi excludatur. Dein omnino dubium est num 42, 22 sit hiphil denominativum a פַּח ; facillime enim explicari potest a verbo haud inusitato פּוּחַ ut sensus sit : aegre spiritum trahunt in carceribus. Porro de הִתְיַמֵּר 61, 6 non plane constat, unde forma sit derivanda, quare ex eo perperam fit argumentatio ; פִּתַּח autem verbum est valde usitatum, de quo niphal, piel, pual, hiphil, in usu erant ; unde hithpael quoque ab usu communi non abhorrere recte concluseris ; verbum שָׁעָה quoque saepius legitur (cf. Is. 17, 7. 8 ; 31, 1) ; invenitur quoque in hiphil ; gratis asseritur ex hithpael erui peculiare dicendi genus.

Demum frustra ad « arabismos » quosdam confugiunt, qui ex commercio exsulum cum Arabibus exorti sint : nam גַּלְמוּד iam legitur Iob 3, 7 et 15, 34 ; ergo non indigemus tempore exsilii, ut haec vox innotescat Hebraeis ; etiam verbum הדר reperitur Prov. 25, 6. Lam. 5, 12, immo iam Ex. 23, 3 et Lev. 19, 15. 32 ; quare etiam pro Is. 45, 2 non opus erit ad exsilii demum tempus confugere. Verbum הָזָה 56, 10 est ἅπαξ λεγόμενον ; etsi vox ex arabico possit explicari, nondum sequitur tempore exsilii vocem Hebraeis esse allatam ; idem valet de הָבַר 47, 13 et חָטַם 48, 9 et חַרְצֻבּוֹת 58, 6 quae vox Ps. 73, 4 quoque legitur ; quam immerito autem נֵצַח 63, 3. 6 ad exsilii finem referatur, potest disci ex Lam. 3, 18, quo loco iam Ieremias eadem vocis notione utitur ; neque עוּת 50, 4 ad exsilium referri potest, cum 1 Par. 9, 4 inter eos qui Ierusalem ante exsilium habitaverant (de quo vide *Keil,* Commentar über

die Chronik) recenseatur עַתַּי, cuius nomine verbum illud in usu fuisse ante exsilium constat. Fucum facere videtur *Knobel,* cum etiam צָרַח 42, 13 recenseat inter hos arabismos quos exsilio didicerint Hebraei; vox enim iam legitur ex tempore Iosiae regis Soph. 1, 14. Neque שֹׁבֶל 47, 2 ad tales arabismos referri potest; nam eiusmodi radicem שׁבל exstitisse verbis שִׁבֹּלֶת (Is. 17, 5; 27, 12), שְׁבִיל satis ostenditur. Neque probabile est vocem שָׁרָב (35, 7; 49, 10) tempore exsilii ad Hebraeos esse perlatam; significat enim aeris aestum et phaenomenon illud quo in desertis Arabiae, Aegypti etc. aeris aestu desertum aquae speciem referri videtur; iam id (mirage Galli vocant, Kimmung Germani) Hebraeis usque ad exsilii finem ignotum fuisse vel tum demum rei notae nomen esse impositum quis demonstrabit? Neque ostendi potest שַׁחַר 47, 11 arabismum esse *exsilii* tempore ortum.— Atque haec sunt quibus potissimum evincere volunt genus dicendi ab Isaia eiusque tempore diversum esse et alienum.

IV. — De dicendi similitudine in utraque parte.

Diversitatem quandam esse in genere dicendi nemo negat; hanc autem inveniri in quovis scriptore qui vario tempore alia et alia argumenta tractat aeque notum est; aliter dicit et scribit iuvenis, senex aliter; cur itaque in uno Isaia eadem verba, eaedem plane phrases in omnibus libri partibus longo temporis intervallo separatis requirantur? Neque tamen adeo magna est diversitas quae inter partem priorem et alteram deprehenditur. Id iam patet fatentibus ipsis adversariis, qui ut supra indicatum est ultro asserunt sublimitate et maiestate dicendi partem alteram ad priorem maxime accedere, quare « magnum illum ignotum vatem » de quo loquuntur quam maxime ingenium suum lectione Isaiae excoluisse, eius mentem habitumque induisse et imitatione felicissima expressisse affirmant. Si igitur et ingenio et modo res describendi tam prope Isaiam refert, cur demum non ipse Isaias agnoscitur? praesertim cum oracula haec diu ante exsilium esse conscripta supra sit demonstratum? Ut adversariis qui multa protulerunt ad discrimen ostendendum in verbis obvium (sed pleraque valde infeliciter et inefficaciter!) satisfaciamus et sententiam veram ulterius stabiliamus, non inutile erit etiam aliqua annotasse quae in verbis et phrasibus plane eadem sunt in utraque parte.

Appellatio illa apud Isaiam sollemnis « Sanctus Israel » eodem modo in hac parte occurrit et quidem quater decies, dum in priore parte in tredecim locis legitur, praeter librum Isaiae autem raro invenitur. Eodem

modo in utraque parte saepius legitur נִקְרָא appellari i. e. esse, agnosci; cf. 1, 26; 32, 5; 47, 1. 5; 48, 8; 54, 5; 56, 7; 61, 6; 62, 4. 12 etc. Nomen appellativum אָסִיר non occurrit nisi 10, 4 et 24, 22; 42, 7; יִבְלֵי מַיִם solum legitur 30, 25 et 44, 4; נַעֲצוּץ non reperitur nisi 7, 19 et 55, 13; עֹנֶג solum 13, 22 et 58, 13; תַּעֲלוּלִים solum 3, 4 et 66, 4; אָבִיר ut nomen Dei : fortis Israel, fortis Iacob 1, 24 et 49, 26 et 60, 16; אַגְמוֹן 9, 13; 19, 15; 58, 5; מְאֹד in s. literis invenitur in sedecim locis, ex quibus octo apud Isaiam : 14, 18; 16, 13; 44, 8; 45, 21; 48, 3. 5. 7. 8. vox אֶפְעֶה non reperitur nisi Iob 20, 16 et Is. 30, 6 et 59, 5; בָּעָה solum legitur Is. 21, 12; 30, 13 et 64, 1 et praeterea Abd. 6; repetitio illa בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר legitur pariter in utraque parte 28, 19 et 50, 4; גֶּזַע solum habetur 11, 1 et 40, 24 et Iob 14, 8; phrasis נִדְחֵי יִשְׂרָאֵל non legitur nisi in utraque parte Isaiae 11, 12 et 56, 8 et praeterea Ps. 147, 2; idem cernitur in דֳּמִי 38, 10; 62, 6. 7 et Ps. 83, 2; locutio יָבֵשׁ חָצִיר deprehenditur 15, 6 et 40, 7. 8; pariter phrasis יְמֵי קֶדֶם 23, 7; 37, 26; 51, 9 quae ceteroquin non frequens est; acute dicta, uti non-lignum, non-homo, non-argentum, non-panis utraque in parte inveniuntur 10, 15; 31, 8; 55, 1. 2; לִמּוּד invenitur quater apud Is. 8, 16; 50, 4 (bis); 54, 13; alibi non occurrit nisi bis apud Ieremiam; uti 30, 11 ponitur forma inusitata מִנֵּי bis, ita bis מִנֵּי 46, 3. Vox מָשׂוֹשׂ una est ex frequentioribus apud Isaiam; in septemdecim locis invenitur in s. Scriptura, ex quibus decem sunt apud Is. pariter in utraque parte : 8, 6; 24, 8 (bis). 11; 32, 13. 14; 60, 15; 62, 5; 65, 18; 66, 10. Locutio *signum elevare* quae adeo familiaris est Isaiae (5, 26; 11, 12; 13, 2; 18, 3) etiam in altera parte non deest 49, 22; 62, 10; vox נֵצֶר solum legitur 11, 1; 14, 19 et 60, 21 et praeterea apud solum Danielem 11, 7. Phrasis סְעִפֵי הַסְּלָעִים et 2, 21 et 57, 5 et similis locutio solum in libro Iudicum (15, 8. 11) reperitur; סִקֵּל *lapides removere* pariter legis 5, 2 et 62, 10 neque alibi haec notio reperitur; סָרָה ex octo locis quater apud Isaiam legitur et quidem pariter in parte utraque 1, 5; 14, 6; 31, 6; 59, 13. Sollemni modo Deus in utraque parte vocatur עֹשֶׂה 17, 7; 27, 11; 29, 16; 44, 2; 45, 18; 51, 13; 54, 5. Pariter utrobique invenies hithpael verbi פָּאַר 10, 15; 44, 23; 49, 3; 60, 21; 61, 3; quae forma praeterea non reperitur nisi bis Ex. 8, 5. Iud. 7, 2. Eodem modo in utraque parte legitur formula sollemnis : *os Domini locutum est* 1, 20; 40, 5; 58, 14, quam locutionem frustra alibi quaesieris. Vox צֶאֱצָאִים solum occurrit quater in libro Iob (5, 25; 21, 8; 27, 14; 31, 8), et septies apud Isaiam, sed in utraque parte : 22, 24; 34, 1; 42, 5; 44, 3; 48, 19; 61, 9; 65, 23 et quidem utrobique in sensu proprio de germinibus et translato de posteris; צהל quater occurrit apud Isaiam (10, 30; 12, 6; 24, 14; 54, 1); praeterea in s. literis reliquis solum quinquies; phrasis de *flore deci-*

dente pariter utrobique legitur 28, 1. 4 et 40, 7. 8, neque alibi occurrit. Adiectivum צָמֵא decies in Scriptura reperitur; apud solum Isaiam quinquies : 21, 14; 29, 8; 32, 6; 44, 3; 55, 1. Rarioribus verbis quae tamen in utraque parte leguntur accenseri quoque debent : צַנִיף 3, 23; 62, 3 et צִפְעֹנִי 11, 8; 59, 5; et pro Aegypto רַהַב 30, 7; 51, 9. In utraque parte iungitur שָׂשׂוֹן וְשִׂמְחָה 22, 13; 35, 10; 51, 3. 11; utrobique *Saron* regio amoenissima comparationibus instituendis inservit 33, 9; 35, 2; 65, 10; verbum שָׁפֵל quod in priore parte frequens occurrit (2, 9. 11. 12. 17; 5, 15; 10, 33; 13, 11; 25, 11. 12; 26, 5; 29, 4; 32, 18) etiam in altera parte non deest 40, 4; 57, 9; idem dic de תִּפְאֶרֶת quod in priore parte novies, decies in altera legitur etc. etc.

Neque omitti debet singularis ille usus apud unum Isaiam obvius qui in utraque parte cernitur, ut scil. יֹאמַר יהוה sermoni inseratur et verbum in forma temporis imperfecti efferatur : 1, 11. 18; 33, 10; 40, 25; 41, 21; 66, 9 [1]. Adde locos sat multos parallelos; compara v. g. inter se : 28, 5 et 62, 3; 29, 18 et 42, 7; 30, 26 et 60, 19; 33, 24 et 45, 25; 11, 7-9 et 65, 25; 6, 10 et 44, 18; 8, 20; 9, 1 et 58, 8; de ablatione veli 22, 8 et 47, 2; urbs tabernaculo comparata 33, 20 et 54, 2; calamitas magna confertur ebrietati 19, 14; 29, 9 et 49, 26; 51, 17. 21 etc. In utraque parte cantica inseruntur; v. g. 12, 1; 24, 14; 25, 1; 26, 1; 42, 10; 44, 23; 45, 8. 15; 49, 13; 51, 9; 52, 9; 61, 10; 63, 7 seq. 66, 10. De alia dictionis proprietate, qua in fine versus vox quaedam ex medio versu cum ictu repetitur, monuit *Delitzsch* (in comment. a *Hahn* edito); vide v. g. 1, 7; 4, 3; 14, 25; 15, 8; 40, 19; 42, 15. 19; 53, 7; 55, 4; 58, 2.

Magna quaedam affinitas cernitur praeter alia inter cap. 1 et alteram partem, ita ut *Naeg.* asserere non dubitet, si cap. 1 Isaiae attribuatur, etiam cap. 40-66 eidem necessario esse adscribenda. Huius similitudinis exempla duodecim *Seinecke* quoque affert. Adest ea et in sententiis et in verbis. Uti v. g. 1, 2 coeli et terra sollemniter invocantur, ita 44, 23 et 49, 13; uti Israel 1, 6 describitur quasi homo leprosus et percussus, ita cap. 53 servus Domini; cultus mere externus gravissime reprehenditur 1, 13 et 66, 3; peccata commissa et manus sanguine plenae efficiunt, ut Deus orationes aversetur 1, 15 et 59, 2. 3;

---

1. Demonstrare voluit *Ges.* hunc usum alibi quoque inveniri et allegavit Ier. 42, 20. Os. 2, 25. Zach. 13, 9. Sed quanta cum oscitantia loci hi plane alieni citentur, ex obvia lectione statim patet : Ier. 42, 20 : iuxta omnia quae *dicet Dominus* annuntia nobis; Os. 2, 25 : et ipse (populus) *dicet : Deus* meus; Zach. 13, 9; et ipse (populus) *dicet : Dominus* Deus meus ! — Concedit *Orelli* eum modum qui in utraque parte inveniatur esse Isaiae proprium (p. 131).

utrobique fit invitatio ad disceptandum cum Deo 1, 18 et 41, 1 ; bona (terrae) comedenda promittuntur 1, 19 et 55, 2 ; Ierusalem mater populi tamquam mulier infidelis reprehenditur 1, 21 et 50, 1 ; sed in instauratione urbs fidelis vocabitur 1, 26 et 62, 12 ; 1, 29 : « confundentur enim a terebinthis quibus delectati sunt et erubescetis super hortis quos elegeratis » ; quae singula denuo proponuntur 42, 17 ; 57, 5 ; 65, 3 ; 66, 17. Verba si spectare volueris, habes שָׁבִים eodem sensu 1, 27 et 59, 20 ; עֹזְבֵי יהוה 1, 4. 28 et 65, 11 ; פֶּשַׁע 1, 2. 28 et 43, 27 ; 46, 8 ; 48, 8 ; 53, 12 ; 66, 24 ; alia quoque verba apud Isaiam leguntur in cap. 1 et in altera parte solum vel etiam iis in capitibus quae a recentioribus multis esse Isaiae negantur ; sat multa, nempe plus quam quadraginta recenset *Naeg.* (p. XXIX). Cum igitur talis adsit similitudo in sententiis et in verbis inter cap. 1 et cap. 40-66, valide confirmatur opinio (quam supra quoque proposui) eorum qui censent primum caput a propheta toti libro tamquam summam quandam argumenti esse praemissum ; ita enim primum caput et ultima capita magna illa inter se similitudine cohaerent et integrum librum ab Isaia esse compositum pro sua parte valide testantur.

Ipso igitur dicendi genere satis id confirmatur quod variis rationibus aliunde petitis supra demonstratum est, Isaiae librum integrum iuremerito adscribi. Quam sententiam non solum interpretes catholici tenent — solus *Schegg* alteram partem quod res et argumentum spectat ad Isaiam, quod genus dicendi attinet ad Isaiae quendam discipulum referendam esse opinatus est —, sed etiam multi ex acatholicis v. g. *Hengstenberg, Kleinert, Haevernick, Drechsler, Keil, Hahn, Stier, Hosse, Delitzsch, Loehr* (cf. *Keil*, Einleitung §. 71 ; *Loehr,* Zur Frage über die Echtheit von Jesaias 40-66 ; Berlin 1878), *Horne* (An Introduction to the critical study and knowledge of the Holy Scriptures 10 edit. II p. 853 seq.), *Kay* (The Speaker's Bible, Commentary on Jsaiah, p. 13 seq.), *Naegelsbach,* qui de usu verborum iu utraque parte omnium diligentissime inquisivit (Der Prophet Jesaja, praesertim p. 769-792 per modum lexici exhibet quae sit singulorum verborum in oraculis occurrentium habitudo et ratio, si partes Isaiae ab omnibus admissae cum dubiis vel impugnatis comparentur).

LIBER ISAIAE

PARS ALTERA CAP. 38-66.

Altera haec Isaiae prophetae libri pars quattuor sectionibus continetur. Primo enim praefationis loco narratur qua occasione exsilium babylonicum fuerit praedictum et indictum, cap. 38 et 39, et ita apte via sternitur ad ipsa vaticinia, quibus liberatio ex illo exsilio et cuius est haec liberatio solum praeformatio quaedam ac typus, liberatio messianica potissimum celebratur. Haec vero ipsa oracula triplici serie absolvuntur secundum tria illa quae 40, 2 annuntiantur : completus est labor, dimissa est iniquitas, suscepit de manu Domini duplicia. Hi enim sermones a cap. 40 et deinceps a propheta ipso in tres quasi ordines dividi videntur qui versu uno recurrente separantur ; ita 40-48 ; 49-57 ; 58-66, atque eorum argumentum praecipuum triplici illa descriptione de labore finito, de expiata culpa, de donis Dei praeclaris egregie exprimitur ; id quod ipsa explanatione erit ostendendum.

I. — QUA OCCASIONE EXSILIUM BABYLONICUM SIT INDICTUM. CAP. 38-39.

ARG. — Ezechias gravi morbo laborans mortique iam proximus humili sua ad Deum supplicatione obtinuit, ut anni quindecim vitae adderentur, in cuius promissionis pignus et fidem umbra in horologio Achaz per decem lineas retro conversa est (38, 1-8). Ipso autem Ezechiae carmine discimus quibus curis doloribusque in morbo fuerit vexatus (38, 9-17) et quam grato animo vitae donum a Domino acceperit et ad eius laudem et gloriam illud impendere decreverit (38, 17-20). Verum promissis non usquequaque stetit. Cum enim Merodoch Baladan legatos ad eum misisset (foederis ineundi causa contra Assyrios) Ezechias familiariter eos adhibuit omnesque thesauros suos eis ostendit (ut se validum ac potentem esse socium contra Assyrios probaret dignumque cui rex Babylonis amicitia iungeretur ?). Qua de re acriter reprehensus ab Isaia audit annuntiari exsilium babylonicum ; quem durum nuntium animo submisso atque in Deum pio accipit (39, 1-8).

Quod duo haec capita spectat, cur hoc loco et eo in nexu ea ponenda esse censeam, paucis erit demonstrandum, cum non defuerint qui eum ordinem impugnarent (cf. *Scholz*, Commentar zu Ieremias, p. XXVI). Contra quos duo sunt ostendenda: haec duo capita uti arcte inter se cohaerent, ita ab antecedentibus separari, ad subsequentia autem viam sternere. Quae si probata sunt, divisio quoque quae proposita est vindicatur. Atque de priore quidem, scil. haec capita arcto vinculo inter sese connecti, quomodo quis dubium moveri possit, plane non intelligo. Exprimitur enim illud vinculum in ipsa narratione, cum 39, 1 altera relatio ad primam adnectatur non solum eiusdem temporis designatione verum etiam eo quod morbus Ezechiae tamquam causa afferebatur, cur rex Babylonis mitteret legatos: « audierat enim quod aegrotasset et convaluisset ». Id quod in loco parallelo 2 Par. 32, 24-31 etiam magis effertur. Ibi enim enarrato beneficio quod Deus regi praestitit statim additur : « sed non iuxta beneficia quae acceperat retribuit quia elevatum est cor eius et facta est contra eum ira et contra Iudam et Ierusalem » ; verum cum postmodum humiliaretur, non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiae. Nostram hanc spectari narrationem extra controversiam est. Culpa igitur Ezechiae inde potissimum repetitur quia tali beneficio a Deo donatus nihilominus a vera pietate defecerit ; unde ira Dei ei annuntiatur et gravissima exsilii poena. Ita ergo duo isti eventus revera arcte connectuntur, quia prius beneficium praestitum, verum non grato animo repensum causa est gravissimae castigationis annuntiatae. Sed non solum re inter se cohaerent, ipse quoque propheta nexum illum efferre voluit. Id enim patet non solum quia, ut iam dicebatur, 39, 1 legationem a morbo et sanatione repeti asserit, sed etiam eo potissimum, quia tam diligenter refert quam graviter Ezechias in grati animi signum pietatem se servaturum et gloriam Dei annuntiaturum spoponderit ; unde cur adeo severe sit reprehensus et post lapsum tam gravi poena oneratus demum explicatur.

Haec autem duo capita a superioribus plane esse separanda, iam eo elucet quia ad tempus anterius referuntur. Morbum enim Ezechiae evenisse ante invasionem assyriacam atque etiam legationem, demonstratur 38, 6 et 39, 2. 6 (quae vide in explicatione subiuncta). Separari a superioribus haec capita etiam eo certum est quod 37, 38 invasio assyriaca ita absolvitur eiusque narratio ad finem perducitur, ut ea ipsa commemorentur quae compluribus post annis demum facta sunt ad oraculum implendum et ad Dei protectionem in avertenda invasione ostendendam. Quis non videt 37, 38 narrationem de invasione Assyriorum plane concludi ? Si autem illa absolvitur, eo ipso concedendum erit, a cap. 38 aliquid novi inchoari. Sed, obiicit *Scholz*, Isaias singulas libri sectiones

hymno solet concludere (cf. cap. 12. 27), ergo hymnus in cap. 38 prolatus pertinet ad antecedentia. Utique minime nego victoriam de Assyriis reportatam argumentum esse praeclarissimum hymni ; neque nego futurum fuisse ut valde mihi placeret, si Isaias post cap. 37 hymnum addidisset laudis et gratiarum actionis pro tanto Dei facinore eum fere in modum, quo habentur psalmi 17. 47. 75 (canticum ad Assyrios ?) aliique. At talem hymnum qui de clade Assyriorum laudes Deo canit apud Isaiam non invenio neque ullum fore censeo qui in cantico Ezechiae talem hymnum deprehendat vel putet illud eo consilio ab Isaia fuisse adscriptum et ea de causa mentionem iniectam de regis aegritudine.

Haec vero duo capita, uti inter se sunt connexa et ab antecedentibus separata, ita spectare ad subsequentia iisque quasi viam parare, non poterit in dubium vocare is qui perpenderit annuntiari 39, 6 exsilium babylonicum, a cap. 40 autem et deinceps reditum ex illo promitti et describi. Cum igitur haec duo ita iuxta se sint posita, cur ea sine consilio esse coniuncta dicemus ? Aut nonne ipsum cap. 40 ut intelligatur supponit exsilium illud iam annuntiatum et declaratum ? Nisi enim praecessisset cap. 39, de quo reditu, de quo labore finito etc. propheta loqueretur, nemo intelligeret ; nemo perspiceret, cur via paranda sit in deserto, et complura alia. Dein si propheta liberationem ex exsilio vaticinatur, eo ipso exspectamus ut ipsum quoque exsilium fore dicat explicite, sicut dixit v. g. Osee (2, 14 seq. 3, 4), Michaeas (2, 10 ; 4, 10).

Atque talem intercedere nexum inter ea capita iam veteres bene adverterunt et adnotarunt. Audiatur v. g. *S. Cyr.* : « cum ultimam iudaicae terrae captivitatem ipsorumque adeo Ierosolymorum commemorasset oratio, tempestive veluti et utiliter deinceps factam a Deo consolationem iam induxit et necessario...quando igitur ultimae captivitatis mentionem fecit, cum omnes regum Iudae thesauros capientes Babylonii redierunt in terram suam, necessario etiam post haec consolationis factae videlicet per Christum praedictionem facit » ; et *Euseb.* quoque advertit : Deus suo populo prospiciens praecipit ut populum suum consolentur, postquam illa est annuntiata calamitas. Neque minus clare et distincte rem proponit *Pintus* : « praedixerat Isaias omnes divitias regis Iuda auferendas esse et a Babyloniis in Chaldaeam asportandas... sed ne Hebraei videntes se inter gentes magnis aerumnis, incredibili ignominia et misera captivitate oppressos peccatis suis desperationem adhibentes a vera religione deficerent, consolatur eos Deus praecipitque divinis vatibus » etc.; ita scil. *Pint.* orditur explicationem cap. 40 ; sim. *Sanct.* : « quia in fine cap. 39 severo nuntio de babylonico ad Iudaeorum praedam adventu populum compunxerat, nunc proposito felici atque expedito in patriam ex Babylone reditu eundem consolatur » et eundem fere in modum statuunt nexum *Lap. Mar.* ad quos e recentioribus accedunt *Schegg,*

Rohl. Drechsl. Del. Naeg. aliique. Veteres quoque Iudaeos nexum statuisse suo utique modo, testes sunt *Euseb.* et *S. Hier.* qui referunt ideo ex eorum sententia Deum consolationis verba populo fieri iussisse, quia Ezechias solum pro se rogasset. Similem nexum etiam adesse censet *S. Ephr.*, quia Ezechias non petiisset ut ira Dei recederet a filiis suis, ideo Isaiam annuntiasse liberationem a Domino concedendam iustis synagogae veteris. — Unde nexum eum quem indicavi revera adesse rationes clamant e rei visceribus petitae et ab interpretibus veteribus et recentioribus agnitae et approbatae.

a) **Aegritudo et sanatio Ezechiae 38, 1-8.**

v. 1 « *In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta et dixit ei : haec dicit Dominus : dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives* » ! — hoc loco collocandum est illud *in quartodecimo anno regis Ezechiae* (36, 1) et *dies illi* ad hoc tempus referri debent. Morbus Ezechiae v. 21 designatur voce שְׁחִין, quae usurpatur de ulcere inflammato (cf. Ex. 9, 9. 10, Lev. 13, 18. 19) et de carbunculis in cute hominis ortis (cf. *Ges.* Thes. p. 1389). Iubetur *disponere* i. e. res suas domesticas et regias componere (*Sanct.*) et suis suam de iis rebus declarare voluntatem. De eo quod mors eius adeo certo praedicitur, notat *Sanct.* : « solet Scriptura significare id esse futurum quod rerum natura fert ut fiat, etiamsi Deus naturae vim et efficaciam impediturus sit... sic ergo periturus erat morbo ingravescente Ezechias, neque enim medicina erat ulla quae vim mortiferae qualitatis frangeret » vel uti *S. Thom.* explicat : « causae inferiores et naturales ad mortem eius ordinatae erant, quantum ad illas iamiam erat moriturus » (sim. *S. August.* de Genesi ad lit. 6, 17 ; *M.* 34, 351. *For. Lap.*), unde alii dicunt revelationem factam esse secundum divinam praescientiam prout haec respiciat, non futura contingentia in se ipsis, sed ordinem causarum ad effectus ; neque tamen propterea vaticinium falsum dici posse ; nam eius sensum esse, talem esse dispositionem causarum, ut talis effectus eveniat (cf. *Pint.*). Ergo applicanda erit norma illa, quam apud Ier. 18, 7 seq. et Ez. 33, 13 seq. legimus, scil. adesse vaticinia absolute edita quae tamen conditione quadam supposita intelligi debeant (cf. quae notavi ad Ioel 2, 1. 19 ; 3, 10. Hab. 2, 3). Immisit ergo Deus morbum regi et talem nuntium ei afferendum curavit, quo magis benignitas Dei regisque in Deum pietas illustraretur. Haud inepte aliqui comparant vaticinium Ionae contra Ninivitas editum.

Bene intellexit Ezechias praedictiones eiusmodi minaces ita fieri, ut tamen implorata Dei misericordia res ad alium exitum converti possit ;

quare v. 2 « *et convertit Ezechias faciem suam ad parietem et oravit ad Dominum* v. 3 *et dixit : obsecro, Domine, memento quaeso quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno* » ; — ad parietem convertitur, ut oculis ab omnibus qui illum circumsistebant remotis mentem magis liberam et solutam in Deum intenderet et attentius oraret (cf. *Osor. Mald. For. Pint. Malv. Men.*); praeterea qui moerore tanguntur, quietem ac silentium exquirere solent. Deo exponit quomodo in vita sua privata ac publica et verae pietatis sensibus animum informaverit et quae Deo placita sunt opere sit exsecutus; fideliter enim et constanter (in veritate, in fidelitate) et corde non diviso neque titubante (cf. 4 Reg. 18, 3-7. 2 Par. 29-31) Dei causam egit, idola destruxit, cultum Dei promovit. Quare iis innixus magna cum fiducia a Deo efflagitare potest, ut quae Deus piis promiserit sibi non adimantur. Nam iis qui legem Dei fideliter opere exsecuti fuerint, ex norma veteris foederis vita prospera et diuturna erat promissa; cf. Deut. 5, 33 : ut vivatis et bene sit vobis et protelentur dies in terra possessionis vestrae. De peccatoribus et sceleratis dictum erat eos morte praematura iri abreptum; cf. Ps. 54, 24 : viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos; quare cur Ezechias de morte immatura doleat facile concipitur, erat enim, cum annos viginti quinque natus regnare coepisset, anno aetatis trigesimo nono. Addunt plerique sequentes *S. Hier.* eum praecipue etiam flevisse « propter promissionem Domini ad David quam videbat in sua morte perituram ; eo enim tempore Ezechias filios non habebat; nam post mortem eius Manasses, cum esset duodecim annorum, regnare coepit in Iudaea » (*S. Hier.*); sed haec ratio valde incertis nititur fundamentis ; nam ex eo quod Manasses demum in regno subsecutus est, non sequitur alios regis filios non adfuisse ;cogita de Davide qui Salomonem regem instituerit filium iuniorem, dum alii aderant filii aetatis provectioris. Vix credibile videtur Ezechiam triginta octo annos natum e compluribus uxoribus ne unum quidem habuisse filium. Supplicatio ad Deum brevibus quidem verbis continetur, sed est affectibus plena et propter lacrimarum vim quam maxime eloquens et post nuntium mortis acceptum ipsa sua reticentia optima voluntatis et desiderii coram Deo explicatio.

De iis qui vera fide ad Deum confugiunt dicitur : ad vocem clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi (30, 19); unde v. 4 « *et factum est verbum Domini ad Isaiam dicens :* v. 5 *vade et dic Ezechiae : haec dicit Dominus Deus David patris tui : audivi orationem tuam et vidi lacrimas tuas; ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos,* v. 6 *et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam et*

protegam eam »; — atque quam prompte audierit Dominus vocem fletus et deprecationis, 4 Reg. 20, 4 effertur: antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii factus est sermo Domini ad eum : revertere et dic Ezechiae... Exspectasse videtur Deus orationem et lacrimas regis, ut eum beneficiis cumularet; vult enim Deus exorari, cupit, ut precibus nos disponamus ad gratias ipsius accipiendas. Quam gratae sibi sint obsecrationes et lacrimae i. e. orationes fervidae, eo quoque declarat quia audivisse, vidisse eas dicit. Non solum regni tempus ei promittit, sed etiam protectionem regni. Id autem fieri indicat *propter David,* quia se explicite Deum David patris eius nominat; idque merito; fecit enim Ezechias quod erat bonum coram Domino iuxta omnia quae fecerat David pater eius (4 Reg. 18, 3), quare iure praecipuo ut promissiones Davidi factae in eo quoque implerentur promeruit; ceterum vide ad 37, 35. David non sine laude Ezechiae pater eius dicitur; est vere pater quia filius in se patris exemplum exprimit, dignus scil. propter morum similitudinem qui sibi talem religiosum patrem adscriberet (*Euseb.*). Apte ad rem monet *Pint.* :« hic vides quantum valeat apud Deum oratio cum lacrimis coniuncta; concessit illi Deus quindecim annos vitae quod ille non postulaverat et promisit eum liberaturum de manu Assyriorum quod ille non petierat; ubi aspicis plus Deum nobis tribuere quam petamus ». Cum adeo explicite dicatur *de manu regis Assyriorum eruam te,* periculum tale intelligitur quod demum regi et urbi ita imminet, ut vere timeri possit ne manu regis Assyriorum capiantur, ergo periculum quod non quasi e longinquo minetur, sed quod ita ad regem urbemque accedat, ut eo iamiam interire videantur. Haec sane est vis *de manu..*; id quod dici nullatenus potest de tempore illo quo Sennacherib longe a Palaestina « in Ninive habitavit » non iam consilia volvens belli iudaici. Adde quod hac locutione in antecedenti narratione s. auctor constanter usus est de vero periculo imminente (cf. 36, 15. 18. 19. 20; 37, 10. 20), ita v. g. in summo periculo iam constitutus et minis regis Assyriorum quasi oppressus orat Ezechias : salva nos de manu eius ! Quare ex hoc iam loco certum est, aegritudinem contigisse ante cladem assyriacam; id quod plerique quoque bene agnoscunt; ita *Sanct.* : « et hoc mihi videtur omnino dicendum; nam quod prius narretur strages exercitus assyriaci, parum incommodat, quia per prolepsin claritatis causa plurima ante suum tempus commemorari solent »; sim. *For. Lap.* qui falli dicit Iosephum (Antiq. 10, 3) scribentem haec post cladem contigisse; liberationem enim urbis et cladem Assyriorum v. 6 promitti; sim. *Sa* (ad 4 Reg. 20, 1), *Malv. Gord. Tir. Calm.* (ad 4 Reg.), *Schegg, Net. Loch, Rohl. Danko* (Histor. revel. V. T. p. 385), *Troch.* etc. Hoc valide confirmatur 39, 2. 6; id quod vide.

Etiam in hac narratione Isaias ad propositum suum properans consilium rem non fuse refert (fusius habes in 4 Reg. 20, 8 seq.) sed summa solum capita tangit, ex quibus Dei in Ezechiam gratia elucet; v. 7 « *hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est :* v. 8 *ecce ego reverti faciam umbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat* »; — quid valeat *signum,* vide ad 7, 11. Conceditur a Deo quo maiore fide et alacritate promissa Dei quae tempus futurum spectant concipiantur ; sunt subsidia spei maxime firmae et Dei in suos amorem et curam praeclare ostendunt. Praeterea docent, Deum velle promissa hac ratione et hoc quasi sigillo data implere ita, ut illorum exsecutio a nulla dependeat conditione. Id vero efferre hoc loco eo magis e re esse videri potest, quia immediate antecedit vaticinium (v. 1) quod locutione quidem absolute proferebatur, at non ita intelligendum esse ipse docuit rerum eventus. Ergo conveniens erat, ut alterum vaticinium Deus signo quasi sigillo firmaret. Et ea de causa etiam Ezechias signum petiit (v. 22; 4 Reg. 20, 7). Eo concesso simul prophetae auctoritatem et splendorem confert Deus publice et sollemniter declarans eum legatum divinum secundum normam de prophetis promulgatam (Deut. 18, 22). Signum autem in eo consistit, ut umbra in gradibus Achaz revertatur decem gradibus ; ita enim ex hebr. vertendum est : *ecce ego revertere faciam umbram graduum, (per) quos descendit in gradibus Achaz per solem, retrorsum per decem gradus ; et reversus est sol decem gradibus in gradibus (per) quos descenderat*; notat *S. Hier*. ad suam versionem : « datur autem signum ut sol decem gradibus revertatur, quos nos iuxta Symmachum in *lineas* et *horologium* vertimus, qui gradus intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret ». Si hoc loco *sol* dicitur reverti, quomodo id ex mente s. auctoris sit intelligendum, elucet ex eo quod initio dictum sit *reducam umbram,* dein ex eo quod 4 Reg. 20, 9 legatur : vis ut ascendat *umbra,* an ut revertatur?... facile est umbram descendere, volo ut revertatur... Dominus *reduxit umbram*; sol proinde dicitur reversus esse quatenus umbra quae sole effici ac dirigi solet reversa est. Ita verba esse concipienda vel posse concipi ex veteribus iam docuerunt *Vat. Paulus Burgensis, Arias Montanus, Sa, Sanct.*; unde sol dicitur reverti, quia conditio solis prout exhibebatur ope umbrae in gradibus Achaz talem praebebat statum. Eodem modo explica Eccli. 48, 26 : « in diebus eius retro rediit sol » scil. quia umbra qua solis motus qui apparet designatur retro rediit. Quomodo phaenomenon istud effectum sit, dici non potest; quomodo effici potuerit, explicari potest refractione radiorum solis

tali [1] qualis requirebatur ut aspectus ille oculis obiiceretur; refractionem fieri variam secundum variam naturam (raritatem, densitatem) corporum vel aeris per quae radii transeunt, omnes norunt; talem igitur refractionem hoc loco Deo volente modo miraculoso esse effectam certum est; quibus causis secundis Deus usus sit vel an iis usus sit nescimus. Sufficit rem ita esse visam in gradibus Achaz.

Quinam fuerint gradus Achaz, in dubio erit relinquendum. Voce ipsa *graduum*, dein quod umbra dicitur descendere, sese extendere, quod LXX habent ἀναβαθμούς οὓς κατέβη ἡ σκιά, eorum commendari videtur sententia, qui censent in fastigio collis rotundi columnam vel obeliscum fuisse positum ita ut eius umbra in gradus (per quos quaquaversus ascendebatur ad summitatem) proiiceretur et variae diei partes ex longitudine et loco umbrae indicarentur. Eiusmodi obeliscus qui umbra sua diei tempus indicabat positus erat in campo martio romano. Cum regi optio detur, utrum velit umbram ascendere decem gradibus an totidem revertere, planum est adfuisse ad minimum viginti gradus et tali diei tempore optionem esse oblatam, quo umbra in medio scalae illius consistens paulatim descendebat; unde rex dicit umbram descendere vel sese reclinare et extendere (4 Reg. 20, 10) rem fore non adeo miram, propterea eligit ut umbra revertatur vel per gradus per quos descenderat iterum ascendat. Atque ad hanc sententiam de obelisco in summitate graduum vel scalae posito plerique recentiores accedunt (cf. *Kn. Del. Roskoff* in Schenkel, Bibell. V p. 576, *Rohl. Troch.*) eamque etiam veterum aliqui indicant.

Illam indicare videtur *S. Cyr.* scribens : « dicunt Achaz in domo sua velut machina et arte quadam gradus quosdam confici curasse qui velut horas numerarent et cursum solis decursu umbrae in illis factae metirentur » ; ita quoque praeter aliam de gnomone sententiam *S. Hier.* : « sive ita exstructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens horarum spatia terminaret ». Eandem sententiam confirmare videtur *Chald.* ad 2 Reg. 9, 13, quo in loco in hebr. servi dicuntur stravisse vestimenta אל גרם המעלות super ipsos gradus et *Chald.* explicat דרג שעיא gradum horarum (die oberste Stufe dieses Stundenzeigers; cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 501). Nostro autem loco *Chald.* praebet *umbram lapidis horarum,* qua expressione potius horologium alio modo constructum innuitur, quod ad horologia solaria accedat. Atque revera voces aeque bene ad gnomonem eiusque caesuras quibus horae indicantur adaptari possunt. Nam caesurae illae et lineae per quas umbra gnomonis transit

---

1. Narrant die 27 mensis Martii 1703 in urbe Metensi (Metz) umbram in horologiis solariis refractione radiorum in aere facta ita rediisse, ut una hora et dimidia esset discrimen veri temporis ab eo quod in sciathero designabatur ; cf. *Schegg.*

possunt *gradus* vocari, totum autem horologium facile ex parte hac idem nomen per synecdochen sortiri poterat. Neque obstat quod de *descensu* umbrae sermo fit; cum enim *descendere* dicatur de diei tempore ad finem vergente, eadem vōx ad umbrae motum qualiscumque demum in horologio apparebat facile applicabatur (cf. Iud. 19, 11). Quare difficultas quam contra hanc acceptionem ex voce *descendere* aliqui movent (cf. *Kn.*) nulla est. Cum autem viginti gradus commemorentur, gradus vel lineae non horis sed minoribus temporis spatiis correspondebant. Apud veteres constans est opinio Babylonios eiusmodi horologia solaria in usum induxisse, id quod cum Chaldaei computationibus astrologicis iam antiquitus multum operae impenderent, satis est probabile; vide de ea re Herodot. 2, 109; ceterum quae veteres de horologiorum inventione, usu, forma tradunt, vide inter alia *Ugolini,* Thes. antiq. t. 3 p. 223, *Calm.* de retrogradatione solis in horologio Achaz, t. 1 dissertat. p. 535 edit. Wirceburg. Rabbini horologii rationem ita describunt : concavus erat atque hemisphaericus globus, alterum in medio complectens globum, cuius umbra in varias lineas in cavitate notatas incidebat quae lineae erant 28 numero (cf. *Calm.* l. c. p. 536). Atque tale horologium vel simili modo institutum, scil. gnomone instructum variisque lineis vel caesuris incisum multi intelligunt (cf. *Vitringa, Mald. Osor. Malv. For. Sanct. Lap. etc. Schegg, Ges. Hitz. Umbreit, Keil, Drechsl.*). Plura de veterum horologiis invenies apud *Petavium,* dissertationes var. in Uranolog. lib. 7 cap. 7-9.

Ceterum signo hoc umbrae revertentis apte designantur anni vitae Ezechiae additi postquam naturali morbi vi iam ad finem vergere coepit, « ut quomodo sol reverteretur ad exordium sui, ita et Ezechiae vita ad detextos annos rediret » (*S. Hier.*) vel, « ut Ezechias ab occasu vitae ad secundam vitam remigraret » (*Euseb.*).

b) **Angustiae Ezechiae aegrotantis 38, 9-17.**

Quo magis eluceat quale beneficium regi sit praestitum a numine benigno et quantopere illud animo gratissimo a rege rependi debuerit, nobis ipsum illud carmen quo rex miserrimam suam conditionem ex qua demum ereptus sit et animi grati sensus et consilia egregie descripsit, a propheta communicatur. Ita enim ab ipso rege discimus, quali beneficio sit affectus, et quid Deo rependere proposuerit — id quod omni narratione vehementius animos pulsat — ergo facilius quoque et efficacius cur rex a proposito discedens graviter sit reprehensus in animum inducimus. Unde perspicitur quam arcte carmen [1] hoc connexum sit

1. Ad explicationem nota praeter commentatores Isaiae : *Agellii* Comment. in Psalmos, Romae 1606 p. 665, *De Muis,* comment. in Psalmos et Cantica, Parisiis 1630 p. 879.

cum eo quod Isaias sibi proposuerit. v. 9 « *Scriptura Ezechiae regis Iuda, cum aegrotasset et convaluisset de infirmitate sua* »; — carmen ab Ezechia esse conditum, inscriptione certo enuntiatur; utrum autem praeterea voce מִכְתָּב dicatur carmen hoc in rei memoriam esse publicis tabulis propositum aut marmori incisum (*Sanct. Lap.*) aut ex ipso illo scripto quod sua manu confecerit Ezechias ab s. auctore esse transsumptum (*Naeg.*) aut voce idem designari quod in ps. 16. 56-60 (hebr.) inscriptione מִכְתָּם (*Del.*), in ambiguo erit relinquendum, cum certae rationes desint quibus talia affirmentur. Canticum hoc ad psalmorum rationem prope accedit et non paucas metaphoras ex libro Iob deprompta offert. Neque id mirum. Ezechias enim uti cultum Dei restituit, ita musicam quoque sacram innovavit et praecepit levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph videntis, id est psalmis (cf. 2 Par. 29, 25 seq.); praeterea in sacris quoque libris colligendis et conservandis operam posuisse videtur, quia « viri Ezechiae regis Iuda » novam instituerunt parabolarum Salomonis collectionem (Prov. 25, 1). — Uti inscriptione fertur, affectus sensusque animi regis describuntur aegrotantis primum, dein restituti vel recreati certa prophetae praedictione.

Primum quod morituro occurrit dira necessitate moriendi indicta a propheta (v. 1 — eo enim tempore in tales regem erupisse singultus quam maxime probabile est), est illud quod medio in vitae cursu praematura morte sit abripiendus : v. 10 « *ego dixi : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi; quaesivi residuum annorum meorum* »; — hoc triste assiduo animo volvit; atque revera si in aetatis flore morte abripi omnibus durum videtur, id potissimum pio Iudaeo gravissimum videri debuit, quia pietati longa vita erat promissa. Bene rem tangit *S. Hier.* : « sancti implent dies suos, qualis fuit Abraham qui mortuus est plenus dierum in senectute bona; peccatores vero et impii in dimidio dierum suorum moriuntur, de quibus et psalmista loquitur Ps. 54, 25 ». Inferus, magnum illud mortuorum domicilium, tamquam grande palatium vel urbs optime custodita, ex qua nemo aufugere potest, portis instructus cogitatur; cf. Iob 38, 37. Ps. 9, 15; 106, 18. In altero membro significantius in hebr. *punitus sum residuo annorum meorum* i. e. eo privatus sum in poenam (sim. *Mald. Malv. For. Pint. Rohl.*) vel mihi subtractum residuum annorum, qui deberentur cursu rerum solito. Explica *quaesivi* cum dolore desidero, mihi deesse video.

Quomodo prius membrum ex hebr. vertendum sit, non adeo certum est. *Syrus* explicat eodem modo quo *S. Hier.* in mediis diebus meis et ita etiam aliqui recen-

tiores, exponentes vocem דְּמִי de *meridie* quo sol in medio coeli quasi immobilis stare ac *quiescere* videtur; ergo in meridie dierum meorum; vel de media vitae aetate qua vitae cursus quasi *subsistere* videtur (cf. *Ros. Hitz. Schegg, Troch.*). Verbum דָּמָה silere, quiescere, דְּמִי *quietem* dicit (cf. Is. 62, 6. 7. Ps. 83, 2); quare plerique vertunt *in quiete dierum meorum;* sed quomodo quies haec sit intelligenda, non consentiunt. Alii tempora regni quieta quae sibi promisisset Ezechias, exponunt (cf. *Ges. Drechsl. Kn.*), alii cursum dierum placidum qui morbo sit interruptus (*Del. Or.*), alii aetatis vigorem et robur, quippe quo quiete sine timore vivitur explicant (*Rohl.*), alii aetatem maturam qua in animo affectibusque iam *quies* sedata ebullitione iuvenili adsit (*Umbreit*). Sensum alium *Naeg.* verbo inesse contendit; cum enim דָּמָה *finem facere, perdere, destruere* significet, etiam דְּמִי eo sensu esse capiendum; vertit ergo : dixi in cessatione dierum meorum vel in excisione [1] dierum meorum : vadam ad portas inferi; audito ergo nuntio mortis iam credit finem adesse dierum; unde se ipsum quasi admonet : vadam (hebr. cum he paragogico). Neque veteres in voce vertenda unum sentiunt. Refert enim *S. Hier.* interpretatos esse *Aq. Sym. Theod.* in infirmitate et silentio dierum meorum, « pro quo LXX excelsum interpretati sunt ob literae similitudinem *rame* (רמי) pro *dame* (דמי) legentes, licet quidam *dame* sanguinem verterint, ut sit sensus : in sanguine dierum meorum, quando meus cruor, meus expetebatur interitus ». Advertit *S. Cyr.* LXX quidem vertisse *in excelso dierum meorum* alios autem interpretum edidisse ἐν ἡμίσει τῶν ἡμερῶν μου. Unde versio a *S. Hier.* proposita auctoritate non caret. *Bred.* adoptat lectionem LXX.

Alterum quod cogitatione mortis oblata mentem perturbat est bonorum huius vitae amissio ac spoliatio v. 11 « *dixi : non videbo Dominum Deum in terra viventium; non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis* »; — Dei favor et beneficia hisce in terris continuo collata et dulcis illa cum familiaribus et amicis consuetudo vitam reddunt gratam et iucundam; hisce duobus omnia vitae huius commoda facile concluduntur; haec iam pro se cessare et interire conqueritur. In Scheol enim cum homo ad vitae meritorumque terminum pervenerit et ex veteris foederis ratione ipsam in Deo beatitudinem assequi nondum possit, novis Dei beneficiis gratiisque minime donatur; quare communiter vita in Scheol tamquam satis tristis exhibetur : numquid mortuis facies mirabilia? numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam (Ps. 87, 11)? quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi (Ps. 6, 6)? Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? numquid confitebitur tibi pulvis aut annuntiabit veritatem tuam (Ps. 29, 10)? nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos quo tu properas (Eccl. 9, 10), terra est enim tenebrosa et operta mortis caligine, terra miseriae et tenebrarum et umbrae mortis (Iob 10, 21). Et merito quidem. Vita

---

1. Uti *Agellius* quoque et *De Muis* explicari posse censent.

enim utilis et proficua vel sibi vel aliis ibi iam non degitur, animi melioris conditionis desiderio impelluntur, verum cum nesciant quando demum beandi sint ipsum hoc desiderium aliquid triste in se habet; spes quidem adest et levamen affert; at in eiusmodi descriptionibus affectus sensusque hominis *psychologice* depinguntur et ita uti revera animos implent. Sed quis nesciat esse lamentantium et timentium ea solum percipere et verbis efferre quae molestiam creant? ita enim animus timore adstringi solet et quasi totus occupari, ut ad reliqua quasi caecutiat. Quare ex eiusmodi timoribus et lamentationibus solis *integram* de alterius vitae conditione doctrinam velle eruere non potest non esse nisi erroneum (cf. quae notavi ad Iob 3, 13). Etenim laetiora quoque et magis iucunda post mortem sperata esse a piis in vetere foedere, tum ex aliis rationibus certum est, tum Ps. 15, 11; 48, 16; 72, 24 et Is. 24, 23; 26, 19; 35, 10; 57, 1. 2; 61, 7 etc. colligitur. Verum haec laetiora non commemorantur neque in mentem venire solent, quando timore mortis subito animus percutitur. — Membrum alterum in hebr. *non aspiciam hominem ultra cum incolis orci* i. e. ex vocis etymo status quieti et flaccidi, iis scil. aggregatus.

Atque quam subito vita in medio cursu abrumpitur; suntne repentina morte omnia finienda? o sortem duram! hisce animus eius occupatur; unde v. 12 « *generatio mea ablata est et convoluta est a me tamquam tabernaculum pastorum; praecisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me; de mane usque ad vesperam finies me* »; — hebr. verte : *habitaculum meum divellitur et aufertur a me tamquam tabernaculum pastoris; convolvi sicut texens vitam meam, a licio me abscindit, a mane ad vesperam me conficies;* crescente affectu in ultimo membro Deum iam compellat. Vita quam tanti aestimat ei aufertur facillime tamquam res minimi momenti, sicut tabernacula pastorum vilia quae pro una nocte eriguntur, mox convelluntur, facile ad alia loca transferuntur; iam tela vitae eius finita est telamque convolvere cogitur, quia Deus vitam abscindit et ita quidem ut tela subito ab ipsis peniculis abscindatur. Altera hac comparatione vitam in medio cursu abrumpi, omnia sua opera et consilia infecta fieri, nihil ad perfectum adduci conqueritur. Intra unius diei spatium se iam esse conficiendum lamentatur, i. e. brevi post tempore.

Comparationes hae fere ex Iob petitae sunt : corpus tamquam animae domicilium Iob 4, 19; similiter de tabernaculo Iob 4, 21 (hebr.), de vita quae abscindatur Iob 6, 9; 27, 8 (hebr.) et 7, 6 : dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur. Ad eundem cum hebr. sensum etiam *vulg.* verba facile accommodantur. *Generationem* intellige de vitae tempore, uti *Mald.* dicit, est vita mea ad quam generatus sum ;

« aetas mea a me incredibili celeritate migravit et quasi tabernaculum pastoris loco mota est » (*Osor.* sim. *Mar. Malv. II. Sanct. Sasb. Lap. Men.*); quemadmodum textor praecidit telam, ita inopinato et praeter exspectationem mihi est moriendum (*Sasb.*); sed cum textor non soleat inopinato vel ad libitum telam abrumpere, comparationem potius in facilitate ac celeritate qua Deus vitae finem imponit collocaveris haud immerito et simul omnes curas omniaque studia hominis abrumpi rite intellexeris (cf. *Sanct.*). Id etiam clarius in seq. effertur : « dum adhuc ordirer telam, succidit me Deus, dum adhuc essem in principio aetatis meae » (*Mald.*) vel melius : dum multa animo designarem et vita comite facere constituerem, mediis in consiliis operibusque abripiendus sum (cf. *Lap. Men.*) et « adeo saevit in me morbus, ut ultra unum diem supervivere me posse desperem » (*Tir.* sim. *Malv. Mar. Lap. Men. Osor.*).

Ad textum hebr. haec nota : sensus non mutatur, sive דּוֹרִי accipis cum plerisque de habitatione mea (cf. *Mald. Malv. I. Vat. Net. Rohl. Troch. Ges. Kn. Del. Naeg. Or. Bred.*) vel de aetate et vitae tempore (*Sanct. Malv. II. For. Drechsl.*). Longe communior atque frequentior est notio aetatis, qua certa annorum periodus et etiam homines ea aetate viventes intelliguntur ; de notione habitationis vide Ps. 49, 20 (hebr.). Vox *generationis* intelligi debet de aetate vitae, uti plerique latini interpretes bene explicant ; quandoque ea notio voci hebr. דּוֹר inest quam h. l. aliqui adhibent : stirps ac posteritas mea ablata est (*Sanct. Tir.*) ; ex quo dolorem regis eo augeri volunt quod sine prole debeat e vita excedere. — Poterit in hebr. notio illa communis *aetatis* retineri ; neque obstat metaphorae ratio a tabernaculo depromptae, cum in affectu vehementiore comparationes non tam sedulo elaborari quam strictim indicari et audacter iniici soleant. — Difficilius in hebr. est alterum membrum. Textus *mas.* praebet קִפַּדְתִּי ; voci huic veteres notionem *praecidendi* tribuunt ; erit ergo vertendum : succidi sicut textor vitam meam (cf. *Mald. For. Malv. Mar. Calm.*), sed cum ipse rex non sibi mortem afferat, locutio haec non est apta. Quare recentiores aliam notionem voci subiiciunt vel *convolvendi, contrahendi,* scil. ut dicat se iam suas vitae rationes colligere, sicut textor texturam finitam convolvit, i. e. sese ad mortem proxime imminentem praeparare et ad illam migrationem convasare ; vel etiam notionem *evolvendi :* in eo sum ut vitam quasi telam texam et evolvam, ipse autem me abscidit (*Rohl. Naeg.*). Locutionem *succidi vitam meam* ita temperare student *Osor.* et *De Muis :* ego flagitiis meis mortiferum vitae meae vulnus inflixi ; sed haec ratio minime apta est. Si verbo notio asserenda est *praecidendi,* legendum erit verbum in forma passiva ; formam enim passivam h. l. veteres constanter exhibent ; ita *Syrus*, ita *Sym.* (συνεπέσθη) *Theod.* (ἐστενώθη ; cf. *Field,* Hexapl. ad h. l.), *S. Hier. Chald.* quare haud immerito *Bickell* rescribendum duxit *quppadti* (cf. Carmina vet. test. metrice p. 207). Ipse autem tres has sententias ita iungit : habitatio mea ablata est et migravit a me ; sicut tabernaculum pastoris convolutust sum ; sicut textor vitam meam è licio abscindit me ; nemo negaverit hoc modo e. concinnitati et parallelismo melius consuli quam in membrorum divisione recepta, Verbo קפד ex vocibus cognatis notio convolvendi potius quam alia inesse videtur

idque ex dialectis quoque chald. et syr. colligitur (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 375. 376; *Bernstein*, Lexic. syr. Chrest. Kirsch. p. 452) et ex modo quo *Syrus* ea verba reddit Iob 7, 5; 30, 30.

Tanta erat morbi vis, ut mortem brevi fore crederet v. 12 et iam vespere sibi esse e vita migrandum censeret. At non ita evenit v. 13 « *sperabam usque ad mane ; quasi leo sic contrivit omnia ossa mea; de mane usque ad vesperam finies me* »; — hebr. *complanavi* i. e. me compescui, patienter, aequo animo tuli (*For. Mar.* et recentiorum plerique, dum alii legendum esse censent שִׁוַּעְתִּי *clamavi*; ita *Kn. Bred.*); aegritudinis dolores et tristitiam se sustinuisse per noctem dicit sperans forte fore ut nova lux levamen afferat, ut est aegrotantium ab ipsa temporum mutatione solatium praestolantium. In quam rem bene monet *S. Hier.* de Iob 4, 7 : « quod et Iob in angustia sua atque in tormentis corporis sustinuisse se dicit, quando in die exspectabat noctem et lucem praestolabatur in tenebris, mutatione temporum putans mutari posse supplicia ». Sed frustra talis concipiebatur spes; morbi enim vis omnia penetrat, exedit, intima eius quasi corrodit et exhaurit, id quod imagine leonis [1] ossa conterentis declaratur, « quibus verbis ostenditur et doloris acerbitas et morbi gravitas » (*Sanct.*); vires eius omnes et animi et corporis debilitantur, exhauriuntur. Quis conterit? Deus, supplent multi; sed forte melius verbum accipies magis indefinite et impersonaliter, quasi dicatur : morbus, vis morbi vires depascens me conterit (cf. *Tir. Sasb. Sanct.*). Quare denuo Deum compellat : utique tibi fixum ratumque est brevi me ut conficias. Proin diu noctuque mortem imminentem timebat.

Suspiria sua et gemitus Deo proponit : v. 14 « *sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba; attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Domine, vim patior, responde pro me* »! — hebr. *sicut hirundo, grus, ita pipio* vel garrio, gemo (cf. *Mald. Mar. Osor. Malv. For. Calm.* et recentiores), *ut columba gemo;* habes in hirundine et columba suspiria, gemitus, voces querulas mussitatione prolatas; in grue autem doloris sonum acutum clamoremque. Quomodo igitur Ezechias acres dolores sustinuerit quibus ossa quasi conteri videbantur, exponit : suspirat, gemit voce plerumque submissa; quandoque tamen acuta doloris vox auditur. Mediis in doloribus maximo desiderio fertur in opem divinam; quare lacrimantibus oculis ad Deum spectat ; iam vi

1. Masoretae adnotant ad h. l. כָּאֲרִי bis inveniri et quidem בתרי לישני in duabus significationibus variis ; id quod ostendit ipsos Ps. 22, 17 non intellexisse, uti quidam recentiores vertunt ; de qua re vide *Cornely*, Introd. I p. 270.

morbi attenuati sunt et cum anxie ac sollicite in altum tollerentur, prae exspectatione fatigati iamiam deficiunt et quasi tabescunt (דַּלּוּ;pro qua forma alii legi volunt ut Iob 16, 20 דָּלְפָה). Desiderium suum intimum explicat : *Domine, oppressio mihi* (est), *sponde pro me* vel fideiube pro me i. e. morbi vi iam in eo est, ut absorbeatur et intereat; flagitat ergo ut Deus interveniat fide sua et benignitate, ipsum a morbo eripiat et in tuto collocet, in suam fidem recipiat. Suspirio hoc et morbi acerbitas et regis afflicti pietas egregie depingitur. Hodie legitur in *vulg. responde;* advertit Lucas brugensis in fontibus antiquis sat multis legi *sponde;* ita legunt *Iansenius, For. Montanus* et plures alii (*Sanct*).; verum utrum legas, haud multum interest, cum *respondere* eadem notione usurpetur qua *spondere* (cf. *Forcellini* s. v.). Advertit *Sanct.* : « sicut *vim pati* verbum est forense quod indicat aliquem opprimi et ita urgeri, ut nulla se ostendat salutis aut libertatis via, sic etiam *respondere* verbum forense est, quo patroni officium significatur ».

Monet *S. Hier.* : « pro pullo hirundinis sive *hirundine,* ut LXX transtulerunt, in hebr. scriptum est *sus agor* (סוּס עָגוּר) quod interpretatus est Aquila *equus agor,* Theodotio *sis agur* (סִיס); Symmachus autem *sicut hirundo inclusa;* quod verbum *agor* etiam in Ieremia legitur », apud quem 8, 7 ipse verba haec vertit *hirundinem et ciconiam.* Plerique עָגוּר exponunt *gruem* (cf. *Net. Schegg. Rohl. Troch. Ges. Drechsl. Del. Naeg.*) et vocem onomatopoicticam esse fere consentiunt, sicut apud Arabes kurki, apud Chaldaeos kurkeja, γέρανος, grus apud Graecos et Romanos (*Naeg.*). Alii tamen vocem explicant per modum adiectivi ad hirundinem positi; ita *Syrus* : ut hirundo garriens; ita *Chald.* ut hirundo capta et ex recentioribus *Kn.* qui literarum metathesi in auxilium vocata vocem a גער explicat et notione ex aethiopica adscita lingua demum ad significationem pervenit hirundinis querulae (uti apud Ovidium vocatur hirundo, Trist. 5, 1, 60 cf. Fast. 2, 855) vel flebiliter gementis (apud Horatium, Od. 4, 12, 5). Sed ambages istas per metathesin et per linguam aethiopicam pervagantes merito suspicionem movent; quid enim hisce et similibus non posset confici ? Aliis placet vocem explanare ex עכר *tristitia afficere.*

Deum advocaverat patronum contra morbi vim. [1] Sed ipse Deus morbum inflixit. Haec igitur post imploratam Dei opem animo eius obversantur, unde v. 15 « *quid dicam aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit ? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* » ; — i. e. cur Deum rogo ut me eripiat ? Num Deus contra se ipsum advocandus est in auxilium ? ipse morbum inflixit. Nihil ergo aliud relinquitur, nisi ut cum maximo animi dolore recolat quam celeriter vitae anni effluxerint ; « cum tecum iure contendere nequeam,

1. Explicatur carmen hoc loco, uti in *vulg.* fertur. De textu hebr. agetur postmodum.

supplex vertor ad lacrimas, ut iis a tua misericordia gratiam impetrem» (*Lap. Sanct.* sim. *For. Men. Tir.*). Dolorem miseriamque vitae explicat simulque ad spem assurgit fore ut Deus ipsum a morte revocet novoque vitae beneficio donet v. 16 « *Domine, si sic vivitur et in talibus vita spiritus mei ? corripies me et vivificabis me* » ! — *si* explica particulam interrogationis, qua notione *si* in lingua prisca et vulgari et in *vulg.* saepius usurpatur (cf. *Kaulen*, Handbuch zur Vulg. p. 211. 212). Ita habebis sensum sat commodum; interrogatione vel exclamatione conqueritur apud Dominum : num revera talem vitam miseriis obsitam mortalibus constituisti ? num meam vitam in tali conditione finire decrevisti ? scil. adeo praemature, medio iu cursu ? Correptionem tuam et castigationem quidem animo lubenti amplector ; at hac peracta ut me vitae munere dones supplex rogo ! Deo ergo obtendit vitae normam ac regulam aliam esse, illam scil. non esse medio in cursu abripiendam, sed ex Dei promissionibus pietati datis producendam ; dein ad se proxime accedens quaerit ex Deo, num pro se Deus speciali modo constituerit, ut morte impiis praestituta abripiatur . Quod cum sibi persuadere non possit, ipsa petitione spem enuntiat beneficii vitaeque muneris accipiendi. Quam petitionem alia fulcit consideratione v. 17 « *ecce in pace amaritudo mea amarissima* » ! — dum agerem in vitae flore et media in prosperitate (et propter cultum Dei restitutum et pietatem exercitam longam mihi ac felicem vitam iure promitterem), subito sorte scelestissimi cuiusque percellor et percutior (cf. ad v. 3), quae sane est amaritudo inter omnes acerbissima. Hanc amaritudinem intime se persentiscere et dolere testatus est fletu magno (v. 3). — Verum cum talia animo volveret et cum lacrimis supplices ad Deum manus tenderet, nuntius ei afferebatur de salute a Deo concessa ; quem quo animo acceperit, in sequentibus declarat.

Talem sensum carmen prae se fert, uti in *vulg.* legitur. Et quia saepius hoc modo, uti in *vulg.* est, in ecclesiastico officio clericis legendum praescribitur, non abs re visum est sensum illum indicare praesertim cum ad regis conditionem affectusque magnopere sit consentaneus. Textus autem hebr. in eo differt quod iam v. 15 altera carminis pars inchoatur. Cum enim rex cum lacrimis Dominum invocasset : Domine, oppressio mihi est, durissima quaeque sustineo, fideiube pro me (v. 14), statim exauditur; nuntius ei affertur a propheta de salute concessa. Et hoc nuntio faustissimo accepto laetitia exsultans in has prorumpit voces : *quid dicam ? promisit mihi ipse, praestitit !* animum de nuntio gratissimum et laetissimum optime depingit exclamatione : quid dicam ? quibus verbis Dei benignitatem et beneficium praestitum satis extollam ! Ipse promisit mihi, praestitit ! Quid promiserit et praestiterit, non ef-

fertur, uti fieri solet in sermone concitato, quando una re et una cogitatione totus animus occupatur. Quid Deus praestiterit laetus agnoscit; quid ipse rependere velit vel forte etiam rependere iussus sit subdit : *lente* (submisse) *incedam per omnes annos meos propter amaritudinem animae* i. e. spondet se eum fructum ex calamitate percepisse, ut omni animi elatione et superbia abiecta submisse agat et in vera humilitate coram Deo ambulet. Hac promissione facta vel hoc mandato accepto facillime intelligitur, cur postmodum propter animi elationem et modum agendi antitheocraticum adeo severe reprehensus sit. Porro laetabundus celebrat quomodo tali Dei promissione accepta vita contineatur omnisque vitae mentisque vigor atque incolumitas constituatur : *Domine, super haec vivunt* vel vivitur i. e. talibus promissis Domini vita quasi innititur, iis scil. ad novam revocor vitam, *et in omnibus his vita spiritus mei* i. e. tota mea vita singulis illis in v. 15 enuntiatis fulcitur, et ex illis vim suam et spiritum haurit, *tu me sanum reddes et vitam mihi serva*; spem firmam profitetur, sed simul uti Dei dona et promissa exigunt, id supplex efflagitat, quod Deus promisit; unde vivifica me, vitam mihi conserva ! Vult Deus etiam pro iis exorari et implorari quae certissime fore promisit; oratione enim homo magis magisque se disponit quo maiora Dei dona in se suscipiat. Cur talia speret Ezechias subdit agnoscens in felicissima hac rerum mutatione pignus certissimum Dei favoris continui : *ecce ad pacem amarum mihi, amarum !* repetitione hac acerbissima quam sustinuit aegritudo mentisque tristitia et angustiae exprimuntur; verum angores isti corporis animique iam *ad pacem* sunt, prosperitate, incolumitate, salute excepti sunt. Ita textu hebr. altera carminis pars qua de sanitate restituta gratiae aguntur iam inchoatur a v. 15; atque eo iam versu sermonem ad laeta Dei promissa transferri cernitur in versione quoque graeca, cernitur apud *Chald.* et partim quoque apud *Syrum;* ita textum hebr. bene accipiunt *Osor. Malv. Pint. De Muis, Net. Rohl. Troch.* et generatim recentiores.

In versione graeca legitur : « defecerunt enim oculi mei aspiciendo in excelsum coeli ad Dominum, *qui eruit me et abstulit dolorem animae meae, et ipse fecit* »; ita ex versione *S. Hier.*; immo *S. Cyr. Theod.* iam comparationem ab hirundine v. 14 ductam referunt ad carmen gratulatorium et ad hymnos laudis concinendos; recte vero *Euseb.* comparationes illas ad fletum et orationem supplicem accommodat. *Chald.* hunc in modum de v. 15 disserit : « quid dicam laudis et loquar coram eo? et ipse multiplicavit bona mihi; in quo serviam et retribuam coram eo (propter) omnes annos quos adiecit ad vitam meam, et liberavit ab amaritudine animam meam ». *Syrus* : « quid loquar, dic mihi! et ipse fecit et excussit omnem somnum meum cum amaritudinibus animae

meae »; unde in altera saltem versus parte liberationem celebrat. Sed facile quis concesserit etiam priorem partem apud *Syrum* verti posse et legi : quid dicam? mihi dixit vel promisit — ita ut plenus adsit consensus cum hebr. — *Osor.* autem in paraphrasi sic inter alia habet : « quibus verbis, quo genere orationis tam insignem in me illius benignitatem explicabo? Nec enim distulit; adfuit, promisit, effecit, spem sanitatis ostendit et absque ulla mora sanitatem restituit » etc. Eodem modo *Pint.* « non possum consequi verbis tam admirabile Dei beneficium. Si Deum interrogavero quis fuerit sanitatis meae restaurator, quid respondebit mihi nisi eum hoc fecisse ». Hanc acceptionem *Mar.* quoque et *Sanct. Calm.* commemorant. Alii textum *vulg.* omnino student ita explanare, ut cum hebr. consentiat vel textum hebr. ad sensum *vulg.* trahere conantur (cf. *Schegg, Sanct.*). At irrito conatu; utriusque textus discrimen certe hoc loco agnoscendum, et in *vulg.* restitutam incolumitatem v. 17 clare narrare incipit *tu autem eruisti animam meam.* Quare etiam nequit admitti sensum *vulg. recogitabo tibi omnes annos* eum esse : perpetuo ero memor afflictionum, quibus me eripuisti; vel perpetuo animo poenitenti dies meos agam (cf. *Osor. Pint. Schegg*); utique in textu hebr. certo iam spectatur tempus post sanationem; at verba *vulg. quid respondebit mihi cum ipse fecerit* invita solum et magna cum violentia (id quod in explicatione pessimum est) in sensum alium trahi possunt consonum cum hebr.; uti iacent, tempus dicunt et animi sensus exprimunt ante nuntium de sanitate allatum. Unde verba quoque subsequentia eadem ratione accipienda sunt.

Difficilis quoque est in *vulg.* v. 16 *si sic vivitur* etc. illud *si* neque textu hebr. neque graeco neque alia versione fulcitur et iam *Lucas brugensis* advertit a multis testibus antiquis *si* omitti; legi quidem *si sic* in hodierno textu enarrationis *S. Hier.* et Haimonis, verum nisi *si* tollatur, illas enarrationes non satis constare; sim. *Sanct.* Lectionem : *Domine, sic vivitur* approbant *For. Iansenius, Agellius;* alii illud *si* in explicatione certe eliminant; ita *Mald.* qui *si* ex norma hebr. אם כי interpretatur ut particulam affirmantis : « utique sic vivitur, haec est humanae vitae conditio, ut huiusmodi miseriis obiecta sit et in his periculis vita spiritus mei consistit, ut aliquando corripias me morbo, aliquando sanes ». Alii *si* retento ita sensum exponunt : « si ita vixero et haec assidua cogitatione meditatus fuero, denique futurum spero, ut aliqua mei misericordia tangaris meque post diuturna mala vitae restituas » (*Calm.*) vel : si ita vitae servor, si in agenda poenitentia conditio vitae meae constituta et, tunc prehende me et vitae novae me restitue (*Schegg*; sim. *Loch*). Verum dubito, num hoc ad sensum in v. 15 *vulg.* expressum congruat. — Verba illa : *ecce in pace amaritudo mea amarissima* alii ita accipiunt, ut cum hebr. concordet sensus : acerbissima illa afflictio conquievit et me in pace, gaudio constituit; utique si, quod ex usu linguae *vulg.* sane licet et frequenter fieri debet, explicaveris in pace dici in pacem, habebis hunc sensum (cf. *For.*), vel etiam si cum *Sasb.* textui inserueris : in pace *iam est* amaritudo mea; sed non agitur quid demum de verbis *vulg.* inter se avulsis fieri possit, verum qualem sensum fundant, si tota eorum series perpendatur. Cum autem subsequatur in

vulg. tu autem, agnoscendum erit cum *Calm.* hic demum mutationem conditionis indicari in *vulg.* Ostendunt ergo haec quoque conamina, verba *vulg.* hoc loco ad textum hebr. exigi non posse.

In textu hebr. paululum negotii facessit in v. 15 verbum דָּדָה hithpael h. l. quod non invenitur nisi Ps. 42, 5 et h. l. Ibi usurpatur de iis qui sollemniter ad domum Dei se conferunt. Quare etiam in nostro loco ita ab aliquibus accipitur eo quidem sensu, ut spondeat se sollemni pompa ad domum Dei incessurum singulis annis propter liberationem a morbo (cf. *Malv. III. Ros. Osor. Kn.*). Sed hoc non placet. Nam vix credibile videtur verbum דדה per se positum sine ullo addito ea pollere significatione, cum Ps. 42, 5 tamen explicite addatur *ad domum Dei*, id quod sane frustra adiungeretur, si voci ea inesset per se notio. Quare alia est quaerenda. Communiter statuunt propriam vim vocis esse *lente incedere* vel *quiete incedere ;* id quod intelligunt vel de iis qui moerore obruti lente ac demisso capite incedunt (cf. *Malv. IV. Vat. Ges. Drechsl.*) vel de iis qui sine ulla molestia vitam agunt (*Del. Rohl.*). Sed ad notionem lente incedendi et ad contextum h. l. optime quadrat notio prior *humiliter incedere,* vitam agere ab omni festinatione, elatione, impetu affectuum alienam, sed magna rerum consideratione et animi demissione insignem. — LXX ita iungunt, vel potius *Theod.* ex cuius versione locus in aliquos codd. LXX transsumptus est : καὶ αὐτὸς ἐποίησεν καθοδήγησιν πάντας ἐνιαυτούς μου. Deus ergo ductor viae et vitae celebratur. *Syrus* vertit : amovit omnem somnum meum ; legit ergo non שָׁנוֹת annos, sed שֵׁנוֹת (cf. Prov. 6, 10 ; 24, 33). *S. Hier.* vertit : reputabo omnes annos meos in amaritudine animae meae, et explicat : « cum tribulationis tempus advenerit, omne quod praeteritum est nihil adiuvat sustinentem ; unde stulta Epicuri sententia est qui asserit recordatione praeteritorum bonorum mala praesentia mitigari ». Ad eius versionem adnotat *For.* : « verbum hebr. *incedere* significat, unde in Ecclesiaste *incedere animo* pro *philosophari* accipitur, ubi nos habemus *desiderare quod nescias* (Eccl. 6, 9) ; at *perambulare annos vitae* quid est aliud quam *recogitare* et *recolere* »? Sane est probabile hac ratione *S. Hier.* versionem confecisse. Ex hac autem acceptione annos reputandi vel numerandi alia exorta est verborum subsequentium expositio : Domine עֲלֵיהֶם יִחְיוּ super hos vivunt i. e. ultra hos annos plerique homines vivere solent. — Denique noto *S. Hier.* in sua explicatione v. 16 ita enarrare : « quia iam securus est nec patitur quae refert, de humano statu philosophatur et dicit : Domine (si ?) sic vivitur et tali sumus conditione generati, corripuisti me, sed vivificasti me pacemque tribuisti ; sed pax mea omni amaritudine fuit amarior, quia tranquillitate populi reddita et urbe secura ego solus limina mortis intravi » ; ergo ex mente *S. Hier.* illud *in pace* non idem est atque *in pacem.*

Ceterum *Bred.* vocem הַדַּדָּה penitus eliminandam esse censet ; in Ps. 42, 5 legi oportere secundum LXX אַדִּירִים ; et nostro loco coniectat נָדְדָה כָל־שְׁנָתִי omnis somnus meus aufugit propter amaritudinem animae meae. Verum hoc neque in contextum convenit neque post tot doloris significationes apte subiungitur.

c) Actio gratiarum Ezechiae sanati 38, 17-20.

Dum Ezechias fleret fletu magno, nuntius ei affertur de sanatione a Domino concessa (4 Reg. 20, 4). Uti ex narratione in libr. Reg. apparet,

deprecatio eius statim est exaudita; quare in textu hebr. optime post *fideiube pro me* v. 14 statim in v. 15 subsequitur iubilus regis de Dei benignitate facta, prout supra est expositum. Donum acceptum rex grato animo agnoscit, se eo indignum fuisse profitetur illudque ad miserentis et peccata condonantis Dei gratiam refert v. 17 « *Tu autem eruisti animam meam ut non periret, proiecisti post tergum omnia peccata mea* » ; — significantius in hebr. *amplexatus est (amore) animam meam ex fovea* i. e. me amore complexus a morte eripuisti (cf. *Mald. Pint. For. Mar.* et recentiores[1]) ; neque id suis adscribit meritis, verum misericordiae Dei. Neque tamen id contradicit petitioni quam v. 3 suam exhibens pietatem Deo obtulerat ; sed ad animi indolem prorsus est factum et expressum. In morbo enim praevaluit cogitatio de morte praematura quae ut poena infligi solebat peccatoribus obduratis, inter quos certe non se recensere potuit ; promissione autem facta eaque multo ampliore quam petitum erat, praevalet cogitatio de Deo benigno qui praeter omnem exspectationem dona largitur et ultra omne meritum, et simul admiscetur aliquid pudoris et erubescentiae, quia tali Deo non omni quo decuit studio ac fervore servierit. Adde quod Dei beneficio fit, ut peccata nostra magis magisque detestemur et nos indignos eius favoribus esse profiteamur. Est animi grati erga Deum agnoscere Deum in donis conferendis oblivisci nostram in suo servitio negligentiam, oblivisci peccata admissa et suam solum respicere clementiam ac bonitatem. *Post tergum reiici* apud orientales dicuntur ea quae non curantur et oblivioni traduntur (*Ros.*); cf. 3 Reg. 14, 9. Ez. 23, 35. Ps. 49, 17 et vide quae notavi ad Mich. 7, 19.

« Ostendit pius et religiosus princeps quem ad finem Dominus sibi longioris vitae usuram praebuerit, nempe ut quod datum est spiritus et vitae totum hoc impendat divinis laudibus » (*Sanct.* sim. *Lap. Calm.*) v. 18 « *quia non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te ; non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam* » ; — cf. ad v. 10 ; confessio pro gloria et laude accipitur (*S. Hier.*) ; propterea igitur se vitae restitutum agnoscit, ut celebret clementiam Dei inter viventes, quod facere non possunt exstincti (*Sanct. Lap. Men. Tir.*). In quam rem notat *S. Cyr.* : « qui semel mortui sunt et in inferorum portis (ᾅδου) tenentur, desistent etiam Dei laudes celebrare ; nihil enim quidquam his quae operati sunt possunt adiicere, sed manebunt potius in quibus relicti sunt et generalis iudicii tempus exspectabunt ». Hoc vero

---

1. Alii secundum LXX et *vulg.* pro חָשַׁקְתָּ legendum censent חָשַׂכְתָּ retinuisti. *Sym.* h. l. praebet εὐδόκησας.

loco id potissimum effert rex, uti ex v. 19 patet, a mortuis gloriam Dei et laudem *apud alios* iam non posse celebrari et propagari, opus Dei inter homines iam non promoveri ; proinde cum Deus vitae ipsum restituerit, etiam velle ut vitae munere ad id utatur quod viventes solum pro re et gloria Dei praestare possunt. Quare contextu severe examinato dicere poteris perperam hunc textum allegari ab iis qui volunt Hebraeos sibi mortuos finxisse quasi mente et cogitatione spoliatos, quamvis dicere possis cum *Sanct.* : « non disputo an laudare Deum possint aut soleant qui ex hac vita decedunt ; nunc satis ab Ezechia ea dici quae vulgus existimat, a cuius consuetudine in loquendo Scriptura aliquando non recedit ; putat autem vulgus a mortuis nullam iam amplius esse laudem, quod mortuos *silentes* et mortem ipsam silentium vocat. Aut certe agit de illa laude, quae quotidie in templo divino nomini impendebatur, quae a mortuis exhiberi non potest, et hoc indicat ipse Ezechias statim ». Brevi, eodem sensu mortuis laus Dei negatur, quo Christus dicit : venit nox quando nemo potest operari (Ioan. 9, 4) ; adde quod notat *Ros.* verba hebr. הוֹדָה et הִלֵּל de celebratione *publica* et sollemni adhiberi (cf. 1 Par. 16, 4. 2 Par. 5, 12 ; 31, 2). Pariter ii qui ad vitae terminum pervenerunt, iam non *praestolantur veritatem* i. e. fidem et fidelitatem Dei in promissis adimplendis et beneficiis largiendis, « quippe qui neque boni quidquam neque mali mereri et Dei promissionum ac misericordiae beneficia excipere, spectare aut promereri queant » (*Calm.*). Cum igitur Ezechias tam clare cognoverit quid a viventibus praestari Deus velit, eo magis erit reus si insigni beneficio Dei ornatus ab hac mente unquam exciderit. Unde perspicitur qua ratione sacer auctor acrem illam reprehensionem 39, 6 merito fieri ostendat iam nunc et praeparet. Idque etiam efficacius in subsequentibus.

Atque id a se praestitum iri magna animi alacritate ac promptitudine spondet v. 19 « *vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie ; pater filiis notam faciet veritatem tuam* » ! — ipse laudes Dei celebrabit Deique fidelitatem in promissis adimplendis etiam apud alios celebrandam et praedicandam curabit, dum ipse publicus et sollemnis eius praeco exsistit ; bene notat *S. Hier.* : « hoc significat quod in Deut. 32, 7 dicitur, ut per successiones et singulas generationes Dei in posteros clementia praedicetur ». Repetitione initio posita bene animi iubilus et exsultatio depingitur. Cum filiorum fiat mentio, concludendum erit, etsi Manasses nondum fuerit natus, Ezechiae iam filios fuisse genitos. LXX vero satis mire habent ἀπὸ γὰρ τῆς σήμερον παιδία ποιήσω ; rite hebr. explicant *Syrus, Sym. S. Hier. Chald.* — Demum gratiarum actionem concludit iterata Dei laude et promissione de animo grato perpetuo servan-

do v. 20 « *Domine salvum me fac et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in domo Domini* » ! — hebr. *Iahve ad salvandum me* scil. adest, praesto est ; beneficium collatum denuo celebrat. Ut rex et caput populi vult, ut omnes pro beneficio regi praestito Deo perennes gratias agant, idque omnium nomine laetus promittit et festivo instrumentorum musicorum concentu fore spondet ; hebr. *pulsatilia mea pulsabimus* (vel corrige *nostra*), qualia erant cithara, nablium ; unde innuitur regem ad promovendum cantum sacrum et musicam sollemnem etiam suam impendisse operam, in ea quoque re praeclarus exsistens imitator patris sui David (cf. 2 Par. 29, 30 — 1 Par. 16, 42 ; 25, 1). Publicam ergo et sollemnem vovet gratiarum actionem in templo Domino exhibendam perenni memoria quamdiu vixerit. Qua sponsione facta quam maxime aequum erat, ut tamquam regem vere theocraticum in omnibus se praestaret. Id autem minime factum est in legatione babylonica.

Denique in textibus nostris iam antiquitus, uti ex LXX, *Syro, S. Hier.* patet, hoc loco duo adduntur versus a contextu avulsi, qui quo casu huc demum aberraverint, quis explicabit ? v. 21 « *iussit Isaias ut tollerent massam de ficis et cataplasmarent super vulnus et sanaretur ;* v. 22 *et dixit Ezechias : quod erit signum, quia ascendam in domum Domini* » ? — iam *S. Hier.* advertit : « hoc prius legendum est quam oratio Ezechiae vel scriptura ; ante enim cataplasma vulneri impositum est et prius signum ab eo petitum futurae sanitatis quam gratias ageret Domino, quod dicitur fecisse sanatus ». Neque improbabilis est coniectura *Vat.* videri versus hic adscriptos, ut brevius exprimerent quod fusius dictum sit in libro Regum. De שְׁחִין notat *S. Hier.* Hebraeos affirmare non vulnus sed *ulcus* designari et ita *Aq. Sym. Theod.* quoque transtulisse et intelligi *morbum regium;* alios autem *apostema* suspicari, quando tumens corpus cocto et putrescente pure compleatur, « et iuxta artem medicorum omnis sanies siccioribus ficis atque contusis in cutis superficiem provocatur, ac per hoc non spernendam esse medicinam quae usu constet et experimento ». Adhibetur שְׁחִין de ulcere leprosorum (Lev. 13, 18. 19), de pustulis, de ulcere Aegypti (Ex. 9, 9. Deut. 28, 27), de morbo elephantiaco (Iob 2, 7). Uti ex v. 14 aliqui concluserunt Ezechiam laborasse angina (cf. *Friedreich,* Zur Bibel I p. 204 seq.), ita ex ulcere alii collegerunt Ezechiam peste esse correptum. Ficus adhibebantur ut remedium emolliens et maturans (cf. *Del.*), ut bene notat *Lap.* : « si ulceri accedat tumor et inflammatio, ad eam vel resolvendam vel suppurandam

valent ficus »; de qua re vide locos veterum apud *Friedreich* l. c. p. 240. Sanationem igitur Deus efficere voluit signo aliquo externo et remedio quocumque demum adhibito, similiter uti in narratione evangelica v. g. caecus iubetur lavare in piscina Siloe. Aliqui veterum immerito augent miraculum asserentes, ficus quam maxime obfuisse sanationi, verum Deum ut suam ostenderet potentiam per res noxias et adversas sanitatem restituere voluisse (iam apud *S. Hier.*).

Petit Ezechias signum, uti Abraham, Gedeon aliique, idque ea rerum conditione ad fidem faciendam potiore iure postulari poterat, quia brevissimo temporis intervallo (cf. 4 Reg. 20, 4. 5) propheta formula sollemni *haec dicit Dominus* inter se contraria edixerat. Achaz rex signum a Deo oblatum petere noluit (Is. 7, 12), Ezechias vero quo maiore firmitate et alacritate verbum promissionis fide amplectatur, signum pietatis causa efflagitat rogans ut in re difficili adiuvetur fides, similiter ut is qui in evangelio rogat : Domine adiuva incredulitatem meam ! Promittit propheta sanationem talem fore, ut die tertio ascendere possit ad templum Domini (4 Reg. 20, 5) ; unde intelligitur, quare signum pro ea re petat, quae esset salutis pignus. Ex ea autem petitione morbum tamquam letalem agnitum fuisse et periculum mortis adfuisse praesentissimum iure erit concludendum. Quod signum pro ascensu in templum petitur, *For.* ad regis pietatem refert qui ad hoc vitam optarit idque maxime in votis habuerit « quemadmodum David, qui quanto tabernaculi illius desiderio teneretur vix exprimere verbis ipse potuerit; ut vel hinc videamus quanti fecerint Dei laudes, Dei cultum et figuras tantum verorum, et nostram desidiam et ingratitudinem arguamus, qui in ipsa nauseamus veritate ».

Unus censuit *Drechsl.* hos duos versus non amanuensium incuria huc aberrasse neque ab alio additos esse, ut aliquo modo narratio ex 4 libr. Reg. insereretur, verum ad ipsum carmen pertinere eiusque praebere epilogum, quo quae in toto eventu praecipua sint, denuo recolantur. At vix puto hanc opinionem a quoquam laudari vel commendari. Nam modus narrandi in v. 21. 22 a ratione carminis quam maxime recedit, id quod eo magis deprehenditur, quo diligentius perlustraveris, quali demum dicendi genere in carmine Deborae vel in cantico post transitum maris rubri vel in psalmis res gestae commemorentur ; iam hic nullus adest membrorum parallelismus, nulla in membris concinnitas. Neque verum est in his demum duobus totius eventus summam constitui. — De ratione metrica carminis vide *Gietmann*, de re metrica Hebr. p. 60 ; *Bickell*, Carmina vet. test. metrice p. 207.

d) **Legatio babylonica 39, 1-8.**

Duo illa quibus eventus subsequens quasi superstruitur declarata sunt : sanatio Ezechiae a qua rex babylonicus ansam capit et praetextum legationis mittendae, et Ezechiae sponsio de laude Dei annuntianda, qua in re magni momenti neglecta reprehensionem incurrit. Ex quibus simul elucet quam arcto vinculo haec duo capita sint inter se colligata ; id ipsa loquendi forma clare designat propheta v. 1 « *In tempore illo misit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros et munera ad Ezechiam ; audierat enim quod aegrotasset et convaluisset* » ; — additur 2 Par. 32, 31, principes Babylonis missos esse, ut interrogarent de portento quod accidisset super terram, ergo de umbra quae in horologio Achaz descendisset. Cum astronomiae studium apud Babylonios vigeret, ratio haec non sine specie veri praetendi potuit, cur legati mitterentur. Hanc autem rationem unicam fuisse cur legatio mitteretur vel propriam et veram illam, qua Merodach Baladan ad eam impelleretur, nemo crediderit. Cur tantam amicitiae et gratulationis significationem Ezechiae regi exhibuerit, bellicis eius consiliis docemur. Monumentis quippe assyriacis discimus exstitisse regem Babylonis Marduk-habal-iddina (Merodoch donavit filium), filium Iakin, qui in inscriptionibus regum Theglathphalasar, Sargon, Sennacherib aliquoties occurrit ; sese subiecit regi Theglathphalasar, bella gessit cum Sargon ; et Sennacherib quoque narrat a se victum esse regem eiusdem nominis. Sargon rex Assyriorum bis ei videtur bellum intulisse, ut eum ad subiectionem adigeret. Semel circa annum 720 a. Ch. quo tempore etiam Ptolemaeus narrat de Mardokempado qui regnum babylonicum occuparat ; dein circa annum 709, qua ultima expeditione revera victus fugatusque est. Etiam ex Ptolemaeo Mardokempados solum per 12 annos regnum babylonicum tenuit. Cum igitur Merodach Baladan sese defendere vellet contra regem Assyriorum et sane nosset in Asia occidentali plures gentes libenter esse conspiraturas in foedus ad excutiendum iugum assyriacum, misit circa tempus sanationis Ezechiae (c. an. 712) legatos ad tale foedus contra Assyrios excitandum. Ezechias rex per 14 quos eousque regnaverat annos iam se belli peritum et fortem probaverat (cf. 4 Reg. 18, 7. 8) ; unde cur eius regis foedus et amicitiam appeteret, sane habebat. Simul autem eiusmodi machinationes tecto atque occulto fieri debuisse, ne suspicio Assyriorum excitaretur, facile intelligitur ; vel si Merodach Baladan aliquo modo imperio regis Assyriorum invitus substabat, ratio debuit praetendi, cur legatos mitteret ad regem Iudaeorum. Quae rationes obtentui fuerint, h. l. et 2 Par.

32, 31 docemur. Si agebatur de foedere ineundo, etiam facilius explicatur, cur Ezechias severe reprehendatur, quia tanto gaudio susceperit legatos. Gaudio enim illo et magna illa familiaritate qua agit cum legatis satis ostenditur tale foedus ab eo summopere esse approbatum. Iam quantopere talia foedera abhorreant ab indole theocratica, in superioribus Isaiae vaticiniis videri potest.

Illum intelligi hoc loco Marduk-habal-iddina, de quo in annalibus Sargon sermo sit, omnino certum videtur. Ratio enim temporis optime congruit, si quidem eam temporis computationem sequimur quam fere omnes proponunt. Unum quod obstare videtur et quo alii permoti sunt, ut duos statuerent Marduk-habal-iddina, priorem sub Sargon, alterum sub Sennacherib (circ. an. 704) de quo altero hic sermo inferatur (cf. *Vigouroux* l. c. p. 177 seq.), est quod rex iste Babylonis in monumentis assyriacis vocatur filius *Iakin,* in s. literis vero filius *Baladan.* Sed haec ratio satis videtur infirma. Scimus enim in monumentis quoque assyriacis *filium* latiore quodam modo usurpari. Exemplum habes in rege Israel Iehu, qui in annalibus Salmanasar II et III regum « filius Omri » vocatur, quamvis ad familiam et posteros Omri (Amri) minime pertineret; ratio eius appellationis inde explicatur, quia Assyrii regnum Israel propter Omri (Amri) appellare solebant *mat bit Humri* terra domus Omri vel terra Omri. Iam idem obtinere poterat in Merodach Baladan qui sit vere filius Baladan, uti in s. literis dicitur, qui autem vocetur filius Iakin i. e. successor Iakin; idque eo probabilius redditur, quia dynastiam a Iakin fundatam revera vocant *bit Iakin* domum Iakin, et arcem *dur Iakin.* Invaluit ergo eodem modo quo Omri pro Israel etiam Iakin pro regno a se fundato. — Merodach Baladan, qui rex terrae maris i. e. Babyloniae meridionalis vocatur, cum Sargon regnum assyriacum obtineret, c. an. 721, etiam Babyloniam septemtrionalem sibi subiecit, neque Sargon hanc regni partem ei eripere valuit; ab hoc ergo tempore quo Chaldaeam meridionalem et septemtrionalem occuparat, numerandi sunt duodecim anni quos secundum Ptolemaeum rex babylonicus regnavit. Anno autem 12 Sargonis regis iterum oritur bellum inter eos; Merodach Baladan Elamitas et Arabes quoque contra regem Assyriorum ad rebellionem excitavit; eodem consilio legationem ad Ezechiam misisse eum ex ratione temporis recte concludimus; anno 709 Sargon expugnavit arcem dur-Iakin, in quam se receperat Merodach Baladan; arx flammis combusta est, sed Merodach Baladan aufugit (cf. *Lenormant,* les Origines de la civilisation II p. 203 seq.; *Schrader,* Keilinschr. u. Geschichtsforschung p. 535; *Civiltà cattolica,* 1881, XI 5 p. 412 seq.).

Ezechiam iis quae in epistolis regis babylonici proponebantur et a legatis commendabantur aures praebuisse avidas et multum sibi complacuisse de honore sibi praestito, colligitur ex v. 2 « *laetatus est autem super eis Ezechias et ostendit eis cellam aromatum et argenti et auri*

et odoramentorum et unguenti optimi et omnes apothecas supellectilis suae et universa quae inventa sunt in thesauris eius ; non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua et in omni potestate sua » ; — opes suas et divitias et apparatum bellicum ostendit, ut qualis sit belli socius et quam merito honorandus a rege babylonico appareat. Obliviscitur rex theocraticus quantopere Deus per prophetas foedera cum alienigenis reprobaverit ; obliviscitur quae Hanani propheta ad Asa regem dixerat : quia habuisti fiduciam in rege Syriae... stulte egisti (2 Par. 16, 7-9), quae Iehu, filius Hanani, regi Iosaphat exprobravit : impio praebes auxilium et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris et idcirco iram Domini merebaris (2 Par. 19, 2) ; obliviscitur quae Eliezer ad Iosaphat regem dixerat : quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua contritaeque sunt naves nec potuerunt ire in Tharsis (2 Par. 20, 37) ; obliviscitur normam theocraticam quam David contra Goliath certamen initurus praeclare exposuit : noverit universa ecclesia haec, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus (1 Reg. 17, 47) ; atque culpa eius augetur, quia iam acceperat a Domino promissionem clarissimis verbis conceptam : de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam et protegam eam (38, 6). Cum igitur Dominus ipse eum urbemque defendere ac liberare velit, quid est quod foedus ineat coram Deo abominabile ? Hebr. ita verte : *et ostendit eis gazophylacium suum, argentum et aurum et aromata et oleum pretiosum et omne armamentarium suum et omne quod inveniebatur in thesauris suis et non erat res ulla quam non ostenderet eis in domo sua et in omni dominio suo* ; igitur thesauri Ezechiae aderant pleni ; proinde perspicuum exhibetur in ipsa narratione vestigium, haec evenisse ante invasionem Assyriorum et ante tributum Sennacherib regi solutum, cui solvendo ut par esset, « omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini et in thesauris regis dedit et confregit valvas templi Domini et laminas auri quas ipse affixerat et dedit eas regi Assyriorum » (4 Reg. 18, 15. 16) et proinde ordinem temporis in eo eventu minime servari in libr. Reg. et Paralip. et apud Isaiam. Divitiae istae (cf. 2 Par. 32, 27 seq.) ad Dei benedictionem erant referendae (cf. 2 Reg. 18, 7 hebr.), unde iis ostensis sese ostentare belli socium ad foedus antitheocraticum ineundum paratissimum reprehensione non poterat carere.

Hebr. בֵּית נְכֹתֹה *Aq.* et *Sym.* verterunt οἶκον τῶν ἀρωμάτων (cf. *S. Hier. Procop. Field,* Hexapl. ad h. l.) ; eodem modo *S. Hier.* ; LXX vocem hebr. retinuerunt τὸν οἶκον τοῦ νεχωθᾶ ; *Syrus* et *Chald.* verterunt *domum gazarum* et ea notione plerique etiam vocem hebr. accipiunt (cf. *Malv. For. Vat. Rohl. Troch. Ges. Del. Naeg.*) ; vocem hebr. alii derivant a נָכָא *contundere* et *confringere* atque eandem esse volunt

quam נְכֹאת Gen. 37, 25 (θυμιάματα LXX eo loco) et Gen. 43, 11 (storax in *vulg.* h. l.) i. e. designari pulverem aromaticum, aroma contusum, aroma, vel ratione speciali domum nominari storacis (*Movers*). Alii vocis originem repetere malunt a כוּת quod cognatum sit cum כּוּס (כָּתַם ?) servare, recondere ; unde domum thesaurorum explicant vel domum qua bona quaevis reconduntur (cf. *Kn. Hitz. Fürst L. Del. Naeg.*). Aliam viam ingreditur *Delitzsch*, Prolegomena e. hebr. aram. Woerterb. p. 141, esse vocem eandem ac babylonico-assyriacum nomen domus thesaurorum *bît nakamti* vel *nakanti ;* inesse enim in *nakâmu* notionem *accumulandi,* unde nakamtu vel nakantu (vel probabiliter etiam nakâti) nomen esse thesauri, et inde vocem hebr. esse transsumptam. Vide *Strassmaier*, Verzeichniss d. akk. assyr. Woerter, nakantum n. 5960 ; nakâmu n. 5959 et nakkandu n. 5970. Cum כֵּלִים *vasa, instrumenta, supellex quaevis* etiam speciatim dicatur de *armis* (Gen. 27, 3. Deut. 1, 41. Iud. 18, 11. 16. 1 Sam. 14, 1. 6. seq. 31, 4 etc.), domus supellectilis optime intelligitur de armamentario ; vide ad 22, 8. Quod in *vulg.* legitur non fuit *verbum*... notus est hebraismus, de quo advertit *S. Hier.* : « verbum iuxta hebraicam consuetudinem pro *re* frequenter accipitur », uti v. g. obtinet 1 Reg. 3, 11. Ier. 44, 4. Luc. 1, 37 ; eodem modo in *vulg.* invenitur *sermo* pro *re* vel *eventu ;* cf. 2 Reg. 12, 21. 3 Reg. 15, 5. De quo usu vide *Kaulen,* Handb. z. Vulg. p. 24. 27.

Mittitur ad regem propheta, custos et vindex theocratiae, cuius est apud omnes ordines mentem tueri et promovere theocraticam et quae contra legem Dei et instituta fiunt reprehendere apud omnes, reges, principes, sacerdotes et apud populum ; v. 3 « *introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem et dixit ei : quid dixerunt viri isti et unde venerunt ad te ? et dixit Ezechias : de terra longinqua venerunt ad me, de Babylone* » ! — en, quomodo regulus iste in regione satis parva sibi complacet de tali legatione et apud ipsum prophetam de honore sibi praestito gloriatur ; quare praemittit : non e regione propinqua, verum de terra longe remota venerunt ad *me,* de Babylone ; non sine supercilio et animi elatione ea esse dicta, ipsa verba eorumque collocatio et gradatio ad admirationem excitandam affectata satis produnt. Unde bene *S. Hier.* : « cum ἐμφάσει et supercilio legendum est *de terra longinqua* quod quanto terra longior sit unde venerunt, tanto iste gloriosior propter quem venerint » (sim. *S. Cyr.*). Unde « elevatum est cor eius » 2 Par. 32, 25. Nondum ergo quamvis prophetae interrogatione esset interpellatus se perperam egisse agnoscit, adhuc caecutit non sentiens foedus et amicitiam cum alienigenis regi theocratico esse in vitio ponendum. Unde apte dicitur : in legatione principum Babylonis dereliquit eum Deus, ut tentaretur et nota fierent omnia quae erant in corde eius (2 Par. 32, 31). Hac enim occasione et tentatione manifestum fiebat quantum etiam tum abesset ab illa sentiendi cogitandique ratione quae regem theocraticum decet et in lege divina erat proposita.

Propheta ulterius in culpam inquirit (*S. Thom.*), ut interrogationibus

ipsis rex incipiat odorari rem culpa et reprehensione non vacare ; v. 4 « *et dixit : quid viderunt in domo tua ? et dixit Ezechias : omnia quae in domo mea sunt viderunt ; non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis* » ; — candide rem fatetur. Fortasse iam incipit persentiscere, quale saltem periculum ea in re lateat, ne scil. thesauris ostensis cupiditas regis Babylonis excitetur, qua inductus suum belli socium quantocius opprimat et spoliet, ut accidit Achaz regi foedus ineunti cum Theglathphalasar qui « afflixit eum et nullo resistente vastavit » (2 Par. 28, 20). Haud abs re adnotat *Pint.* : « colliges quam utilis sit afflictio, quam periculosa prosperitas. In afflictione confugiebat ad Deum totumque se ipsum illi lacrimis et precibus tribuebat, in prosperitate vero elatus est Deoque pro acceptis beneficiis debitas gratias non egit ; immo inani gloria captus est ». Propheta autem confessionem extorquet, ut sententiam ferat (*For.*).

Sententia autem fertur ei congrua quam propheta a cap. 2 (v. 11 seq.) iam saepius annuntiaverat tamquam normam Dei ad destructionem omnis pompae ac fastus : v. 5 « *et dixit Isaias ad Ezechiam : audi verbum Domini exercituum :* v. 6 *ecce dies venient et auferentur omnia quae in domo tua sunt et quae thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc in Babylonem ; non relinquetur quidquam, dicit Dominus ;* v. 7 *et de filiis tuis qui exibunt de te quos genueris, tollent et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis* » ; — nota dici *quae patres tui thesaurizaverunt,* proinde de thesauris iam a longiore tempore per maiores Ezechiae et reges antecessores collectis sermo fit, ex quo denuo patet haec dicta esse ante tributum ad Sennacherib missum, neque valere (quod aliqui excogitabant) spoliis de Assyriis reportatis domum Ezechiae fuisse iterum ditatam et haec spolia ostensa esse Babyloniis. Valebit ergo : oculi sublimes humiliabuntur ; quae cap. 3 minatus erat propheta, iam quo pacto opere exsequenda sint, ostendit ; quae in visione inaugurali proposita sunt (6, 11. 12), et quae 5, 9. 13. 25. 26 seq. vaticinatus erat, hac praedictione magis determinantur. Quod autem ea in *Babylonem* auferenda dicit, veri nominis prophetia est, sicut idem apud Michaeam 4, 10. Nam eo tempore si coniectura erat facienda, fore aliquam transportationem per Assyrios multo probabilius, immo unice probabile videri potuit. Iam populum israeliticum Assyrii in captivitatem abduxerant, ab anno 721 Sargon regnum assyriacum tenens bellis feliciter gestis terrorem sparsit Assyriorum, vicerat Babylonios, Aegyptiis cladem intulerat ; Assyrii ergo reliquis omnibus dominabantur ; proinde etsi praevideri potuerit regnum iudaicum in bellis illis continuis inter Aegyptum et Assyriam, quae duo regna de principatu in reliquas terras exercendo inter se concertabant, fore mox conterendum et populum more

eius temporis in alias regiones abducendum, id potius per Assyrios fore ut fiat erat concludendum, nullo modo humanitus sciri potuit Babylonios id esse effecturos, qui tum temporis ab Assyriis saepius iam victi plus minusve Assyriorum potestati erant subiecti in vanum conati iugum illorum excutere. Quod v. 7 dicitur *de filiis tuis*... non probat Ezechiam eousque nullum genuisse filium, sed dici potest de filiis qui iam adsint nullum esse asportandum, sed de posteris Ezechiae ; nam, uti Gen. 17, 6. 16 (reges populorum orientur ex eo, ex te egredientur etc.) ostenditur, ea locutione generatim posteri (etiam longo temporis intervallo distantes) designari possunt. De impletione vide 4 Reg. cap. 24. 25. Dan. 1, 3. 4. 6 ; eunuchi saepe etiam vocantur aulici regis vel servi, qui non sint spadones, uti iam *For. Tir.* advertunt ; cf. 1 Reg. 8, 15. 3 Reg. 22, 9. 4 Reg. 23, 11. Ier. 34, 19 ; 52, 25 ; idque ex vocis versione apud LXX et *Chald.* quoque sequitur.

Propheta exsilio babylonico indicto id quod praecipue intenderat exposuit. Quare reliquam narrationem brevissime absolvit. Indicat solum Ezechiam reprehensionem bene et animo humili suscepisse. Plura discimus ex 2 Par. 32, 26 : « humiliatus est postea eo quod exaltatum fuisset cor eius, tam ipse quam habitatores Ierusalem ; et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiae » ; unde de regis poenitentia et simul cum ipso populum etiam ea in re peccasse docemur ; quia ergo non solum rex sed etiam populus deliquit, non solum regiae domui punitio annuntiatur sed talis praedicitur castigatio qua populus simul erit plectendus ; porro poenam fuisse dilatam audimus propter poenitentiam et humiliationem regis et populi. Quare verba v. 7 *filii qui exibunt de te* ita selecta esse videntur, ut modo quodam ambiguo et ipsos filios et posteros quoscumque designare possent. Minae proferuntur modo ab omni conditione absoluto ; at normam illam apud Ier. 18, 7. 8 et Ez. 33, 14. 15 etiam hoc loco valuisse, in aperto est. Differtur poena propter poenitentiam. Haec ex libro Par. ob oculos habenda sunt, ut brevis narratio rite intelligatur v. 8 « *et dixit Ezechias ad Isaiam : bonum verbum Domini quod locutus est* » ; — Ezechias duram annuntiationem de tanta domus regiae humiliatione humiliter suscipit, culpam agnoscit, iudicium Dei in se prolatum tamquam iudicium mite accipit : mite, benignum verbum, quasi dicat : minor est ista poena peccato meo (*Mald.*) ; « puto hoc loquendi genere ab inferioribus significari solere non gravate ferri quidquid durum a superioribus iniungatur, quasi dicat : fiat quod Domino placet » (*Sanct.*).

Hac autem submissione facta et pietate ostensa ei declaratur a propheta, iram Dei non venturam esse in diebus suis, verum aliam concedi populo et regi epocham, qua probent, utrum Deo fideles permansuri

sint necne; si iterum a norma theocratica defecerint, tunc fore ut vaticinium editum suum sortiatur effectum. Id enim ex 2 Par. 32, 26 concluditur. Atque ea intercessisse etiam modo innuitur, quo alter sermo adiungitur ad priorem : « *et dixit : fiat tantum pax et veritas in diebus meis* » ; — dum interponitur in ipso sermone Ezechiae *et dixit* et iterum verba recitantur eiusdem, aperte indicatur, haec non immediate esse adiungenda ad priora, sed ab iis separanda et alia quadam occasione prolata. Quid sit interponendum, ex 2 Par. vidimus; idem nos docet quod seniores loquuntur (Ier. 26, 19)de Ezechia et populo eius narrantes : « numquid non timuerunt Dominum et deprecati sunt faciem Domini et poenituit Dominum mali quod locutus fuerat adversum eos ». Cum igitur Isaias regi indicasset poenam illam ob regis submissionem a Deo differri, respondit : *fiat tantum pax* vel ex hebr. *profecto, erit pax et fidelitas* i. e. conditio illa pacis quam Deus fidelis et verax ei promiserat inviolata ei servabitur, regnum eius erit stabile, aderit pax et stabilitas regni pro qua re gratias agit non sine animi gaudio promissionem hanc et mitigationem poenae repetens. Poenitentia sua poenam avertit Ezechias. Verum Manasses, filius eius, « fecit malum in conspectu Domini iuxta idola gentium » (4 Reg. 21, 2); unde statutam poenam devolvere Deus decrevit (4 Reg. 23, 26; 24, 3. Ier. 15, 4).

Verba haec Ezechiae a compluribus virgula censoria sunt perstricta. Iam *S. Ephr.* ex eis concludit Ezechiam verbis Isaiae non fuisse commotum vel coangustatum, quia intelligeret suis diebus non fore oraculi exsecutionem. Refert quoque *S. Hier.* Ezechiam ab Hebraeis reprehendi quia non sit imitatus bonitatem Moysi, qui locutus sit ad Dominum : aut dimitte hanc noxam eis, aut si non facis, dele me de libro tuo ; neque ipse *S. Hier.* ab ea vituperatione videtur plane absolvere regem; nam eius loquendi modo opponit modum quo S. Paulus anathema vult esse a Christo pro fratribus suis. Etiam *S. Cyr.* verbis regis offenditur : « suis diebus pacem quaerit modo non valedicto suis posteris et abiecta omnino cura et regionis et suae civitatis et generis. Verum satius fuisset ei de his quae praedicta sunt luxisse et a Deo misericordiam petivisse et posterorum nomine felicitatem non temporariam et contractam postulare. Sed valde infirma est mens humana et in multis labimur omnes, nec quisquam nostrum cordatus et in omnes partes sapiens esse poterit, sed cor etiam amans Dei et mens admirabilis saepe in id quod minus rectum est impingit ». Etiam recentiorum aliqui Ezechiam accusant, quod de se solum sollicitus aliorum nullam ostenderet curam (cf. *Ges.* invenit in verbis eius « naiven Egoismus » sim. *Hitz. Kn.*). Sed si perpendissent 2 Par. 32, 26 et formulam illam *repetitam : et dixit* et considerassent rem praecipuam pro Isaia esse exsilii futuri annuntiationem, unde reliqua breviter perstringantur, ab hac increpatione sibi temperandum esse perspexissent. Verba ea rite acceperunt *Mald. Sanct. Pint.* vel saltem ea in bonam partem interpretantur : saltem gaudeo de poena sic miti-

gata, ut vita mea durante exsecutioni mandanda non sit (cf. *Lap. Tir.* aliosque).

An haec acta et dicta sunt coram ipsis legatis babylonicis? Id omnino censet *Naeg.*, nam id decere dignitatem prophetae, ut quo loco sit habendus Dei legatus et quanta ipse libertate loquatur et reprehendat, etiam gentibus manifestetur; ita ipsum Deum suam maiestatem aliquo modo ostendere, sicut ostenderit per Moysen coram Pharaone, per Bileam coram Barak, per Eliam coram Naaman, per Danielem coram regibus babylonicis. Id porro certo concludi ait ex forma יבאו in v. 3 (unde venerunt); forma enim imperfecti temporis id demum designari, eorum adventum nondum plane absolutum esse atque ad finem perductum, illos ergo adhuc coram adesse, *esse advenas;* atque tales eos esse quamdiu in urbe consisterent. Ex hac porro legatorum praesentia ultima quoque verba explicat *Naeg.* tamquam ad legatos dicta : verbum Domini bonum vocavi ea conditione et suppositione, ut pax inter me et Babylonios adsit, quamdiu ego superstes ero, ne scil. Ezechias quasi homo foedifragus vel inconstans videatur traduci verbis prophetae apud legatos. Sic ille. Ultimam explicationem satis coactam et plane censeo improbabilem. Neque enim eo oraculo legati poterant ita offendi, ut Ezechias quasi excusationis gratia id adderet, neque ullo pacto decet regem oraculo Dei ex se apponere conditionem et post reprehensionem quasi cum contumacia declarare : ego ero socius fidelis Babyloniorum, ut contra *me* nunquam bella gerant, etsi Dominus foedera illa reprobet. Et quam mira esset haec regis opinio, se sua erga Babylonios fidelitate effecturum ne spoliaretur? Num non Achaz rex in Assyriis expertus est quam periculosum sit tales habere socios? Utrum legati interfuerint reprehensioni necne, in medio relinquo. Certum vestigium eos adfuisse non adest; neque tale indicium est imperf., quia ista forma etiam de eventu quodam singulari, iamdudum praeterito adhibetur : cf. Iob 3, 3 dies qua natus sum (imperf.) 11 cur egressus ex utero non statim perii (imperf.) 4, 12. 15. 16; 10, 10. 11. Iud. 2, 1 eduxi vos de Aegypto (imperf. in ipso sermonis exordio). Neque tamen adest certum vestigium eos abfuisse, nisi quod de eorum praesentia nihil commemoretur et nihil sit asserendum praeter id quod narretur.

Populum quoque peccati Ezechiae participem fuisse, uti ex 2 Par. 36, 26 et ex ipso poenae inflictae genere colligitur, nemo mirabitur; ita populus sentit et iudicat cum Achaz (7, 2) et saepenumero Isaias populum iam reprehendit de ista fatali ad alienigenas inclinatione et propensione; cf. 2, 7; 8, 6 et perpende quantopere foederi aegyptiaco studeant (28, 15; 29, 15; 30, 1; 31, 1 etc.). Tale studium exteras gentes imitandi acriter reprehendit et fecundam fuisse malorum omnium causam bene ostendit Ezechiel in parabola illa : mater tua leaena inter leones cubavit etc. 19, 2 seq.

Oraculorum subsequentium argumentum 40, 1. 2.

In Babyloniam cuncta esse transferenda vates dixerat 39, 6. 7. Conceptis ergo verbis indicat exsilium fore et abductionem in terram longin-

quam, uti iam indicatum est in visione inaugurali (6, 11. 12) et oratione comminatoria 5, 9. 13 et uti Osee (2, 14; 3, 4) et Michaeas (4, 10) aliique prophetae exsilium annuntiant. Sicuti illi simul instaurationis praedictionem adiungunt, ita idem ab Isaia factum esse prorsus exspectamus. Et certe Isaias saepe nobis exhibuit quomodo Assyriis deiectis regnum Dei novo splendore esset decorandum; cum iam idem post Assyrios adhuc alium fore hostem populi Dei, Babylonium scil., ostendisset, nonne aeque consequens est, ut nunc nobis depingat quomodo Babylonio superato et abiecto theocratiae instauratio futura sit? Uti aliorum prophetarum libri nullo modo finiuntur exsilio indicto, sed omnes in gloriosae instaurationis descriptione demum conquiescunt, ita fieri nullo modo potuit, ut Isaiae libro finis imponeretur exsilio indicto. Unde ea consideratione grave accedit ad alias probationes momentum quo quis statim sibi persuadeat praeclaram illam ex exsilio liberationem quae iam subsequitur ab ipso esse profectam Isaia.

Hanc liberationem summatim proponit sub nomine *consolationis*, quo afflictorum animi sint erigendi, confortandi, laetitia imbuendi, statim ostendens normam illam 1, 27 promulgatam etiam hic valere : exsilii scil. miseriam et afflictionem praeclara demum salute finiri. Atque nomine *consolationis* totum argumentum quod hac parte continetur optime comprehenditur; quare iam s. auctor id quod Isaiae quam maxime proprium est hisce comprehendit : consolatus est lugentes in Sion (Eccli. 48, 27). Deus enim populum suum quem elegit non abiicit; unde v. 1 « *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester* » ! — hebr. *consolamini, consolamini populum meum,* ita LXX, *Syrus, Chald.* et ipse *S. Hier.* notat : « iuxta interpretes ceteros iubentur alii, ut populum Dei consolentur » ; compellantur scil. prophetae, uti *Chald.* bene habet. Ii enim sunt *os Dei;* proinde Deum foederis fidelem custodem populum suum non in exsilio derelinquere ex Dei mandato annuntiare iubentur. Atque haec annuntiatio pro ipsis iam aequalibus Isaiae maximae erat utilitatis. Ea enim consolatione proposita denuo ostenditur tempus calamitatis inservire, ut populus efficiatur purus et ab omni flagitiorum contagione quasi a scoria emundetur (cf. 1, 25). Quemadmodum igitur Isaias pro tempore calamitatis assyriacae sedulo ac repetito docuit, quem in finem illae tribulationes a Deo immitterentur et qua mente a piis subeundae essent (cf. cap. 8-12. 28 et seq.), ita nunc ostenso exsilio babylonico iisdem vestigiis insistens et divinae providentiae consilia pandens egregie explicat et sublimiori modo pertractat, qualem salutem Deus sit largiturus et qua animorum habitudine populum oporteat divinae se committere dispositioni. Unde id etiam consequitur, ut qui tamquam vere Israelitae de iniquitate in populo praeva-

lente lugerent (cf. Ez. 9, 4), hac promissione ostensa et eo rerum exitu animos erigant et multiplices populi afflictiones illustri spe confortati facilius ferant. Cernunt enim in hac ipsa voce *consolamini* repetita, quantopere Deo cordi sit, ut lugentes in Sion ad spem meliorem et veram animorum laetitiam revocentur; etiam in *populo meo* Deus fidelis et amans suorum depingitur.

Deum velle ut haec consolatio amplissimo quodam modo omnibus afferatur et in qua re illa consistat explicatur v. 2 « *loquimini ad cor Ierusalem et advocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis* »; — « ad cor loqui idioma Scripturarum est; qui enim moerenti loquitur et blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur » (*S. Hier.*); cf. Gen. 34, 3; 50, 21. Iud. 19, 3. Ruth 2, 13. 2 Reg. 19, 8. 2 Par. 30, 22; 32, 6. Os. 2, 14; ubique ea locutione consolatio et confortatio suavissimis verbis et amore tenerrimo impensa exprimitur; quare phrasin hebr. *S. Hier.* etiam vertit : tristem delinire blanditiis (Gen. 34, 3), blande ac leniter loqui (Gen. 50, 21), blandiri (Iud. 19, 3). Altera voce *clamate ad eam* (hebr.) nuntium hunc faustissimum perferre iubentur praeconio forti et constanti, ut auribus etiam invitis ingeratur neque ullo modo ignorari possit vel dissimulari. Nuntius ipse qualis sit tribus continetur sententiis, « tria quae hic ei nuntiare iubet sunt quibus illa consolationem accipere et moestitiam deponere posset » (*For.*) : primum est, supplicium et poenam iam esse exactam et praeteriisse; *malitia* enim pro labore et molestia accipi debet, uti ex צָבָא et ταπείνωσις apud LXX patet et plerique rite explicant (cf. *Osor. Malv. Sanct. Sa, Lap. Mar. Men. Tir.*) et in noto illo habetur : sufficit diei malitia sua (Matth. 6, 34). Hebr. explica *militiam,* tempus scil. certaminis et laboris, molestiarum quoque et dolorum (cf. Iob 7, 1; 14, 14. Dan. 10, 1) et servitutis durae [1]; finem igitur tribulationum esse ob oculos habendum, quem Deus suo utique tempore sit adducturus, sed ad quem quasi ad terminum semper oculi et animi piorum intenti esse debeant, ut in rerum angustiis verbum Dei sit lucerna pedibus eorum (cf. Ps. 119, 105).

Alterum maiorem etiam praebet consolationis materiam : *dimissa,* hebr. *expiata est iniquitas eius;* peccata quibus miseriae illae et supplicia debita provenerunt satisfactione et solutione praestita expiata et deleta sunt. Proinde fons ille fecundus omnium malorum obturatus est;

---

1. Uti enim *pax* summam quandam et complexum omnium bonorum exprimit, ita *militia,* bellum, conditionem dicit laboribus et miseriis plenam.

beneficium a Deo praestitum est illo priore multo insignius; non solum enim dura illa conditio *militiae* ac servitutis cessavit, sed etiam Deus expiatione peccatorum facta veniam concessit, sibi esse satisfactum ostendit. Unde hisce iam monet propheta de indole spirituali illius liberationis et rationem consolationis potiorem in eo collocat, quod peccata sint expiata; ergo monet, si cui emolumentum theocratiae cordi sit, in id esse potissimum incumbendum, ut iniquitas, omnium malorum radix, tollatur. Tertium demum duobus antecedentibus, durae conditioni servitutis ablatae et peccatorum ponderi sordibusque abstersis, dona addit et ornamenta praeclara : duplicia i. e. abundantia munera accepit, Deus benignissimus non peccata attendit commissa; sed hic quoque valet : ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia. Hebr. *in omnibus peccatis suis* explica : quamvis multis peccatis essent obnoxii; ergo beneficia illa gratuito dari sine ullo hominum merito asseritur.

Hisce argumentum indicari oraculorum subsequentium, iam censuit *Malv.* : « propositionis pars est proleptica universe evangelii beneficia praenuntians duobus primis versibus ». Speciali autem modo tribus hisce sententiis tres partes subsequentes describi non immerito asseruit *Hahn* (Der Prophet Jesaia, erkl. von Drechsler 3. parte). Atque revera in prima parte praecipua ratione liberatio ex exsilio per Cyrum concedenda et quae illam comitantur vel etiam illa liberatione praefigurantur, sublimior quaedam liberatio et malorum servitutisque cessatio describuntur; in altera autem parte servus Domini qui pro peccatis satisfactionem praestat et eius expiationis emolumenta egregie proponuntur; in tertia demum parte de abundanti Dei in suos beneficentia amplissimus texitur sermo et *duplicia* populo reddi diserte asseritur (cf. 61, 7). Quae quam merito dicantur, ipsa explicatione magis probabitur. Cur autem sermo fiat de Ierusalem, eo declaratur quia Ierusalem centrum est theocratiae; unde hoc loco in v. 2 urbs haec, sedes regis theocratici, in qua templum quoque Domini consistit, pro populo theocratico v. 1 ponitur; ergo quae ad Ierusalem dicuntur, populo Dei dicuntur; utroque nomine regnum Dei hisce in terris constitutum designatur (cf. 2, 2. Mich. 1, 3; 4, 2. Ioel 2, 32. Zach. 12, 2. 4 et quae ad hos locos notavi).

Verum aliqua ulteriore indigent demonstratione. Plerique recte vertunt *culpa est expiata* (cf. *Osor. Malv. Rohl. Troch. Net. Ros. Ges. Sein. Del. Or.*); notio vocis colligenda est ex Lev. 26, 34. 41. 43. 2 Par. 26, 21 solvere, persolvere; dicitur quoque de sacrificio quod benevole accipitur; cf. Lev. 1, 4; 7, 18; 22, 23 etc.; unde exprimitur hoc nostro loco culpam esse solutam vel solutionem pro iniquitate esse praestitam, Deo esse satisfactum pro iniqui-

tate. Ab hac acceptione e recentioribus *Naeg.* discedit statuens notionem : *delectari, frui* i. e. fruiti sunt iniquitate sua, ita ut *ironice* dicatur : fructus iniquitatum perceperunt, satis superque gustarunt. Sed *ironia* huic loco minime convenit. Gravior est controversia de tertia sententia, utrum scil. de poenis duplicibus an de muneribus et beneficiis duplicibus intelligi debeat. Priorem acceptionem multi tuentur : populum duplices poenas accepisse a Domino pro peccatis ; sermonem esse hyperbolicum, Deum eo loquendi modo affectum ostendere tenerrimum erga afflictos, loqui quasi blandientis in modum et se ipsum reprehendentis quod tam dure cum populo dilecto egerit; ita *S. Hier. Cyr. For.* vel generatim poenas magnas atque diuturnas duplices vocari volunt (cf. *Sanct. Calm. Loch, Troch. Rohl. Kn. Sein. Del. Naeg. Or.*). Verum alia acceptio omnino est praeferenda ; eam sequuntur *Pint. Vat. Mar. Sa, Est. Clarius, Sasb. Lap. Ges. Hitz. Ewald, Hahn;* eius mentionem faciunt *Osor. Mald. Malv. Men. Tir.* et eam fere alteri praeferunt. Idque iure. Nam de poena quam sustinuerunt iam bis in antecedentibus membris erat sermo ; cur ergo iterum in tertio ? Sane, nisi adsit ratio omnino cogens, talis tautologia non erit statuenda. Atqui minime adest. Verba enim per se de donis et beneficiis accipi possunt. Et multo convenientius ita accipiuntur. Nam in membro priore miseria commemorata est duri laboris et stationis quasi molestissimae quae transierit, in altero expiatio iniquitatis tamquam causa consolationis affertur, ergo iam ratio redditur sublimior et culpam a Deo esse dimissam, proinde reconciliationem cum Deo esse factam Deique amicitiam restitutam indicatur. Unde duobus istis membris ablata esse dicuntur mala, malum exsilii, malum morale. Iam ipsa gradatione optime consequitur malis ablatis bona esse concessa et ex reconciliatione cum Deo facta sponte quasi sua profluere munera copiosa. Immo *duplicia*, uti ad poenam designandam vix apte dicuntur — Deus enim ultra modum iustum non punit — ita optime et maxime vere ac proprie appellantur duplicia beneficia illa insignia quibus Deus populum suum redemptione expiatum et reconciliatum cumulat. Adde quod duplicia bona esse restituta, in tertia parte explicite dicitur (61, 7) ; cur ergo eiusdem partis argumentum et quasi inscriptionem hisce verbis comprehensam aliter intelligeremus ? Et si Iobus dura sua statione peracta poenisque solutis *duplicia* accepit a Domino, et si Zacharias *duplicia* annuntiat iis iri redditum qui ad Sionem reversi fuerint ex terra aliena (Zach. 9, 12), an dubitabimus in priore quasi typum et exemplar huius promissionis, in altero hanc ipsam promissionem imitatione expressam agnoscere ? Minime autem obstat quod *Del.* vult tempus perf. *suscepit* לָקְחָה, cum iungatur cum duobus verbis revera tempus praeteritum exprimentibus, non posse accipi pro futuro ; nam *tria* haec verba eodem prorsus modo se habent ; designant tempus futurum, si ipsam rerum impletionem spectas ; exprimunt tempus praeteritum, si revelationem prophetae factam consideres. Sicuti enim consilio divino iam statutum est, ut demum exsilium solvatur, culpa expietur, ita res haec menti prophetae sistitur ut aliquid in se conclusum et a Deo decretum. Opus illud Dei quod propheta acie mentis vidit, id eo modo quo vidit annuntiat i. e. tamquam tale quod in idea et mente Dei iam exsistat, et proinde *tria* illa verba eodem modo expli-

cabis de eodem temporis ordine. Aut quomodo distingues? Num cum Isaias loquitur, statio illa molesta iam est dimissa? Minime; ergo in *re* tempus spectatur futurum; ergo nihil obstat quominus *suscepit* in *re* explices de futuro. Si spectas rem menti prophetae impressam, iam tria illa aeque menti eius obversari tamquam in Dei consiliis decreta mecum fateberis. — Demum *duplicia* aliqui explicant de duplici urbis Ierusalem destructione facta a Babyloniis et Romanis (cf. apud *S. Hier. Euseb. Mald. Est.*).

Ubi in *vulg.* legimus *completa est malitia,* in hebr. צָבָא habetur, quae vox generatim in *vulg.* militia exprimitur (vel officium ministerii, exercitus etc.). Unde suspicio esse potest, num *malitia* in *vulg.* non errori scribarum debeatur. Qui ex hebr. vertunt, *militiam* adoptant (cf. *Santes Pagninus, Clarius, Malv. For. Mar.* etc.) neque desunt qui in *vulg.* militiam legi volunt; « militia enim legendum in nostro et non malitia, consentiunt eruditi quique » contendit *Malv.*; alii contendunt nonnullos codices correctiores revera praebere *militia*; ita *Pint. Sanct. Sasb. Est.*; at *Lucas brugensis* notat: « nos ex nostris exemplaribus nullum quod *militia* legat invenimus; tantum in uno Cardinalis Bessarionis quondam *malitia* in *militia* mutatum atque in margine (recte est militia) scriptum observavimus ». *Calm.* quidem asserit latinos codices bene multos legere *militia*; at num vere id asseratur, vehementer dubito, cum Lucas brugensis aliter prorsus loquatur; potius suspicor *Calm.* ipsum nullum vidisse codicem sed referre solum ea quae *Pint.* aliique dixerant. Quid *S. Hier.* posuerit, erui nequit, cum illius membri nullam explicationem proferat. Apud *Haim.* in *glossa ordin.* apud *S. Thom. Lyranum* legitur solum *malitia.* Posset quidem cum Luca brugensi suspicio moveri, num non scribarum audacia, quibus *militia* ad membrum parallelum *iniquitas* haud videretur consonare, mutatio facta sit in *malitia* propter ea quae sequuntur; at res non est certa. Vere enim monet idem Lucas: quid si septuaginta duos interpretes secutus malitiam pro afflictione posuit? Atque cum LXX praebeant ταπείνωσις, facile fieri potest ut *malitia* in *vulg.* sit et exsistat ex vetere interpretatione, sicuti alia quoque ex prisca illa versione variis in locis ab ipso *S. Hier.* retenta sunt. Ex altera parte apud *S. Ambrosium* textus noster legitur: quoniam repleta est humiliatio eius, et alio loco: quia repleta est deiectio eius (cf. *Sabatier,* Bibl. sacr. lat. vers. antiq. II p. 578) et *S. Hier.* verba graeca vertit: quia repleta est humilitas eius. Unde ex hisce nihil habetur subsidii pro *malitia.* Ceterum sive *militia,* sive *malitia* legi oportet ex regulis pro *vulg.* et *eius* lectione primaria statuendis, sensus idem esse debebit; nam *malitiam* de afflictione esse intelligendam iure censent *Haimo,* qui malitiam afflictionem persecutionis interpretatur, et *Sanct. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Troch.,* alii tamen, uti *Sasb. Est. Gord. Loch,* exponunt: ablata malitia est facta remissione peccatorum, vel remissio peccatorum facta est et status peccati ablatus.

Cum tria haec argumentum in se concludant oraculorum subsequentium, quis sit verus ac proprius harum enuntiationum sensus, ex omnium demum explicatione per se patebit. Nihilominus iam hoc loco et statim a limine bene considerandus est modus quo propheta de futura liberatione loquitur. Pro ea quoque illud advertendum est quod in antecedentibus iam aderat, cum propheta temporis conditionem post calamitatem

assyriacam delinearet. Eam enim ita descripsit, ut simul cum modica illa rerum instauratione ampliorem ac sublimiorem portenderet atque delinearet. Vide quae notata sunt ad 29, 23 seq. 32, 1; 35, 1. Simili ratione propheta liberationem ex exsilio ita menti suae exhibitam cernit, ut in ea minime sistatur, verum ea omnia simul aliqua ratione exprimantur atque repraesententur ad quae liberatio ex exsilio secundum divina consilia erat praeparatio quaedam et primus quasi gressus et quae illam altiore ac sublimiore modo consecuta sunt. Unde cum ea intime iungitur liberatio messianica; ad hanc enim salutem messianicam omnia tendunt; hanc propheta nobis iam exhibuit post calamitatem assyriacam (cf. 11, 1 seq.), hanc igitur post exsilium primarium occupare locum iure exspectamus, idque eo potiore quia apud alios quoque prophetas promissioni de exsilii solutione intime adnecti cernimus descriptionem salutis messianicae (cf. Os. 2, 18. Mich. 4, seq. Am. 9, 11). Describit igitur propheta *instaurationem theocratiae,* sed eam non enarrat historice per temporum intervalla neque quomodo per suos quasi gradus et incrementa ad suam perfectionem perventura sit, sed norma generali *ideam* instaurationis quam menti divinitus impressam accepit verbis exponit. Unde fit, ut quae in rerum ordine paulatim in opus deducuntur vel ex parvis initiis longo annorum cursu ad perfectionem adolescunt, quasi simul adessent et uno partu effunderentur, saepius describantur. Cum autem Deus opera sua quo maiora sunt et sublimiora eo magis soleat similitudine quadam et exemplis praeformare hominumque animos ad illa praeparare, efficitur, ut instauratio theocratiae initium capiat a minoribus, quae similitudine quadam cum iis conveniant quae postmodum in perfecta instauratione messianica perficiuntur. Verum quia propheta non rerum cursum tempore et perfectione distinctum ac separatum, sed normam illam et ideam in qua cuncta unitate quadam comprehenduntur, oraculis suis plerumque describit, consequens est, ut non tam initia instaurationis exhibeat, verum ipsam instaurationem absolutam et perfectam, aliis verbis, ut ea quae tempore inter se dissita sunt, sed propter divinae providentiae consilia arcte inter se connectuntur, uno quasi conspectu intime inter se coniuncta exhibeat. Ceterum vide quae de simili modo rem declarandi propheticam notavi ad Os. 11, 11. Soph. 3, 20. Zach. 2, 4; 10, 10 (Comment. in Proph. min. I. p. 150. II p. 168. 241. 341). Haec visio ac dictio complectens multa etiam ita solet explicari, ut una eademque res dicatur et *historice* fieri in reditu ex Babylone et *typice* aliquid in Ecclesia Christi gerendum portendere et declarare. Eam explicandi normam tangit *Sanct.* cum statuat mediam quandam viam esse ingrediendam et neque iis assentiendum qui omnia de sola Ecclesia per evangelium fundata explicent, neque iis qui omnia

de republica ab exsilio restituta intelligant, sed id esse tenendum quasi medium inter duo illa extrema : neque omnino excludi ab hoc oraculo Hierosolymam neque praecipuo ac primo ut aiunt instituto seu intentione de illa exponendum esse vaticinium. Idem indicat *Sasb.* cum dicat, utramque liberationem (babylonicam scil. et messianicam) ita quandoque miscere prophetam, ut nescias quo respiciat.

II. — PRIMA SERIES ORATIONUM CAP. 40-48.

Finitus est labor.

1. *Oratio prima* 40, 3-31.

ARG. — Praemittitur generalis quaedam liberationis descriptio : Dominus ipse scil. populum suum vult reducere; quare iam via ei paranda est; gloriose suam ostendet maiestatem, neque quisquam opus Dei poterit impedire. Iste nuntius de opere quo Deus et fortitudinem suam et amorem in populum tenerrimum ostendit perferendus est in Sion (40, 3-11). Hisce praemissis ut operi liberationis fides concilietur, ostenditur Dei potentia et sapientia ex opere creationis, ex quo tanta eius elucet maiestas, ut nihil prorsus inveniri possit quo cultus eo dignus offeratur (40, 12-17). Cum Deus igitur talis tantusque sit, consequitur quam impium sit et stultum eum qui multiplici modo se manifestat derelinquere et idolis adhaerere; cum talis Deus populum velit liberare, consequitur omnem pusillanimitatem ac diffidentiam quam longissime esse abiiciendam; ipse enim est potentissimus et sua potentia roborat sperantes in se (40, 18-31).

Primo igitur vates exponit doctrinam de Dei potentia et sapientia creatione manifestata; dein pro necessitate et utilitate aequalium duo colligit applicatione facta ad idololatras et ad eos qui ob miseram populi conditionem quam cernunt de gloriosa instauratione theocratiae diffidunt. Illos arguit, hos consolatur et erigit, et ita utrisque veram fidem Dei annuntiat simul praeclare ostendens, quomodo ex operibus Dei naturalibus et supernaturalibus hominum animi sint erudiendi et quomodo prophetae etiam vaticinia de rebus futuris ad aequalium utilitatem et institutionem redigant. Aderant tempore Isaiae idololatrae, aderant pii iique timidi, diffidentes, oppressi; utrisque consulit, utrosque erudit verus theocratiae custos.

a) **Liberatio in universum proponitur 40, 3-11.**

Reditum ad theocratiae instaurationem Michaeas, aequalis Isaiae, ita describit : « ascendet pandens iter ante eos, perrumpunt et transeunt per portam et ingrediuntur in ea et transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum » (Mich. 2, 13 hebr.). Eodem schemate ac forma utitur Isaias : Dominum nobis ostendit qui ipse agminis ductor sit ; quare ut reditus adeo sollemnis annuntietur et praeparetur, iam fertur mandatum, ut Domino via paretur qua populum reducat v. 3 « *Vox clamantis in deserto : parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri* » ! — cf. Ps. 67, 5 : iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Ostenditur quaenam futura sit illa vox seu clamor qui bene sperare iubet populum illum quem Deus consolari vult... ac si dicat : videre iam videor clamantem praeconem et viam ad reditum et libertatem aperiri coeptam (*Sanct.*). Per viam deserti populus ex Aegypto servatus olim in terram promissam ad fundandam theocratiam tetendit ; exsilium in sermone prophetico alterum est desertum, quo populus denuo ad reditum in terram promissam praeparatur et eruditur (cf. Os. 2, 14. Ez. 20, 35), quare liberatio ex exsilio et reditus ad instaurandam theocratiam optime eo proponitur schemate. Neque abest a moribus orientalium, ut nuntii praemittantur qui regi proficiscenti viam parent (cf. *Iustin.* Hist. 2, 10. *Arrian.* Alex. 4, 30). Alii propter parallelismum (et accentus *mas.*) iungunt : vox clamantis : in deserto parate etc. (ita iam apud *Sanct. Malv. Mald.* in Matth. 3, 3) neque exinde alius oritur sensus ; nam ibi adhortatio fieri censenda est, ubi opus exigitur, ergo hoc loco in deserto. Quomodo haec cum antecedentibus cohaereant, explicat *For.* : « quasi interrogaretur propheta, undenam sciret tempus adesse quo statio dimittenda esset, unde etiam sciret Deo iam satisfactum respondet se audire vocem cuiusdam viri in deserto vocantis ad se ac dicentis : parate viam Domini ». Atque reditum illum revera fieri per desertum vel saltem ita apud prophetam describi, elucet ex 41, 18 ; 43, 20 ; 52, 11 ; 55, 12 ; 57, 14 ; 62, 10. Hac autem admonitione facta id populo iam hoc loco inculcatur quod toties apud Isaiam in hac altera parte inveniemus et quod in priore parte tanta quoque cum facundia commendavit (cf. 8, 16 seq. 26, 20 ; 28, 23), populum se debere praeparare ad salutem a Domino accipiendam, removenda esse obstacula, auferenda impedimenta. Quaenam illa sint, variis orationibus propheta declarabit.

Quam necessaria sit eiusmodi praeparatio et quam sedulo sit instituenda, ex schemate adoptato ulterius oculis subiicit v. 4 « *omnis vallis*

exaltabitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt prava in directa et aspera in vias planas » ! — hebr. in altero membro : *et locus acclivis in planitiem et salebrosa* (iuga montium saxosa?) *in vallem*; omnia ergo sedulo removenda quibus iter impeditur vel difficile redditur; futura explica, ut *For.* monet, pro imperativis, ut sint haec veluti explicatio superiorum, quo pacto viae sint parandae, ut semita adsit plana ac facilis. Haec vero omnia in id tendunt, ut gloria Domini omnibus reddatur conspicua et omnes intelligant esse opus Domini praeclarum v. 5 « *et revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est* » ; — en, quomodo vates statim ab ipsa praeparatione properet ad ultimum terminum, ad quem cuncta Dei opera natura sua tendunt et in quo absolvuntur, ad gloriae Dei manifestationem ; cernit iam id quod in visione inaugurali tamquam omnium operum divinorum exitum et fastigium didicerat : plena est omnis terra gloria eius (6, 3) ; unde addit *omnis caro videbit;* ea scil. manifestatio gloriae iam non uti olim in liberatione ex Aegypto ad unius populi salutem fiet, sed omnis caro, omnes mortales pariter, totum genus humanum hac gloria illustrabitur eiusque splendore perfruetur. Quemadmodum enim in liberatione ex Aegypto gloria Domini, i. e. nebula illa e cuius medio emicabat ignis et vox Domini audiebatur, dux erat populi eique in salutem, in interitum autem hostibus persequentibus (Ex. 14, 20 ; 40, 36 etc.), ita in hac liberatione Deus gloriam suam cunctis reddit conspicuam omnesque hac gloria protectionem ac salutem uti Israelitae quondam nancisci poterunt. Fit igitur quod vates simili modo iam 4, 5 vaticinatus est. Additur confirmatio *quia os...* apud Isaiam obvia (1, 20 ; 21, 17 ; 22, 25).

Cum in subsequentibus duplex describatur liberatio, prior per Cyrum concedenda, altera per Messiam altior ac sublimior efficienda, verba haec introductoria aliqua ratione ad utramque referenda sunt. Verum uti ex v. 5 et tanta loquendi amplitudine colligendum est, vates ita sublimem illam ac perfectam liberationem ob oculos habet, ut prior illa sit solum tenue quoddam initium ac primus veluti gradus ad alterius fastigium. Et sane si sermo infertur de omni carne quae videbit gloriam Dei sese manifestantem, iam arctos veteris legis limites relinquere et ad tempus messianicum mentem oculosque convertere iubemur. Atque revera in Messia demum gloria Domini revelata est, in eo vera illa *schechina,* nubes illa lucida, Dei praesentis et in populo inhabitantis symbolum, apparuit et sedem fixit inter populum et per eum salus offertur omni carni et per eum denique Dominus quam maxime proprie ad nos locutus est. Quare si unquam, tum ante Messiam vox illa debuit audiri « parate viam Domini » et audita est vox clamantis in deserto

Deoque placuit verba haec prophetica ad literam implere in praecursore Domini (cf. Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. 4. Luc. 3, 4. Ioan. 1, 23). Unde cum Domino via paranda sit, qua ad nos veniat animosque plane occupet, ut eius gloria in nobis quoque reluceat, symbolica v. 4 explicatio obvia est illamque passim tradunt ; v. g. *S. Hier.* : « ut rectas faciamus vias et semitas in cordibus nostris Deo impleamurque virtutibus et inclinemur humilitate ; prava mutemus in recta, aspera vertamus in mollia et sic gloriam Domini et salutare Dei videre mereamur » vel : « qui superbiae montem in corde gerit, tumorem hunc deprimat ; qui vallem pusillanimitatis et acediae in se continet, eam impleat, elevet et adaequet per magnanimitatem et fiduciam in Deum ; qui asperis est moribus, ad suavitatem et modestiam se componat » (*Lap.*). Alii in verbis istis ea potius cernunt expressa, quae per Messiam facta sunt ; olim enim vitam eximiam et virtutis semitam parum fuisse tritam, iam omnibus apertam (*S. Cyr.*) vel Messiam incredulos in imum depressisse, cultum daemonum qui in montibus exercebatur sustulisse (*Theod.*) vel humiles ab eo esse exaltatos, superbos depressos, iniustos ad iustitiam reductos, insolentiam mutatam in mansuetudinem (*Pint.* sim. *Sasb.* aliique).

Oraculum igitur hoc generali quadam ratione ad utramque liberationem refertur. Neutra potest excludi ; non babylonica, quia post cap. 39 necessario liberatio illa debet annuntiari et prior per se exspectatur, et quia haec in subsequentibus quoque clare designatur per Cyrum efficienda ; non messianica, quia haec quoque in subsequentibus clare exprimitur et iam tanto v. 5 ambitu continetur et quia prior illa ex constanti modo loquendi prophetarum (cf. Os. 2, 15 seq. Mich. 2, 12. 13. Ier. 31, 21 seq. Ez. 36, 9 seq. 37, 11 seq. etc.) non est nisi praeambulum alterius. Quare qui *unice* locum explicant de Ioanne Baptista non totum oraculi argumentum exponunt neque satis ad proximum attendunt contextum. Unde cum *Sanct.* ea est tenenda explicatio, qua utraque liberatio comprehendatur. Atque uti verba plane ac plene ad messianicam conveniunt, ita inchoatione quadam etiam de priore pro eius indole valent. Ita de ea re *Sanct.* : « ut ostendat propheta solutam fore atque apertam viam, quam tot difficultates et moles tamquam obiectae rupes morabantur, omnia removet obstacula quae quominus facilis sit ac planus cursus impedimento sunt.... sic ergo propheta elegantissime, ut solet, facilem et gloriosum reditum describit eorum, qui ignominiose antea abducti fuerant in exsilium » et comparat Baruch 5, 5 et confirmat ex Esdra et Nehemia, quanto principum favore, quam ornati et lauti in patriam redierint Iudaei. Similiter explicant *Mar. Calm. Net. Rohl. Troch.* ; plerique tamen de uno Ioanne praecursore Domini et salute messianica interpretantur vel saltem eius solius mentionem faciunt ; ita *S. Ephr. Hier. Cyr. Euseb. Thom. Osor. For. Pint. Sasb. Lap. Men. Gord. Mald.* ; ea quidem lite-

raliter exponenda esse de Iudaeis e captivitate babylonica reductis *Tir.* quoque negat; attamen concedit *alludi* magna ex parte ad liberationem illam, cum haec illius per Christum figura et typus fuerit. Sed si alluditur, illa significatio a sensu literali separari nequit.

Magna annuntiata sunt : Israel populus ex abiectione et humiliatione erigendus et splendore gloriae Dei cingendus erit; quomodo haec fient? quomodo hostium potestas qui theocratiam infestantes depresserunt frangetur? quomodo populus ex istis sordibus et vinculis emerget? quomodo montium iuga et vallium profunditates et viarum asperitates et anfractus complanari ac dirigi possunt? En, dubiis istis animi pulsari possunt promissionum magnitudine cum populi misera conditione comparata. Dubia egregie solvuntur ostensa omnium hominum fragilitate et potentia divina v. 6 « *vox dicentis : clama! et dixi : quid clamabo? omnis caro fenum et omnis gloria eius quasi flos agri ;* v. 7 *exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo ; vere fenum est populus* v. 8 *exsiccatum est fenum et cecidit flos ; verbum autem Domini nostri manet in aeternum* » ! — audivit propheta annuntiationem in v. 3-5 factam, et fortasse secum miratur de tanta inter populi conditionem miseram et magnitudinem promissionum intercapedine. Iam admonetur ipse, ut nuntium quem audierit praedicet. Interrogat vates (*et dixi,* ita bene LXX et *S. Hier.*; textus *mas. Syrus, Chald.* et dixit) quasi stupefactus vel nesciens a quo annuntiationis exordium sit sumendum ; fit ei responsio : omnem humanam pompam et gloriam esse sicut fenum; sicut herba exarescit et flos repente decidit, cum primum ventus acrior vel urens flaverit, ita omnem elationem facillime confringet Dominus ; nam coram ipso omnis hominum potentia coniuncta non est nisi fenum et stipula; uti haec exarescunt et cadunt, ita verbum Domini solum firmiter stat et consistit in aeternum. Tria continentur annuntianda : quam fragile, quam nihilum sit omnis caro, omnis potestas hominum ; dein omnem istam pompam revera iri contritum vel in Dei idea iam esse plane in nihilum redactam; demum solum stabile, fixum atque sempiternum esse Dei verbum, et proinde salutem a Deo promissam deiecta humana potentia et gloria certissime fore in opus deducendam eamque fore inconcussam, sempiternam. Proinde idem inculcatur quod 2, 11 etc. et deinceps saepius est propositum. Hisce ergo fiducia roboratur : emphatice et repetito quam caducum et fragile omne sit quod humanum est effertur, quomodo iam plane conciderit ; huic opponitur Dei potentia, Dei verbum consistens in aeternum ; quis iam locus esse poterit diffidentiae, pusillanimitatis ? Hisce doctrina innuitur de indole spirituali instaurationis : nam omnis pompa abiicitur;

herba exaruit, flos decidit; nihil ergo splendoris humani relictum vult Deus; hisce salus Domini triumphans et victrix in sempiternum proclamatur. En tria argumenta fecundissima, quae uti in priore parte vaticiniorum iam sunt proposita, ita in subsequentibus multo uberius ac splendidius enarrabuntur. — Herba etc. saepe fragilitas declaratur; cf. Is. 37, 27; 51, 12. 4 Reg. 19, 26. Ps. 36, 2; 91, 8; 101, 12; 102, 15; 128, 6. Iob 8, 12; 14, 2. Eccli. 14, 18 etc. Sententiam esse generalem, iam elucet *ex omni carne*; quare etiam *populus* v. 8 quae vox ex parallelismo substituitur eodem modo debet intelligi; notionem restringere (*For. Hahn, Naeg.*) ad populum Israel repugnat modo quam maxime generali loquendi quem hic cernimus usurpatum et quem in subsequentibus quoque saepe deprehendimus (cf. 41, 11; 42, 5; 44, 9 etc.).

Quaenam sit horum versuum propria hoc loco vis et quis cum antecedentibus nexus, varie explicant. Bene dicit *S. Thom.* ostendi in parte ista prophetiae firmitatem per comparationem ad hominum fragilitatem; nexum eundem etiam statuunt *Sanct.* et *Calm.* ostendi scil. ingentium imperiorum vires ac maiestatem merum nihil Deo esse; grandia illa esse evertenda et iri eversum, ut salus Dei consistat; haec proin addi etiam ad firmam fiduciam creandam. Atque haec satis ad rem sunt. Alii alia deducunt ex comparationibus institutis; ita *S. Cyr.* eos cernit ibi describi quibus liceat potiri salute Dei, qui scil. omnem gloriam humanam tamquam fenum existiment et proiiciant; alii fragilitatem hominis eo proponi volunt, ut pateat hominem suis viribus minime posse ad illam salutem aspirare, ut agnoscat quamvis ex nativitate naturali nil habeat quam quod sit fenum, fieri tamen posse ut perpetuo maneat et immortalitate beatus fiat, si salutem et verbum Domini amplectatur (*Sasb.*); sim. *Pint.* qui addit ea inter se oppositione quam maxime efferri misericordiam Dei splendidissimam et summam hominis miseriam (sim. *Tir.*), a qua re non longe abest *Mar.* qui in hisce versibus omnia esse caduca, solum Deum firmum ac stabilem praecipue doceri censet. Alii magis accedunt ad explicationem *S. Cyr.*; ita *Gord.* qui hanc meditationem proponi ait, quia si homo agnoscat quam nihil sit, via ad salutem illi complanetur; ita *Lap.* doceri ait viam ad Christum esse humilitatem; « haec enim humilis meditatio omnia alta, prava et aspera complanat in anima nostra, omnia vitia tollit, omnes virtutes inserit omnemque gratiam Dei ad se allicit »; *Malv.* versus hos ad poenitentiam referri ait. — Hisce patefit ad quam varia versus hi accommodentur et quanta in eis pie meditantibus vena aperiatur. Verum talibus ipse nexus qui ex subsequentibus quoque suadetur non colligitur. Unde *Sanct.* quoque adnotat talia ad *spiritualem* sensum pertinere, v. g. quantum sit in humilitate momenti ad parandam Domino viam etc. — Mirum est aliquibus in mentem venisse *carnem* hic interpretari de ritibus et caerimoniis legalibus quae feno comparentur et quae inutilia esse Iudaeis sit annuntiandum

(cf. *For. Mald.*). Neque minus mirum est quod *Hahn* censet, hisce v. 6-8 aliis verbis idem enuntiari quod v. 2 iniquitatem Israel benevole accipi a Domino (ita enim ille v. 2 explicat), quare etiam v. 7 populum solum de Israel intelligit.

Cum igitur haec Dei promissio adeo egregia (v. 5) immutabilis sit et aeterna, iam omni fiducia et maxima animi exsultatione est annuntianda ; unde v. 9 « *super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem, exalta, noli timere ! dic civitatibus Iuda : ecce Deus vester* » ! — postquam indictum est, ut via paretur Domino (v. 3. 4), et manifestatio gloriae Domini ostensa est invicta (v. 6-8), ipsi iam Sioni et Ierusalem nuntius afferendus est simul cum reliquis civitatibus Dominum venturum esse ad instaurationem theocratiae (cf. 44, 26 ; 54, 11 seq. 61, 4 ; 65, 8). Sion enim et Ierusalem i. e. arx regia et centrum theocratiae nobis proponuntur lugere de ruina reipublicae ; cf. 49, 19 : dereliquit me Dominus et Dominus oblitus est mei, vel vide quomodo lugeat Ierusalem in lamentationibus Ieremiae, et merito luget, quia « gloria Domini » egressa est de templo et urbe (cf. Ez. 11, 22. 23). Iam lugenti affertur consolatio i. e. nuntius de reditu Domini, cuius gloria urbs illustranda est (cf. 60, 1 seq.). Iubetur nuntius altum ascendere montem, ut longe lateque annuntiatio audiatur ; iubetur omni vocis contentione, palam, intrepide, summa cum alacritate eam perferre et testificari omnibus ; « non enim decet, inquit, qui evangelizant omnibus undique gloriam et salutem Dei timide et submisse id facere quasi qui latere studeant, sed tamquam in excelso positos et omnibus conspicuos et magna libertate tamquam in monte exsultantes clara voce quae aures penetret uti et quae sit metu libera » (*S. Cyr.*). Optime *evangelizare* laetum nuntium et omnis salutis argumentum declarat ; בִּשֵּׂר LXX εὐαγγελίζειν ; unde *evangelium* pro nuntio prae omnibus salutifero, pro salute messianica (cf. 41, 27 ; 52, 7 ; 60, 6 ; 61, 1).

Hebr. proprie admonetur *evangelizatrix Sion ;* vocem hanc multi ita intelligunt, ut Sion et Ierusalem iubeatur montem ascendere et laetum nuntium perferre ; ita *Osor. Vat. Sasb. Mald. Mar. For. Rohl. Troch. Sein. Or. ;* verum vox etiam ita concipi potest, ut sit *nuntia Sionis,* ut ii designentur qui Sioni nuntium afferunt. LXX praebent ὁ εὐαγγελιζόμενος Σιών ; *Aq.* εὐαγγελιζομένη Σιών et *S. Hier.* notat : « hebraicum et ceteri interpretes ponunt genere feminino, ut dicant *quae evangelizas Sion...* quod verbum iuxta Graecos ambiguum est ut possimus accipere vel eam quae nuntiat vel eam cui nuntiatur ». Hanc ultimam notionem, quam exprimunt LXX, *S. Hier. Chald.*, sequendam esse censeo cum

Sanct. Calm. Schegg, Ges. Kn. Hahn aliisque. Nam Sionem admoneri, ut montem conscendat, satis mirum videtur; deinde apud Isaiam aliosque prophetas ipsa urbs exhibetur de ruina theocratiae lugere (cf. Is. 49, 14); alias ipsa admonetur, ut audiat nuntium (cf. 52, 1 et saepius); immo modo v. 2 prophetae iussi sunt, ut solentur Ierusalem blando alloquio; ergo vix credibile videtur, statim scenam ita mutari, ut subito Sion sit nuntia salutis. Porro si Sion mater tamquam nuntia consideraretur, potius diceretur : *dic filiabus* Iuda, cum urbes Iuda filiae metropolis soleant nominari; demum ubique Ierusalem exhibetur tamquam accipiens nuntium (cf. 41, 27; 44, 26; 49, 18; 52, 7; 61, 1 etc.). Est ergo *evangelizatrix* hebraismus, uti habitatrix, migratio, famulatus etc. dicitur ad designandos incolas, vel eos qui migrant, famulantur, etc. Quod *Naeg.* obiicit, vocem hanc *evangelizatrix* alibi hac notione plurali non inveniri, inefficax est, cum de tali usu loquendi multis constet exemplis aliis, etsi in hac eadem voce aliud non reperiatur; neque obest numerus singularis in verbo *ascende, exalta, dic,* cum hic ad formam grammaticalem sit exactus, uti v. g. Gen. 37, 25. Is. 12, 6 (exsulta, lauda habitatrix Sion). Ier. 48, 19. Mich. 1, 11 etc. unde arbitrarie h. l. numerum postulat in verbis pluralem *Naeg.* —

Iam quid annuntiatione *ecce Deus vester* contineatur, pluribus declaratur v. 10 « *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet et brachium eius dominabitur; ecce merces eius cum eo et opus illius coram illo* »! — bis effertur potentia Domini; quis ergo de opere grandi dubitabit? Brachium Domini symbolum est pro magnalibus; ita v. g. *brachio* eius magnalia in Aegypto, in liberatione ex Aegypto adscribuntur; cf. Ex. 6, 6; 15, 16; Deut. 4, 34; 5, 15 etc. Is. 44, 12; 51, 5. 9; 62, 8 etc. Haec ergo mira et eximia Dei potentia *dominabitur,* potestatem et imperium exercet *sibi* (hebr.), suam causam aget, pro suo verbo ut illud stabiliat omnipotentiam suam ut pignus ponit. Hanc fortitudinem autem praeprimis ostendet in mercede piis danda, ergo in bonis eis afferendis et in *retributione* (hebr.) in vindicta contra hostes. Venit ergo ut omnium bonorum largitor, sed etiam ut vindex et ultor malorum, ergo in resurrectionem et ruinam; ergo statim ab initio tempus adfore indicat aliis in salutem, in ruinam aliis. Ut enim suos bonis afficiat, necesse est ut hostes efficaciter compescat. Duplicem hunc effectum adventus Domini iam describit propheta 8, 21 et 9, 1 seq. 24, 6. 10 seq. 30, 23. 27 etc. eumque in subsequentibus frequenter tangit. Cum igitur effectus ille in resurrectionem et ruinam, oppositio inter bonos et malos, adeo frequenter apud Isaiam efferatur et verbum ipsum פְּעֻלָּה ad id aptum sit (cf. Is. 65, 7. Ps. 109, 20), ea explicatio est praeferenda, praesertim cum ita revera versibus istis *integrum* argumentum vaticiniorum subsequentium habeatur. Minus placet quod quibusdam visum est, utramque vocem pari accipere notione (*Mald. Troch.*) vel id quod Deus tam-

quam labore partum et acquisitum affert esse ipsum populum ex captivitate redemptum (cf. *For. Kn. Or.*).

Venit ergo in fortitudine bona largiens suis et quomodo omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestet, pulcherrime describitur v. 11 « *sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit* » ; — ultimum in hebr. *lactantes (placide) ducet* [1] ; en quali amore tenero omnium providet necessitatibus ! Tamquam *pastor* venit qui optima pascua gregi suo tribuet; agniculos tenellos, ne itinere fatigentur, brachio sublatos sinu suo et gremio fovet; alios sensim atque leniter aget; ipse ducit, ne aberrent. Rex dicitur pastor populi, pascere in sacris literis idem est quod regiam exercere potestatem (cf. 2 Reg. 5, 2; 7, 7). Quare Messias, uti est rex theocraticus, ita et pastor populi sui κατ' ἐξοχήν; cf. Ier. 23, 4. Ez. 34, 13. Mich. 5, 4; 7. 14. Zach. 11, 7.

Haec utique si fiunt, tunc finitus est labor. Quare versibus istis totius huius sectionis argumentum brevi cernimus propositum. *Parate viam Domini* verba sunt, quibus liberationem in visione iam cerni instantem asseritur. Haec autem liberatio ac redemptio, quia verbo Domini in aeternum manente promittitur, efficietur contranitente frustra quacumque potentia humana, efficietur ita ut omnis pompa humana cadat, efficietur ita, ut summa laetitia populus Dei afficiatur; est enim adventus Domini potentissimi largitoris bonorum et vindicis malorum qui suos tenerrima cura fovet. Quod in hac quasi introductione iam innuit propheta, luculenter praestat in subsequentibus : animos oppressos ac deiectos erigit proposita Dei potentia qui gentium idolorumque pompam deiiciet et insolentiam franget et suo populo triumphum ac salutem concedet, et quos ostensa Dei potentia erexit, eos declarata gloria et beatitate salutis de praesentis conditionis miseriis consolatur et ad egregiam spem et Dei benignissimi amorem provocat.

b) Dei potentia et sapientia 40, 12-17.

Quod propheta in v. 6 tetigerat, iam accuratius prosequitur. Ne scil. cernentes populi afflicti conditionem miseriamque et gentium potestatem triumphantem de annuntiata populi liberatione et gloria quasi ancipites dubiique haereant, sacer vates egregia descriptione et sublimi

---

1. Vocem נהל *Delitzsch,* Prolegg. p. 17 explicandam esse censet *quiescere, cubare*; ergo in piel *quietem dare.* Insuper vide *Strassmaier* S. J. Verzeichniss der akkad. assyr. Woerter n. 5983; ex vocibus synonymis eo loco allatis significatio *quiescendi* constat, uti *P. Strassmaier* quoque censet.

modo sermonem transfert ad Dei potentiam omnium mentibus oculisque exhibendam. Illam ut concludamus vult ex iis quae in mari, in coelo, in ipsa orbis terrarum mole nobis immensa videntur : v. 12 « *Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo ponderavit ? quis appendit tribus digitis molem terrae et libravit in pondere montes et colles in statera* » ? — hebr. *quis comprehendit trientali pulverem terrae ?* Dei potentiam ita ad captum omnium describit, ut ea quae nostram omnem cogitationem superant et ingentia nobis apparent, nullo negotio dicat a Deo nosci, ponderari ; « humanae consuetudinis verbis utitur atque mensuris, ut Dei potentiam per nostra verba discamus » (*S. Hier.*). Vastam ergo maris magnitudinem Deus vola metitur et immensa coelorum spatia palmo et terrae molem ingentem trientali complectitur ; id est Dei comparatione hae tantae moles perinde sunt atque illa quae manu conclusa sunt (*Sanct. For.*); quam ergo *facile* est Deo res cunctas creatas sustentare et regere, ut quaecumque promisit nullo negotio et rebus omnibus sibi ministrantibus exsequatur (*Malv.*). « Quoniam ex magnitudine et pulchritudine creaturarum proportione quadam opifex dignoscitur (Sap. 13, 5), iure ea quae penes nos maxima habentur collata cum Deo extenuat ad conditoris omnium nos notitiam evocans » (*Euseb.* sim. *S. Cyr. Theod. Osor. Sasb. Lap.* etc.). — Ad versionem suam notat *S. Hier.* pro *tribus digitis* in hebr. scriptum esse שליש *salis,* quem Symmachus τρίτον, Aquila τρίσωμον [1] verterit, se autem ut manifestius faceret in *tres digitos* vertisse. LXX praebent δρακί; hebr. nomen est mensurae, tertiae partis ephae ?

Praeter potentiam hanc maximam Deo etiam inest omnis sapientia, ita ut in rebus excogitandis vel opere exsequendis nihil ab ullo alio accipere possit v. 13 « *quis adiuvit spiritum Domini aut quis consiliarius eius fuit et ostendit illi ?* v. 14 *cum quo iniit consilium et instruxit eum et docuit eum semitam iustitae et erudivit eum scientiam et viam prudentiae ostendit illi* » ? — hebr. *quis direxit spiritum Domini* ? in mundi hac machina exstruenda nemo Deo normam vel regulam suppeditavit, ne consilium quidem dedit ; idem vates alio modo declarat dicens : cum quo iniit consilium, qui eum instrueret et doceret eum viam iudicii i. e. quid in se sit rectum et iustum, ergo qui eum ideas rerum exemplares doceret ; neque quis eum iuvit in ideis istis plene intelligendis neque ei adstitit auxiliator vel suasor in prudenti exsecutione, ut scil. quae rite mente concepta essent, etiam modo convenientissimo in opus deducerentur. Sedulo igitur per singula omnem modum qui excogitari possit ad

1. *Field* Aquilae attribuit ἐν τρισσῷ ; hoc enim Aquilam pro שָׁלִשׁ posuisse Ps. 79, 6 ; Hexapl. II p. 510.

aliquem artificem iuvandum removet et interrogationibus adeo distinctis quam maxime omnium animos excitare vult, ut per singula ratiocinantes sublimissimum sibi efforment conceptum de divina sapientia infinita, quam Deus habet ex se, cui deesse nihil, nihil accedere possit. « Quantam igitur utilitatem hinc auditoribus propheta comparat » (*S. Cyr.*) ? Ostendit igitur « Deum omnia scire et posse administrare; neque enim alicuius consilii eget ad comprehendendam animo describendamque solertia universi fabricam neque ad exsequenda opera quae concepta iam animo descriptaque fuerant » (*Sanct.*).

Neque mirum est neminem posse Deo quidquam largiri scientiae, nam ipse adeo est sublimis et perfectus, ut comparatione eius reliqua omnia quasi nihil reputentur ; id explicatur et de genere humano universo et de orbe terrarum v. 15 « *ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt; ecce insulae quasi pulvis exiguus* » ! — quid interest, utrum in situla sit una gutta plus vel minus? quis in hoc inquiret ? ecce tam parum omnes gentes Deo aliquid conferre possunt, tam parum immo interest Dei maiestate spectata, utrum exsistant necne; « quomodo si de situla stilla modica fluat, a portante negligitur, ita universa gentium multitudo pro nihilo ducitur » (*S. Hier.*) ; « nam quid est stilla una decidens e situla » (*S. Cyr.*)? « Ut autem in aquarum liquidorumque mensuris minima est stilla seu gutta, sic etiam in ponderibus minimum est *momentum* ; hoc tamen loco aliquid levius etiam sonat hebr. שַׁחַק, quod significat pulvisculum ita levem, ut etiamsi in stateram seu bilancem incidat quantumvis illa solertissime librata sit, non tamen eam vel minimum in alteram partem inclinet » (*Sanct.* sim. *Osor. Vat. For. Mar.*) ; cf. Sap. 11, 23 : « quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum et tamquam gutta roris antelucani quae descendit in terram ». Ultimum membrum hebr. vertunt : *insulae, quasi pulvis* (qui) *sustollitur* (cf. *Sanct. For. Malv. IV Net. Rohl. Kn. Del.*) vel : *insulas levat* (proiicit, tollit) *sicut pulverem* (cf. *Mald. Mar. Calm. Naeg. Hahn, Or.*) ; אִיִּים et insulae sunt et orae maritimae et regiones omnes ad quas per mare transmissio est (*Sanct.*) et hoc loco fortasse totus orbis oceano circumdatus.

Cur quidam h. l. non regionem ipsam terraeque molem, sed *incolas* velint intelligi, non perspicitur. Efficacius Dei praestantia et magnificentia menti proponitur, si universa creatura, et quae intelligentia praedita sit et quae ea carens ingenti mole extenditur, in comparationem advocata prorsus dicitur evanescere. Ergo nulla est ratio, cur quidam (*Ros. Troch.*) sensum obvium relinquant. LXX praebent : quasi saliva reputabuntur. *Sym.* et *Theod.* ipsum hebr. *doc* (דֹּק) re-

ferente *S. Hier.* posuerunt ; alterum affert *Field.* : ὡς λεπτὸν ἀποπίπτουσιν ; *Aq.* λέπτον βαλλόμενον transtulit ; addit *S. Hier.* : « aiunt Hebraei hoc verbo significari tenuissimum pulverem qui vento raptante saepe in oculos mittitur et sentitur potius quam videtur ; minutissima ergo frusta pulveris et pene invisibilia hoc verbo appellantur, quas forsitan Democritus cum Epicuro suo atomos vocat ». *Chald.* habet : ecce insulae quasi minutum (palea, favilla ?) quod volat. Explicant יְטוּל vel imperf. niph. a טִיל i. e. נטל, vel imperf. qal a נטל cf. 2 Sam. 24, 12 ; Ier. 21, 8 ; inde versio alia et alia, quae tamen sensum vix mutat. Versiones tamen veterum priori acceptioni calculum adiiciunt ; etiam *Syrus* : insulae ut pulvisculus proiicientur. Ceterum haec explicatio etiam melius parallelismo et sensui congruit, dummodo vertas : sicut pulvisculus qui levatur ; nam de ipsa actione Dei (insulas portat *Hitz.*, ponderat *Ewald ;* levat vel eradicare potest, si vult *Umbreit, Drechsl.*) hoc loco non est sermo, sed solum pro qua re (comparatione Dei) habeantur.

Tanta Dei maiestate descripta apte subsequitur « quod excedit quoque omnem condignum honorem » (*S. Thom.*), quod cultus ei condignus a nullo potest exhiberi ; unde comparatione sumpta a sacrificiis quotidianis vates admirabundus exclamat v. 16 « *et Libanus non sufficiet ad succendendum et animalia eius non sufficient ad holocaustum* » ; — « ait ergo Libanum qui aromate abundat lignoque suaviter olenti non satis esse ad suffimentum et animalia quae illo in monte spatioso et ubere magno pascuntur numero ad holocausta non sufficere » (*Sanct.*). Quale sacrificium : Libanus nobilissimus ligna pretiosa et feras omnes ad holocaustum unum mittere inducitur, idque longe abesse asseritur a Dei dignitate ; quid iam unius ovis erit oblatio ? Ita confunditur praesumptio pharisaica (cf. 1, 11 seq.) ; cf. Mich. 6, 6. Cur autem eum non possimus ut par est colere (*Mald.*) ratio affertur ex divina magnificentia, in cuius comparatione reliqua omnia in summa versantur inanitate (*Osor.*), v. 17 « *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* » ; — animata et inanimata, quae sensu, intelligentia pollent et quae iis destituta ingenti mole praestant, omnia perlustravit propheta, ut ex iis animos nostros qui e rebus sensibilibus notiones hauriunt sublimi Dei notione imbuat. Deus est esse infinitum, ita ut reliqua omnia ei comparata sint nihil, inane, vacuum (cf. hebr.), quia inter Deum et creaturas intercapedo interiacet infinita et *esse ab alio* eo ipso dependentiam, fragilitatem, contingentiam dicit neque ulla ratione cum *esse a se,* cum ente necessario componi potest aut ei aequiparari. — Hebr. מֵאֶפֶס explicant nonnulli per comparationem : prae nihilo, minus sunt quam nihilum (cf. *Mar. For. Malv. III. Eichhorn, Umbreit, Naeg.*) ; at id nimis videtur subtile dictum. Unde melius מִן exponunt alii de origine vel similitudine : tamquam ex nihilo, ad nihi-

lum pertinens, nihilo pares reputantur (*Rohl. Net. Kn. Hahn, Sein. Del.*), vel sensu partitivo (*Or.*).

c) Contra idololatras et diffidentes 40, 18-31.

Ex Dei sublimitate descripta iam colligit propheta quae pro aequalibus suis utilia et necessaria sunt eamque doctrinam ad mores emendandos et animos erigendos applicat. Nunquam enim propheta sui temporis aequaliumque obliviscitur, sed ex Dei doctrina consiliisque quibus abundantissima ad erudiendos animos seges continetur vivendi normam regulamque deducit. Iam quid Isaias in populo cernit? Uti ex priore parte didicimus, invehitur in idololatras (cf. 2, 8. 18. 20.) et vitia idololatriae sociata, erigere et vera fiducia fideque imbuere studet animos debiles et diffidentes (cf. 8, 17 seq. 10, 24; 12, 2; 14, 4). Idem utrumque egregie praestat hoc loco. Unde primo divina altitudine ad oculum demonstrata summam stupiditatem indignatus perstringit, qua nihil altum ac sublime illi de Deo concipiunt: v. 18 «*Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei*»? —hebr. potius *facitis* vel *facietis* i. e. facere potestis; qui scil. fieri potest, ut nihil iam sublime ac dignum de Deo sentientes divinam hanc maiestatem idolorum imagine repraesentari censeant ibique numen divinum quasi concludi vel exhiberi? « stulti facti sunt et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis » (Rom. 1, 23). Si enim res omnes quasi nihil sunt coram eo, quomodo tantae maiestatis exemplar et vis in re vilissima, in idolo residere censeri potest, et « si ex gutta situlae nemo possit oceani vastos ac profundos sinus effingere, si ex tenui pulvisculo altissimorum montium, immo totius terrae molem attollere nequeat, quomodo e re tantula divinae et immensae naturae imago conflabitur » (*Sanct.*)?

Quam insani sint idololatrae, ironice perstringit et ad oculos demonstrat stultam operationem describens, qua, ut ait *S. Thom.*, in vili materia nobilissimam formam inducere volebant v. 19 « *numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud et laminis argenteis argentarius?* v. 20 *forte lignum et imputribile elegit; artifex sapiens quaerit quomodo statuat simulacrum quod non moveatur* »; — in hebr. sententia non per interrogationem, sed per affirmationem effertur; *numquid* explica nonne, cum in *vulg.* numquid particula usurpetur interrogationis (cf. *Kaulen*, Handb. z. Vulg. p. 197); ut *For.* bene notat, *S. Hier.* ה in הפסל ut particulam interrogationis interpretatus est. Hebr. verte: *simulacrum fundit faber ferrarius et conflans auro illud obducit* i. e. deauravit extendens aurum desuper (*Mald.*) vel laminis

aureis obducit, uti fiebat in simulacris vel ex ligno vel ex vili metallo factis; et ut firmiter statuatur idolum ac teneri possit ne cadat *catenas argenteas conflat* (cf. *Malv. IV* et recentiores). Ita qui dives est. Alio modo pauper idolum sibi facit. Id in v. 20; hebr. *qui pauper est quoad oblationem elegit lignum quod non putrescit* (ita *Kn. Del. Naeg. Or. Troch.*) vel ut alii vertunt *pauper in oblationem eligit* (cf. *Mald. Mar. Malv. For. Rohl. Net. Hahn, Sein.*); debet scil. idolum protegere ne pereat vel curare ut diu maneat; proinde elegit lignum quod non facile putrescit, dein *sapientem artificem quaerit sibi, ut paret simulacrum quod non moveatur* (hebr.). Quam ridicula sedulitate ipse pauper idolum faciendum curat eique prospicit ut stare queat, cavetque ne cadat et laedatur deus! Deridet igitur, ut *S. Cyr.* ait, idolorum effictionem, « quasi sit fabri peritiae hominibus istis errore seductis deum fabricari pro mensura et modulo cognitionis suae ex animi eorum sententia, ut ita securo ac tuto muniatur praesidio ne moveatur, neve cum ceciderit confringatur ».

S. Hier. scribit : « in hebr. dicitur *amuschan* (הַמְסֻכָּן) quod genus ligni est imputribile, quo vel maxime idola fiunt ». De paupere quoad oblationem veteres versiones nihil habent. LXX eorum in loco verborum praebent ὁμοίωμα κατεσκεύασεν αὐτόν; *Syrus* ea verba plane omittit; *Chald.* eorum loco habet : ornum succidit. Vocem eam tamen communiter eadem notione accipiunt qua מִסְכֵּן *pauper,* ergo ad pauperiem redactus; id quod non tam ex hebr. quam ex arabico depromptum est. Vocem תְּרוּמָה *S. Hier.* non videtur legisse; dicit munus (Prov. 29, 4), oblationem (cf. Ex. 25, 2, 3; 35, 5. 21. Num. 15, 19 etc.). Cum veteres tam diversa habeant, textus *mas.* integritas h. l. in dubium vocari potest etiam propter inusitatum illud pual verbi סכן in notione *pauperis.*

Ab irrisione subito sacra quadam indignatione transit ad increpationem, « ut pudefaciat et corrigat errantes, et peccatum in hoc declarat inexcusabile, cum dicit » (*S. Cyr.*) v. 21 « *numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio, numquid non intellexistis fundamenta terrae* »? — quot enim modis iis Dei maiestas et gloria est patefacta? habent rationem, qua Deus potest ex operibus cognosci (ita membro primo et ultimo); habent multiplicem in re cultus divini eruditionem (membrum secundum et tertium), idque ab initio i. e. ab eo tempore quo gens israelitica est formata, est ergo institutio quae uti longissima generationum serie quasi per hereditatem est transmissa, ita eo altiores et firmiores apud gentem radices egisse iure censeri potest. At omnia frustra erant. Hebr. *nonne scietis, nonne audietis?* vel explica de tempore praesenti vel : annon scire, audire vultis? Ab initio enim, ut *S. Hier.* exponit, naturali lege vos docui et

postea per Moysen scripta lege testatus sum. Neque omittenda est multiplex illa institutio quae patriarchis divinitus est facta. Fundamenta terrae intelligere idem dicit quod scire a quo demum terra fundata sit; proinde ad opus creationis amandantur, ad « fundationem seu constructionem, quam statim ex principio Geneseos doceri potuerunt » (*Sanct.* sim. *Mald. Mar. Men.* et recentiores). Interrogationibus repetitis stupidos quoque excitat, ut rem secum perpendant, praesertim cum e tot fontibus eis vera offeratur cognitio.

Iam increpatione facta et fontibus verae cognitionis ostensis ad animos in veri Dei amorem et cultum rapiendos magnifice proponit Dei sublimitatem, potentiam, scientiam, ut qui reprehensione pudefacti sint de idolis inanibus sublimem hauriant Dei notionem. Sermo in hebr. modo concitato per participia incedit; v. 22 « *qui sedet super gyrum terrae et habitatores eius sunt quasi locustae; qui extendit velut nihilum coelos et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum* »; — thronum suum habet in altissimis collocatum; et quomodo homines coram eo reputantur? « multi quidem sed exigui et infirmissimi » (*Mald.*), « qui in terra sunt et quorum imperio terrena subsunt omnia, locustis sordidis pusillisque bestiolis neque maiores neque meliores apparent comparatione illius praestantis aeternaeque naturae quae super gyrum terrae sublimis consedit » (*Sanct.*). Huic solio excelso accommodatur potentia : coelos immensos tanta facilitate *extendens* (hebr.) est veluti nihilum (cf. דק veluti cortinam tenuem, *Mar. Malv. Mald.* et recentiores) « et tantam eorum latitudinem quasi tabernaculum et papilionem extendit desuper » (*S. Hier.*). Dixerat enim : fiat expansio in medio aquarum (Gen. 1, 6) et factum est ita (*For.*).

Summam exercet in altis potentiam — testes sunt coeli immensi — summam quoque exercet in terris ; eos enim qui in terris potentissimi habentur quasi nihil e sede deturbat et ad nihilum redigit atque exstinguit v. 23 « *qui dat secretorum scrutatores quasi non sint ; iudices terrae velut inane fecit* » ; — hebr. *dans principes in nihilum ; S. Hier.* in commentario utrumque affert : « ipse pro qualitate temporum principes constituit sive [1] secretorum scrutatores ut sint quasi non sint... quantos reges et graeca et barbara et romana narrat historia ? ubi est Xerxis innumerabilis ille exercitus ? ubi israelitica in eremo multitudo ? ubi regum incredibilis potentia ? quid de veteribus loquar ? praesentia exempla nos docent

---

1. רזן, uti bene iam monet *For.* non significat nisi principem vel generatim virum gravem, augustum (cf. *Mald. Mar. Malv.* ad h. l.); duplex illa *S. Hier.* versio explicatur ex usu vocis chaldaicae et syriacae רזא qua secretum, mysterium designatur.

esse principes quasi nihili et iudices terrae quasi inane reputari ». Et quam subito et quam stirpitus evellantur nutu divino, declaratur v. 24 « *et quidem neque plantatus neque satus neque radicatus in terra truncus eorum ; repente flavit in eos et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos* » ; — i. e. perinde sunt ac si nunquam plantati et seminati essent, ita scil. funditus exstirpantur (*Osor. Pint. Mald.*), neque ulla manet radix trunci eorum qua spes sobolis adsit. Vel ut cum aliqua hyperbole alii vertunt : necdum plantati sunt necdum sati et quasi vento urenti iam a Deo exitio devoventur (cf. *For. Malv. Lap.*). Potentia Dei depingitur : flat in eos ; minimus eius nutus sufficit, ut omnis vigor eorum et vita penitus arescat et ipsi dissipentur et penitus evanescant sicut turbine stipula facillime dispellitur in omnem ventum quam colligere iam nemo poterit.

Ex ea consideratione infertur idem quod v. 18 meditandum proponitur v. 25 « *et cui assimilastis me et adaequastis? dicit Sanctus* » ; — hebr. *cui me assimilatis, ut similis sim* ; quod exemplum, quae species numen meum referet (*Osor.*)? Hanc conclusionem redargutionis (*Malv.*) consequitur altera maiestatis divinae explicatio, qua ad pusillanimes consolandos sermo dirigitur. Quare interrogatio haec etiam concipi potest quasi reprehendens diffidentes. Nam ii quoque a vera Dei notione deficiunt et ad eos erigendos et ad diffidentiam arguendam optime appellatur *Sanctus*, qui scil. uti ipse Sanctus est, ita quoque normam suam in populo suo valere quam maxime vult, qui ergo ut populus e misera conditione eripiatur et gloria illa exornetur quae sanctum populum decet omnino vult (cf. 6, 3 ; 10, 17) ; adest enim in sanctitate Dei pignus certissimum pro salute concedenda et gloriae Dei manifestatione ; unde seraphim trisagion cantantes adiungunt ut sanctitatis effectum : plena est omnis terra gloria eius. Quare ut ad sublimem et magnificam Dei notionem animos elevent et maxima fiducia promissiones Dei in opus iri deductum sibi persuadeant, iubet eos oculos attollere et considerare coeli candorem, siderum pulchritudinem, orbium aequabiles et definitos cursus et tanti operis elegantiam et concinnitatem (*Osor.*) ut ex tali aspectu ad creatoris potentiam concludentes sublimem de Deo concipiant notionem v. 26 « *levate in excelsum oculos vestros et videte : quis creavit haec ! qui educit in numero militiam eorum et omnes ex nomine vocat, prae multitudine fortitudinis et roboris virtutisque eius, neque unum reliquum fuit* » ; — vere coeli enarrant gloriam Dei (Ps. 18, 1) ! speciosissima enim coeli facies et ratus atque perpetuus astrorum ordo (*Sanct.*) magna semper hominum animos affecit admiratione ; sidera Deus quasi exercitum suum splendidum educit summus eorum imperator, sicut dux milites ; educit *in numero*, certas numeratasque educit stellas,

innumerabilem illam multitudinem ipse numero comprehendit (*Osor. Mald. Mar.*) et singulas *nomine* vocat, unamquamque perfecte novit, sicut paterfamilias suos domesticos et familiares nomine vocat (*Sasb.*), omniaque quae ad eas pertinent quam clarissime perspecta habet eique sidera promptissime obediunt (*Pint. Sanct.*). Innumerabilem illam multitudinem — numera stellas, si potes, dicit ad Abraham Deus Gen. 15, 5 cf. Ps. 146, 4 — ipse ita perfectissime per singula cognoscit, quia est amplissimus robore, *prae amplitudine virium et prout est fortis robore* (hebr.), eisque ut talis imperat neque ulla deest, deficit, omnes se sistunt ad obediendum paratissimae. Praeclare describitur administratio Dei, quae ut est universalis ita ad singula quaeque providentissime extenditur propter infinitam Dei potentiam qua et maxima et minima complectitur ac penetrat (cf. *Osor.*).

Cum igitur Deus talis tantusque sit, quid est quod prae pusillanimitate timent ac diffidunt (cf. *For.*) ? ita v. 27 « *quare dicis Iacob et loqueris Israel : abscondita est via mea a Domino et a Deo meo iudicium meum transivit* » ? — i. e. miseriis oppressi queruntur quasi Deus viam illam qua incedunt, conditionem miseram minime cordi haberet nihilque curaret, perinde ac si miser ille status ei plane esset ignotus ; queruntur quod Deus ipsis non ius restituat, illam scil. rerum conditionem felicem, illam instaurationem, cuius ius propter Dei promissa habent ; bene *Mald.* : « non respicit, non curat vitam meam ; non suscipit defendendam causam meam », eam iudicare negligit et contemnit (*Lap. Men.*). Verba sunt animos despondentium. Atque quomodo tales fundant querelas, facile intelligitur, si ex una parte potentiam et splendorem regnorum gentium, ex altera parte oppressionem, miseriam, exsilium stirpis electae consideraverimus, cui tamen tam splendida promissa data fuerant. At quam immerito haereant diffidentes et queruli, Deus iam ipsa compellatione *Iacob* indicat qua ut heredes patriarcharum qui in eorum promissa et iura introierint agnoscuntur, idemque nomine Israel, qua appellatione simul iis in memoriam revocat, quanta cum fide, constantia, patientia patriarcha olim divinam sibi promeritus sit benedictionem (cf. ad Os. 12, 14). Ergo hac compellatione eorum ius asseritur, sed simul fides et patientia commendatur. Utraque appellatione integrum alloquitur populum, etiam eos qui iam in exsilio detinentur assyriaco ; nulli enim spes salutis negatur, omnium causam Deus pro sua fidelitate tuetur, dummodo ipsi sibi non desint.

Quam immerito ea diffidentia agitentur, vates proponit v. 28 « *numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terrae, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiae eius* » ; — quam inconsiderate sese eiusmodi curis dedant, inter-

rogationibus declarat, quasi prima doctrinae de Deo elementa nescirent. Perpendant ergo Dominum esse Deum *aeternum*, ergo verbum quoque eius aeternum est et immutabile, nam « Dominus non est Deus ad tempus sed aeternitatis i. e. qui non mutatur » (*Mald.*) ; considerent ei qui sit creator omnium vires non posse deesse ad promissa sua exsequenda, et quia creator sit, eum etiam omnium curam gerere; amat enim omnia quae creavit (cf. Sap. 2, 13. 14; 11, 27) et nisi amasset, non creasset; et tertio demum id quoque bene mente pertractent, Dei sapientiam a nobis non posse comprehendi. Si ergo tempus salutis concedendae nondum adest, vel si Deus tardare videtur eiusque providentia et administratio rerum a nobis non satis concipitur, non Deus sed noster exiguus cognoscendi modus tot limitibus circumscriptus est incusandus. Tria haec efficacissima sunt, quibus rationes diffidentiae et nimis anxiae sollicitudines dispellantur.

Huic ergo Deo totis viribus adhaereant : « mihi adhaerere Deo bonum est et ponere in Deo spem meam » (Ps. 72, 28); in eo quaerant robur et consolationem, si iniuria temporum opprimuntur; in eo invenient quoque nam ipse est v. 29 « *qui dat lasso virtutem et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat* »; — hebr. *et quibus non sunt vires robur abunde suppeditat* (*Malv. Mald.*); si vero talis est, ipse certe non deficiet neque laborabit, nec ei deest potentia; immo ipse unicus est omnis fortitudinis fons ex quo abunde hauriunt qui in ipso confidunt v. 30 « *deficient pueri et laborabunt et iuvenes in infirmitate cadent;* v. 31 *qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* »; — qui spem in Deo collocant viribus donantur quae omne robur a natura insitum longe superant. Ad hoc declarandum vates prius exhibet adolescentes in ipso aetatis flore fatigari, languescere, iuvenes viribus fractos concidere saepe antequam ad propositam laboribus metam pervenerint, ergo qui natura fortes sint ac validi, medio in cursu intercipi; at alia est sors eorum qui in Deo spem ponunt; ii *innovant* fortitudinem, novum robur accipient, maiores in dies vires colligent (*Osor. Mald. Malv. Sanct.*); immo *attollent pennas ut aquilae*; ergo non debiles et fatigati humi repunt, non languide incedunt, sed cursu ac volatu citato altissima petent, sublimes efferentur (*Osor.*). Atque ut iubilus iste ac carmen spei triumphale quadam dicendi ubertate absolvatur (quam ubertatem ab animo laeto et laudante non abesse notum est), et affirmatione et negatione quantum valeat spes per vitae cursum effertur : current minimeque deficient, longissime progredientur neque debilitantur (*Osor.*) ; ita simul adest egregia oppositio ad v. 30 et depingitur quid natura non valeat, quid vero efficiat gratia Dei. Clausula

est elegans, ad animos amore et desiderio fiduciae tamquam administrae tantorum bonorum imbuendos aptissima et sua dicendi forma et pulchritudine ipsam doctrinam insinuans atque commendans.

Verba illa *assument pennas* LXX reddunt πτεροφυήσουσιν; id quod *S. Cyr.* explicat : renovabuntur sicut aquilae (ἀνακαινισθήσονται); ita etiam *S. Hier.* interpretatur : « crebro diximus aquilarum senectutem revirescere mutatione pennarum et solas esse quae iubar solis aspiciant » ipse et *S. Cyr.* aliique allegant illud Ps. 102, 5 : renovabitur ut aquilae iuventus tua. Eodem modo explicant *Chald.* : renovabuntur iuventute sua sicut germen quod egreditur, *Sanct. Pint. Sasb. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Eichhorn, Ewald, Beck, Sein. Naeg.* aliique (quos recenset *Kn.*). Neque haec interpretatio censenda est aliena ab usu vocis הֶעֱלָה; usurpatur enim notione *obducendi, superinducendi*; ita Am. 8, 10 inducam saccum super omne dorsum, Ez. 37, 6 carnem inducere super ossa; cf. 1 Reg. 10, 17. 2 Sam. 1, 24. 2 Par. 3, 5. 14, quibus in locis fere ad notionem *induendi* accedit; iam *induere pennas* ad innovationem illam quam proxime accedit. Sed si vox אֵבֶר consideratur qua non *plumae* designantur, sed penna maior, durior ac crassior (Schwungfeder), alia explicatio apud recentiores communissima erit praeferenda; *attollent pennam* vel alas ; ita *Vat. Net. Rohl. Troch. Ges. Hitz. Kn. Hahn, Del.* aliique. — Priori tamen favet *Syrus*, qui verbum העלה reddit per *aphel* verbi יעא notione germinare, progerminare facere, producere, generare (cf. *Bernstein*, Lex. chrest. Kirsch. p. 216) quod verbum v. g. legitur Hebr. 6, 7 *generans herbam.* Demum *Or.* simpliciter vertit : ascendent alis ut aquilae.

2. *Oratio secunda* 41, 1-29.

Arg. — Convocantur gentes ad disceptationem forensem, ut Deo testimonium dent de impletione vaticinii. Ipse enim (uti praedixit) heroem ab oriente excitat qui gentes et regna invictus sibi subiicit (41, 1-4). Gentes contremiscunt et ad idola confugiunt. Israel autem nullo modo habet quod timeat; Deus enim antiquae electionis memor adversarios Israel plane deiiciet (41, 5-13), iisque deiectis reditum concedit felicissimum et bonorum abundantiam (41, 14-20). De hoc ergo vaticinio iudicent; ostendant num idola quidquam vaticinii quod impletum sit ediderint. Dominus vero in sui testimonium heroem illum afferre potest; cum tale quid idola nunquam praestiterint nec praestare possint, demonstratum est ea esse prorsus inania (41, 21-29).

Haec oratio arcte ad antecedentem coniungitur. Postquam enim liberatione et salute generatim annuntiata ostensum est Deo ad opus illud praestandum omnino inesse potentiam et voluntatem, ita ut omnes maxima fiducia illam liberationem debeant amplecti, iam vates ad id progreditur, ut per singula accuratius describat, *quomodo* labor sit finiendus, *quomodo* liberationem Deus efficere constituerit. Quia autem

(40, 5) gloria Domini ita est revelanda, ut videat omnis caro pariter quod os Domini locutum est, Deus eam liberationem antea annuntiat, ut postquam facta sit, omnes numen divinum vaticinio illo edito atque eventu completo agnoscant et venerentur. Quem in finem forma disceptationis forensis vates orationem suam vestit. In omnium gentium consessu Deus demonstrat se perfecisse quod annuntiaverat. Exposcit a gentibus, ut idolorum causam tueantur si possint, ut scil. eodem divinitatis argumento, vaticinio scil. edito atque eventu comprobato, numen divinum idolis inesse ostendant. Cum id non possint, Dominus autem id praestiterit (id quod omnes fateri coguntur), idola nihil esse reputari oportet. Quomodo vero liberatio sit efficienda, ita describitur, ut exsistat potentissimus quidam regnorum expugnator, cui resistere nemo valet, a quo gentes tremore corripiuntur, sed quem ne timeat Israel admonetur. Id ergo quod futurum sit annuntiatur, verum ea forma, ut simul declaretur, hac annuntiatione eventus futuri palam ac publice facta et nota Iahve argumentum edidisse invictum divinitatis. Unde simul elucet vaticinium hoc de heroe et de liberatione Israel debuisse esse editum et notum diu ante impletionem; alias disceptatio talis forensis non potuit fingi. Si enim (quod Isaiae adversarii volunt) oracula haec tum demum funderentur cum iam impleri coepta essent, quid magis ridiculum magisque absurdum fingi posset, quam de re praesenti eousque tamen inaudita ad sollemnem consessum forensem gentes convocare iisque dicere : en quae iam fiunt et quae nunc primum dico, haec tamquam olim dicta accipite indeque divinitatem discite Iahve! Num ergo vates mendacio censendus est probare numen divinum, ille dico qui adeo contra mendaces indignatur? num satiram scribere contra Dominum? et probationem divinitatis risui exponere, cum id assereret quod non exstitisset?

a) **Heros ab oriente 41, 1-5.**

Primo praeparatur scena ad disceptationem forensem, qua ipsis gentibus iudicum munere fungentibus (cf. v. 21 seq.) causa est diiudicanda inter Iahve et idola, utri scil. numen divinum veraque vita insit. Quem in finem gentes omnes ut accedant audiantque invitantur v. 1 « *Taceant ad me insulae et gentes mutent fortitudinem; accedant et tunc loquantur, simul ad iudicium properemus* »! — *tacere ad me* i. e. silentium mihi praestent et me audiant, ad me silentes attendant (cf. *Mald. Mar.*); est constructio quam grammatici vocant praegnantem, cum uni verbo adscribitur constructio alterius quod non exprimitur, sed subauditur (*Malv. For.*); *insulae, gentes* i. e. quicumque vel in ultimis recessibus reconduntur, qui in regionibus maritimis vel in vastis terrarum spatiis

inveniuntur, ergo totius orbis incolae invitantur; insulis enim et terra continenti orbis describitur universus et talem in duo membra divisionem saepe a lege exigi parallelismi versuum notum est. Iubentur *mutare fortitudinem* (cf. 40, 31) i. e. parent se ac muniant ad disceptandum, vires assumant et spiritus audaces et liberos et deorum suorum causam quanta poterunt contentione disceptent (*Mald. Sanct. For.*). Quanti momenti sit talis disceptatio et quantopere Deus velit eam institui, ex repetita exhortatione comparet qua *ad iudicium* i. e. ad disceptationem iudicialem compellantur. Illa aequa ratione instituetur; *loquantur,* rem suam exponant, causam defendant libere ; non talis eis negabitur opportunitas; arment ergo se consiliis et argumentis (cf. v. 21 *Sasb.*). Cum ea igitur fingatur disceptatio, eo ipso iudicium naturale et rationis lumen veritati cognoscendae par esse asseritur in ipsis quoque gentilibus.

Iam ponitur causa i. e. eventus ille ex quo praedicto Domini potentia et divinitas colligi debet; v. 2 « *quis suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum ut sequeretur se ? dabit in conspectu eius gentes et reges obtinebit ; dabit quasi pulverem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius* » ; — hebr. verti potest : *quis suscitavit ab oriente iustitiam* (rectum, ius), (*quis*) *vocat eum post se* ? Iustitia appellatur status ille recti iurisque quem Deus adesse vult. Dicitur ergo Deum ab oriente talem excitasse virum, qui illam induceret rerum conditionem quam Deus secundum iuris normam consistere vult. Hunc vocavit *ad pedem suum* (hebr.), ut scil. quasi Dei vestigia premens munus a Deo commissum perficeret. Hoc munus vocatur nomine generali *iustitia*, quo nomine illud designatur quod ex norma divina singulis divinitus attribuitur, proinde divinae providentiae consilium et opus. Qui ad hoc efficiendum divinitus eligitur, ex consequenti *iustus* potest appellari. Et ita heros ille *iustus* appellatur in *vulg.*, quia fuit minister iustitiae Dei adversus gentes et simul minister bonitatis erga populum Dei (cf. *Est. Pagninus, Sasb.*), simili modo Nabuchodonosor vocatur *servus Domini* quia Dei vindictam in Tyrios exercet et Medi appellantur *sanctificati* quia ad ultionem capiendam a Domino mittuntur (cf. 13, 3. Ier. 27, 6; 43, 10. Ez. 29, 28). Illi tradit Deus gentes eique subiicit (*conterit* hebr.) reges ; et tanta quidem facilitate omnes expugnabit, quasi pulvis et stipula gladio et arcu impugnarentur, vel ut hebr. ab aliis intelligitur, gladio et arcu eius hostes in pulverem et stipulam rediguntur. Proinde victor describitur, cui nihil resistere possit, qui summa quadam celeritate regna et gentes suo subiiciat sceptro.

Textus hebr. varie et iungitur et concipitur. Veteres versiones צֶדֶק referunt ad primum membrum tamquam obiectum et verbum קרא notione *vocandi* accipiunt. Haec duo retinenda esse videntur, quamvis recentiores plerumque discedant. Saepe enim vertunt : *quis sucitavit ab oriente* eum cui *iustitia se obviam fert ad gressus suos* i. e. iustitia eum comitatur ubicumque incesserit (cf. *Rohl. Kn. Sein. Del. Or.*) ; explicant ergo קרא uti קרה ; alii tamen magis veterum premunt vestigia : quis suscitavit rectum (ius), quis invitat eum post se (*Naeg.*), vel quis vocat id (ius) ad pedes eius ? Alii interrogationes poni volunt etiam in subsequentibus : quis dat ? quis subiicit ? Neque tamen in ea re opus est a veterum acceptione recedere, quae praestat quia in subseq. quoque herois facinora per modum enuntiationis proponuntur et quia postquam heros ille eiusque munus prima interrogatione est propositus, aptius videtur reliqua per modum descriptionis et enarrationis efferri. Accentus *mas.* צֶדֶק referunt ad alterum membrum. Sensus non mutatur ; attamen necessario requiri videtur, ut in causae expositione statim indicetur, quid vel quis demum suscitatus sit ab oriente. Deinde uti vox קרא magis notionem vocandi iam per se innuit, ita h. l. in ea significatione eo magis erit retinenda, quia in parallelismo *suscitare* et *vocare* bene inter se congruunt, non autem suscitare et occurrere. Unde immerito hoc loco a veterum interpretatione receditur. — Alii vertunt : reddidit similes pulveri gladio eius, similes stipulae impulsae arcui eius (*Malv. Ill. Del.*) i. e. eos qui similes sunt pulveri tradit gladio eius ; at si iam sunt similes pulveri, cur demum gladio traduntur ? ad quid ? vel quale facinus heroicum, eos qui similes sunt stipulae demum vincere ? Neque hebr. כֶּעָפָר etc. commode ita verti potest. Vix probari potest quod alii volunt : dat sicut pulverem gladium eius i. e. adeo celeriter gladius eius aget vel gladium hostilem coram eo disperget sicut pulverem (cf. *Ges. Hitz. Ewald, Umbreit, Sein. Cheyne, Or.*) ; nam hac imagine non celeritas exprimitur, neque gladii et arcus apte dicuntur dispergi sicut pulvis ; dein satis durum est *eius* intelligere de gentibus et regibus. LXX legisse videntur ב pro כ ; habent enim δώσει εἰς γῆν τὰς μαχαίρας αὐτῶν. Maior quaedam adesset concinnitas et vis orationis, si hebr. vertere liceret ita ut ירד et ירדפם sensu conditionato sententiam subsequentem vestirent : si impetu irruerit (cf. ירד in proelium descendere, se proripere Iud. 5, 13), in pulverem rediget gladium eorum... si eos persequitur, transit etc.

Ipse autem heros, uti comparationibus iam innuitur, ita victor exsistet, ut sine periculo vel fatigatione bellicas illas expeditiones subeat v. 3 « *persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit* » ; — i. e. « viae laborem non sentiet nec aliquam imbecillitatis humanae lassitudinem » (*S. Hier.*), sim. *Sanct. Sasb. Lap. Tir.* cf. Deut. 8, 4 ; 29, 5. Tanta gaudet incolumitate, ut dum hostes persequitur, ipse in pace incedere et ubique transire dici possit. Atque in eo victoriarum cursu vias ingreditur antea plane sibi ignotas, quas pes eius antea non calcabat (ita ex hebr.). Ergo Deus miro modo eum ducere et incognitas regiones ei aperire dicitur.

Hebr. verti potest : *ingreditur in pace semitam qua pedibus suis non venire solebat* vel non venerat (cf. *Mald. Mar. Malv. For. Vat. Troch. Kn. Del.*); alii : eam viam quam homines non ineunt, ergo per viam plane insolitam (*Rohl.* qui Cyrum per Euphratem urbem Babylonem ingressum esse monet), vel per vias aliis hominibus ignotas (*Beck*). *Naeg.* : non passus releget in eadem via, non redibit eadem via, ita ut בְּרַגְלָיו sit in vestigiis suis (cf. Ex. 11, 8. Iud. 4, 10; 8, 5. 1 Sam. 25, 27. 2 Sam. 15, 17 etc.); erit ergo sensus; non redibit opere non completo, ab inceptis non desistet, nunquam retro cedet. Sed vix verbum בּוֹא eodem modo adhiberi poterit quo שׁוּב (cf. *Del.*). LXX omittunt לֹא יָבוֹא; habent : transibit in pace via pedum eius; at reliquae versiones ea verba tuentur. — Verba quoque *vulg.* varie accipiuntur : per loca ignota ibit, ubi nulla erat semita (*Mald.*), vel tam velociter ut non tam ambulasse quam volasse videatur (*Sa, Men.*), vel repente irruit nullo signo sui adventus (*Mar.*), vel nullum itineris vestigium relinquet (*Calm.*). Demum *Net.* : viam pedibus non ingreditur, quia reges Persarum curru vehi solebant; verum in tam sollemni oraculo id efferre quod omnibus nobilibus commune est, scil. non omne iter pedibus confici, quis sibi persuadebit?

Cum igitur talis tantusque sit heros ille, iure quaeritur v. 4 « *quis haec operatus est et fecit ? vocans generationes ab exordio; ego Dominus primus et novissimus ego sum* »! — hebr. *ego Iahve primus et cum novissimis ego idem*; talia is perfecit, « qui est auctor cunctorum et moderator, qui ab initio universa creavit et universorum providentiam habet » (*For.* sim. *Mald. Tir. Rohl. Troch.*) et qui uti est omnium generationum auctor atque effector, ita tum etiam erit idem ipse, quando ultimae in temporum serie generationes exsistent, qui igitur sempiternus est atque immutabilis; quare his verbis ipsum nomen *Iahve qui est* declaratur. Sensum eundem cum hebr. etiam prodit versio graeca πρῶτος καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα ἐγώ εἰμι, quae verba explicat *S. Cyr.* : « primus igitur et solus et sine principio Deus, universorum opifex, nec alio modo erit per infinita saecula sequentia; ipse enim est et solus ». Deus ergo, ut est primus, sine initio, ita quoque sine fine (*Mar.*); quod alii explicant, Deum dici a nullo pendere, cum post ipsum nemo futurus sit, sicuti ut primus a se est et non ab alio (*Sanct.*), vel eum esse causam finalem rerum omnium, ad quem tamquam ad ultimum finem suum et felicitatis portum omnia devolvantur (cf. *Pint. Sa, Malv. Tir. Lap. Osor.*) in ipsis verbis directe non exprimitur, at ex doctrina proposita de Deo omnium rerum fonte facili fluit conclusione et in ipsa notione Iahve eius *qui est* necessario continetur.

Quis ille heros sit, de quo sermo est h. l., minime potest esse dubium, si ea quae vates postmodum de Cyro refert, ob oculos habentur. Ea enim quae nunc generalibus quibusdam lineamentis adumbrantur, postea magis magisque expoliuntur, determinantur. Quod enim saepius iam advertimus, solet Isaias si de re magni momenti sermo prolixior

est faciendus, eam prius obiter et generali quodam modo innuere et delineare et quasi germen quoddam spargere quod in subsequentibus sua capiat incrementa et plene demum explicetur (cf. supra cap. 7. 8. 9. 11 de Emmanuele). Idem habes hoc loco. Ea quae 41, 2-4 describuntur, postea accuratius evoluta et explicata de Cyro dicuntur : cf. 45, 1-6. 13. 46, 11 ; quibus locis confer quoque 41, 25. Cyri ergo victoriae praedicuntur et ad Deum auctorem referuntur ; eodem modo Cyrus dicit in edicto quod refert Esdras (1, 2): « haec dicit Cyrus rex Persarum : omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli ». Quare recentiores iure merito h. l. de Cyro fieri vaticinium agnoscunt ; ita *Castalio, Pagninus, Sasb. Est. Calm. Net. Loch, Rohl. Troch.;* ita interpretes protestantes et generatim quantum scio omnes recentiores, si unum exceperis *G. K. Mayer* (die messianischen Prophezieen des Jesaias p. 189. 196).

Iam si attendatur ea quae h. l. dicuntur, 45, 1 et seq. clarissime de Cyro edici et enarrari, nemo non poterit non mirari solum paucos e veteribus veram nostri loci explicationem deprehendisse. *Theodorus* heracleotes quidem de Cyro explicat et hanc acceptionem adfuisse etiam testantur *S. Hier.* et *Procop.;* hic v. g. ita habet : « ita dixerunt nonnulli (τινές) : ipse est qui Cyro etiam robur adversus omnes gentes suppeditavit, quem et hic *iustitiam* appellat, partim quod Israelem in libertatem asseruit, partim etiam quod ab edita de se praedictione virtutem Dei consecutus est; deinde etiam quod voluntati divinae vires suas contra gentes alligavit; deinde etiam quod *iuste* adversus Babylonem sit excitatus ». At textum graecum τίς ἐξήγειρεν ἀπὸ ἀνατολῶν δικαιοσύνην *S. Cyr. Euseb. Theod.* ita immediate accipiunt, ut de iustitia novi foederis et de Christo, qui factus est nobis a Deo iustitia (1 Cor. 1, 30), interpretentur et reliqua quoque de victoriis Christi intelligant. Haec de Christo interpretatio non solum verbis ipsis convenit, sed etiam ex eo fundamento solido non destituitur, quia Cyrus revera typus Christi erat; quare haud immerito *Est.* dicit : « sed hae duae expositiones de Cyro et Christo non repugnant, sed subordinatae sunt, ita ut alter sensus sit literalis, alter mysticus, in litera proprie fundatus ». De Cyro interpretatur *Barh.*, de eodem *Hugo* (testibus *Sanct. Lap.*), eam interpretationem etiam affert *S. Thom.* : « aliter ad literam exponitur de Cyro, mystice de Christo », quamvis ipse explicet de beneficiis quae Deus patribus exhibuit, et *iustum* qui ab oriente vocatus sit, intelligat Abraham e Chaldaea vocatum. Haec de Abraham explicatio (et de victoriis ei vel posteris eius concessis) quam iam inserto nomine Abraham apud *Chald.* invenimus : quis adduxit ab oriente Abraham electum iustorum etc., demum plurimorum interpretum animos ita occupavit, ut illam de Cyro vel de Christo aut omnino non commemorarent aut diserte reiicerent. Ita de Abraham explicant *S. Thom. Lyranus, Vat. Clarius, Osor. Sa, Mald. For. Malv. Montanus, Mar. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.* et eadem interpretatio etiam apud rabbinos et protestantes olim praevaluit; ita enim explicant « plerique in *Lud. de Dieu,* rabbi Salomon qui et Iarchi et rabbi David Kimchi,

ita legitur in *Gatakeri* manuscriptis, ita exponit *Calvinus, Musculus, Munsterus, Grotius, Iunius, Piscator* etc » (Synopsis criticorum adornata a Matth. Polo, III. p. 389), quibus e *Vitringa* addendi sunt : « plerique recentiores (*Brentius, Oecolampadius, Tremellius*), quorum longa series est, inter quos Belgae quoque nostri..... quid? *Cocceius* hic in oculis habet Paulum apostolum, qui armatus verbo iustitiae ivit ad insulas » (cf. *Vitringa*, Comment. in libr. proph. Ies. II p. 393). Haec de Abraham expositio iam tempore *S. Hier.* apud nonnullos Hebraeorum (ut ipse testatur) invaluerat, et « est fere apud Hebraeos interpretatio canonica quam fulciunt, ut Aben Ezra ait הקדמונים οἱ ἀρχαῖοι, eosque secuti Iarchius, uterque Kimchius, Abarbanel excepto tamen Aben Ezra qui hic de Cyro cogitat » (*Vitringa* l. c.).

Verum luce clarius est de Abraham non esse sermonem. Nullibi enim eius a Chaldaea adductio, victoriae eius vel opera sunt *praedicta*, ita ut ex vaticiniis olim datis et postea impletis ea posset institui disceptatio, quae hoc capite agitur. Mitto verba illa de victoriis regumque subiectione etc. ad Abraham non convenire, nec quidquam effici ab interpretibus si nos ad Gen. 14 amandant vel cum *S. Thom. Sanct. Tir. Gord.* totam Abrahami posteritatem intelligunt; nam neque eorum facinora sunt praedicta, neque tales sunt victoriae, quibus gentes non maiores et regna multo maiora devicta vel erecta opponere possent. Ad quid ergo eiusmodi disceptatio? vel quo iure gentes supponuntur cursum vitae Abraham nosse, ita ut Deus ex iam *notis* suae potentiae operibus illam posset inire argumentandi rationem? Vides quomodo haec interpretatio omni ex parte impingat, ita ut admiratio animum subeat, quomodo a tot viris probabilis, immo certa haberi potuerit. *Malv.* v. g. scribere non dubitat : « haud satis apte alii Cyrum regem Persarum accipiunt »; *Pint.* notat ad v. 3 : « haec et quae sequuntur possunt convenire Abrahamo, qui de gentibus et regibus triumphavit; possunt etiam intelligi de Cyro... ego tamen existimo esse ad Christum referenda »; *Sanct.* hanc de Abraham interpretationem magis consentaneam invenit toti capiti atque etiam sequentibus, hanc vocat *Lap.* genuinam ad literam; etc.

b) Gentium terror, Israelitarum fiducia 41, 5-13.

Cum talis heros arma sua victricia gentibus infert, omnes terrore concutiuntur v. 5 « *Viderunt insulae et timuerunt, extrema terrae obstupuerunt, appropinquaverunt et accesserunt* »; — cum enim Cyrus agmina ducens Medorum et Persarum celeri cursu urbes et provincias subiugaret et demum Babylonem ipsam mundi quasi dominam expugnaret, eius terrorem longe lateque sparsum esse per se constat; simul cum urbe principali Babylone totum regnum i. e. orbis totus contremiscit et obstupescit de tanta ruina imperio potentissimo illata; quae enim per rerum temporumque intervalla gerebantur, sacer vates uno conspectu exhibet. Post primum de victoriis Cyri nuntium et timorem, gentes consiliis initis et foederibus conclusis resistere cursumque victoris

impedire conantur. Eum ita cohibere student, ut sese ad opem ferendam excitent et omni conatu et contentione idola sibi faciant a quibus auxilium sperent et efflagitent. Ita sacer vates heroem a Deo vocatum et robore instructum et idola inania a quibus nihil contra Dei consilia fieri potest, apta inter se oppositione illustrat. Praeterea denuo aequalibus suis idololatris exemplo demonstrat, quam stupidum sit idola colere; v. 6 « *unusquisque proximo suo auxiliabitur et fratri suo dicet : confortare!* v. 7 *confortavit faber aerarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis dicens : glutino bonum est; et confortavit eum clavis, ut non moveretur* » ; — sedulitatem ridiculam depingit in idolis tutelaribus faciendis ; inter se mutuo exhortantur et animos addunt ; hebr. v. 7 *et confortat* (ad opus gnaviter perficiendum eum exstimulat et animum addere at alacritatem studet) *faber ferrarius conflantem, levigans malleo (confortat) eum qui incudem tundit, dicens de ferrumine : bonum est, et firmat illud* (scil. idolum) *clavis ne moveatur* (cf. *Mar. For. Malv. XII* et recentiores). Artifices idolorum inter se excitant et laudant : qui simulacrum facit eum excitat qui illud laminis obducit aureis vel argenteis, et qui malleo omnia levigat eum qui incudem tundit ad opus peragendum exhortatur, ut scil. fiant rite et suo tempore adsint bracteae et clavi quibus simulacrum (catenulis) firmetur, ne vacillet aut cadat. Laudatur ferrumen i. e. laminae et bracteae firmiter et bene et pulchre simulacro ex viliore metallo vel ligno facto obducuntur, bene compinguntur, optime haerent. Significatio non est, quasi tum demum idola fabricari coepissent vel antiquis idolis relictis nova sibi tutelaria confecissent (id quod *Naeg.* obiicit), sed scena hac exprimitur, gentes confugisse ad idola, et simul id eo modo exprimitur, quo statim stupiditas idololatriae oculis manifesto obiiciatur. Ceterum plane est ad rem neque a moribus gentium alienum, ut instante periculo plura sibi effingant idola quibus numen tutelare inesse credebatur.

Atque Cyrum terrorem gentibus intulisse et victoriis suis multarumque gentium subiectione extrema terrae i. e. regiones longinquas sui admiratione et stupore complevisse, ex regni eius amplitudine facile colligitur; ipse enim omnes regiones quas antea Medi, Lydii, Babylonii sibi subiecerant, suo subdidit sceptro ; immo ulterius progressus occidentem versus Iones et Lycios et Phoenices, septemtrionem versus Cadusios, Sacos, Chorasmios et quotquot a Sogdiana usque ad Iaxartem habitabant suo regno addidit (cf. *M. Duncker*, Geschichte des Alterth. II p. 517. *G. Rawlinson*, The five great monarchies III p. 369). Ex more prophetico opus per multos annos paulatim completum una adumbratione integrum exhibetur.

Sed cum gentes contremiscunt, nuntius mittitur ad Israel consolatione

plenus et maximum spirans Dei amorem, quo mediis in gentium angustiis et terroribus animos induere laetos et ad optimam spem se erigere iubentur v. 8 « *et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei,* v. 9 *in quo apprehendi te ab extremis terrae et a longinquis eius vocavi te et dixi tibi : servus meus es tu, elegi te et non abieci te,* v. 10 *ne timeas quia ego tecum sum, ne declines quia ego Deus tuus ; confortavi te et auxiliatus sum tibi et suscepit te dextera iusti mei* » ; — hebr. in ultimo membro *sustento te dextera iustitiae meae* ; ad fiduciam populi quam maxime excitandam et ad suum amorem declarandum summamque fidelitatem demonstrandam Deus primo non sine verborum ambitu — ad consolandum enim verbis non est parcendum — in v. 8 et 9 titulos enumerat quibus Israeli ius competit protectionis. Titulos hos agnoscit Deus et fideli recordatione se eos servare profitetur ; sunt autem primo ipsa patriarcharum nomina quibus populum compellat is qui seipsum quoque nominat Deum Abraham, Isaac et Iacob : hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem (Ex. 3, 15). Ipsa haec nomina quibus populus insignitus est testantur foedus cum patribus initum firmum ratumque consistere. Dein *servus* Dei, qua talis peculiari ratione ad dominium Dei et eius quasi familiam pertinet Deique opus et gloriam promovere debet ; porro effertur *electio* qua populus de cunctis gentibus electus est in peculium Dei, in regnum sacerdotale (Ex. 19, 5. 6) ; hanc autem electionem, utpote opus suum Deus non permittet evacuari et frustrari ; demum filii sunt Abraham quem Deus ut amicum diligit, ergo ut amico quoque promissa data servat. Fides igitur et pietas Abraham adeo valet apud Deum ut eius memor posteros quoque favore complectatur ; nam Deus cum Abraham vocaret ab extremis terrae et e regionibus longinquis i. e. ex Ur Chaldaeorum, eum elegit et vocavit, ut pater fieret populi magni (Gen. 15, 15) ; ergo in ipso etiam vocavit et elegit populum idque, quia Dei dona sunt sine poenitentia, constanti quadam ratione et ex gratia : *non abieci te.* Tales igitur cum tituli sint quibus populus ornatus certam sibi protectionem exspectare debet, iam in v. 10 maxima amoris exhibitione consolatio affertur, ne timeat, dum omnes contremiscant, ne anxie circumspectet (cf. hebr. *For. Malv. V*), dum reliqui ope destituantur ; et quam seria et efficax sit voluntas Dei, assertionibus quinque *quia tecum sum, quia ego Deus tuus, confortavi te..* etc. comprobatur ; *dextera iustitiae Dei* est magna Dei potentia qua *iustitiam,* illam rerum conditionem quam promisit et quae sanctitati Dei et consiliis eius respondet, in opus deducere constituit ; hac igitur potentia et hac voluntate fulcit, sustentat populum ; proinde quam maxime apta sunt verba haec ad spem et fiduciam gignendam.

Textus *vulg.* statim nominat *iustum* i. e. eum qui ex providentia Dei electus est, ut *iustitiam* illam in terris efficiat vel saltem partem aliquam illius operis divini praestet.

In v. 9 hebr. explicari debet *tu quem apprehendi* etc. id vero duplici ratione intelligi potest vel cum *vulg.* ut populus dicatur in Abraham et cum Abraham electus et vocatus, quia Abraham iam erat pater multarum gentium coram Deo et eius vocatio in hunc finem facta est; locutio ergo similis est ei qua dum Abraham decimatur, ipse Levi dicitur decimatus esse, cum adhuc esset in lumbis Abraham (Hebr. 7, 9. 10). Ita verba concipiunt hebr. *Vitringa, Ros. Ewald, Sein. Del. Naeg.* aliique quos recenset *Kn.*; eodem modo *Sanct. Lap. Net. Rohl.* Alii autem ita accipiunt, ut eductio populi ex Aegypto exprimatur; ita *Ges. Hitz. Kn. Hahn, Or.* et ante eos iam *For. Malv. Sa;* alii utramque expositionem afferunt neutri dantes palmam, uti *Mar. Troch.* Sed si respicitur 51, 1. 2 et perpenditur dici ab extremis, *a finibus terrae et e lateribus eius* (hebr.) prior explicatio erit praeferenda, nam fines terrae de regione septemtrionali dici solent; ita Is. 5, 26 hostem ab aquilone venientem e finibus terrae venire asseritur, et saepius terra aquilonis et fines terrae in membro parallelo ponuntur synonymo: ecce populus venit de terra aquilonis et gens magna consurget a finibus terrae (Ier. 6, 22; cf. 50, 26. 41 etc.). Aquilonem autem vocari terram Assyriorum et Babyloniorum satis notum est apud prophetas; Ur Chaldaeorum, unde vocatus est Abraham, regio est prope Mugheir in dextera Euphratis ripa a Babylone meridiem versus (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies? p. 227). Ceterum concedi debet etiam liberationem ex Aegypto et foedus sinaiticum iisdem nominibus electionis, vocationis designari; cf. Deut. 7, 6; 10, 15; 14, 2; 32, 10. Ez. 16, 6; 20, 5. Si de Chaldaea intelligitur, certum adest vestigium, vatem in terra Iuda constitutum haec scripsisse; nunquam enim qui esset in Babylonia Ur Chaldaeorum vocasset extrema terrae (cf. Tüb. Quartalschrift 1878 p. 305, ubi *von Himpel* eandem exponit rationem). — Vocatur Abraham *amicus Dei* 2 Par. 20, 7. Iudith 8, 22. Iac. 2, 23 et usque in praesentem diem apud orientales appellatur eo nomine *chalil ollah* (cf. *Del.*).

Et tamquam eius protectionis pignus et testimonium certum praedicitur interitus hostium v. 11 « *ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te; erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt tibi* »; — hebr. *ignominia afficientur omnes inflammati in te,* contra te; qui populum Dei odio habent, in eum furore agitantur, confusione et opprobrio obruentur, ergo cum ignominia ab oppugnatione desistere cogentur; illi qui sunt *viri litis tuae* (hebr.) cum Israel contendunt, ei adversantur cum tumultu et strepitu, tamquam nihil interibunt. Declaratur et praeformatur illud : non praevalebunt adversum te. Israel est opus Dei et frustra quis sese opponit consiliis Dei. Verum

cum adversarii sint adeo potentes, repetita asseveratione opus est, ut contra spem clades illorum et interitus reddatur probabilis. Unde v. 12 « *quaeres eos et non invenies viros rebelles tuos; erunt quasi non sint et veluti consumptio homines bellantes adversum te* » ; — populus ipse non poterit non mirari de repentino adversariorum interitu; adhuc hostes quaerent, circumspicient, ab eorum impugnationibus sibi fortiter cavendum esse, subsidia in eos conquirenda esse censebunt; verum en, isti iam evanuerunt, interierunt! Confirmabitur ergo illud quod dictum erat ad Abraham : maledicam maledicentibus tibi (Gen. 12, 3), et a contrario commendatur alterum : benedicam benedicentibus tibi. Ratio autem et causa sufficiens in Deo eiusque voluntate efficaci continetur v. 13 « *quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam dicensque tibi : ne timeas, ego adiuvi te* » ; — « exprimit humano more gestum eius qui alteri auxilium et operam suam pollicetur; solet hoc fieri apprehensa dextera, quod symbolum erat foederis et amicitiae » (*For.* sim. *Mald.*). Tali vero Dei protectione fruitur populus, quia, uti in v. 8 9 indicatur, foedere sempiterno est electus; haec electio in Abraham facta est electio qua populus praeparatur ad Messiam recipiendum; Abraham enim electus est, ut in eo benedicantur omnes gentes. Unde quae hoc loco de invicta populi conditione et de ruina adversariorum dicuntur, iure praecipuo valent de regno messianico. Ea autem beneficia sicut ipsam electionem uni deberi gratiae Dei liberalissime concessae exprimitur iam v. 9 *elegi te et non abieci* i. e. elegi te, quamvis in ea fueris conditione, ut potuerim te abiicere ; non me piguit te eligere (cf. Ez. 16, 4-6), quamvis in te nihil esset quo electionem promereris.

c) Exaltatio populi Dei 41, 14-20.

Consolantis est verbis non parcere et quo quis magis est afflictus et a spe salutis longius abesse videtur, eo magis opus est asseveratione auxilii repetita. Unde v. 14 « *Noli timere vermis Iacob qui mortui estis ex Israel; ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus et redemptor tuus Sanctus Israel* » ; — populus oppressus insolentia gentium, e sedibus suis eiectus, regno spoliatus, inter gentes dispersus (cf. 39, 6) et abiectus et contemptui habitus et pedibus quasi conculcatus appellatur *vermis* ; in tam miseram conditionem est redactus ; quomodo ista componitur cum electione sublimi? Miseros facit populos peccatum! Eodem sensu dicuntur *mortui*, vel ex textu *mas.* [1] cui calculum adiiciunt LXX et

1. מְתֵי scil. At מֵתֵי legerunt et explicarunt *Aq.* et *Theod.* et ita legunt aliqui codd. apud *de Rossi* in scholiis crit. seu supplem.; *Sym.* vertit ἀριθμός, ut refert *Procop.*

Syrus, viri, pauci scil. numero. Deus se vocat redemptorem *goel*, qui qua talis est quasi cognatus populi cui munus incumbit et officium redimendi pauperem cognatum et vindictam pro eo capiendi (cf. Num. 35, 12. 19. Deut. 19, 6); hoc nomine vocatur Deus qui populum redemit ex Aegypto (Ex. 6, 6) et ex Babylone Is. 43, 1 ; cf. Iob 19, 25. Quomodo rite *mortui* vocari possint, explicatum habes apud Ezechielem (37, 12 etc.) qui Israel cernit ut ossa arida, Deus autem promittit se aperturum tumulos et educturum eos de sepulcris (cf. *Sanct.*). Id Deus efficiet ut *Sanctus* Israel (cf. 6, 3) qui pro sua gloria et pro populo suo sancto zelum suum manifestat (9, 6 ; 10, 17).

Et qua ratione *Sanctus* Israel populi vindex futurus sit, declaratur v. 15 « *ego posui te quasi plaustrum triturans novum habens rostra serrantia; triturabis montes et comminues et colles quasi pulverem pones;* v. 16 *ventilabis eos et ventus tollet et turbo disperget eos, et tu exsultabis in Domino, in Sancto Israel laetaberis* »; — en, ad quantum roboris *vermiculus* ope Deo excitabitur! Hebr. *posui te tribulum acutum, novum, habens duas acies,* quod igitur instrumentum quam maxime aptum est ad conterenda et comminuenda omnia; quare ne potentissima quidem regna ei resistere poterunt ; facili negotio ea comminuet sive maiora (montes) sive minora (colles); cf. Mich. 4, 13. Comparatio haec eo magis est obvia quia ratione simili in hostes quandoque est animadversum ; cf. Iud. 8, 7. 2 Reg. 12, 31. 4 Reg. 13, 7. Prov. 20, 26 (hebr.). Am. 1, 3 ; praeterea vide Is. 21, 10. Ier. 51, 33. Et quasi non sufficeret montes et colles redigere in pulverem eosque comminuere, frusta ista minuta etiam ventilatione excutiuntur, ut tamquam gluma vento dissipentur penitus. Tam inanes demum evadent conatus hostiles et adeo in nihilum redigentur quaecumque iis effecta esse videbantur. Quam diversa est sors populi Dei; ipse laetus triumphabit, in Domino gloriabitur; in *Sancto* Israel ei perennis adest fons et ratio exsultationis. Sortem igitur impiorum ac fidelium eadem oppositione vates effert, ut iam saepius; cf. cap. 34. 35. En, quomodo verbum Dei manebit in aeternum! Hostes theocratiae penitus interibunt, theocratia autem florebit civesque eius in Deo summo bono deliciis affluent. Hisce proin norma statuitur generalis et ad quem tandem exitum electio a Deo facta sit perventura, indicatur. Pro rerum temporumque mensura quam providentiae divinae singulis praefigere placuerit haec norma in unaquaque theocratiae epocha valebit; hic autem eius quasi summa colligitur et proponitur ad animos edocendos et erigendos, ut quo maior sit miseria *vermis* Iacob, eo magnificentior audiatur consolatio. Idem cernitur in subsequentibus.

Ne animis cadant! Deus adest potens qui summae miseriae ereptos

summa donabit beatitate; ad hunc enim terminum tendit electio (v. 8. 9); quare eadem oppositione, qua v. 14. 15, etiam consolationis materia effertur v. 17 « *egeni et pauperes quaerunt aquas et non sunt; lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos* »; — miseria populi, militia illa (40, 2) schemate proponitur hominum aquae penuria maxime laborantium; quaerunt aquas, sed frustra; i. e. suis conatibus e miseria emergere vel ei remedium afferre nequeunt, sed vires solum inani labore consumunt. Quare cum emphasi Dominus unum se opitulatorem fidelem qui non deerit profitetur. Et quia calamitas in aquae penuria et siti adumbrata est, consequens est salutem depingi ita, ut in via quam populus est ingressurus adsint laetissima aquarum fluenta v. 18 « *aperiam in supinis collibus flumina et in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum et terram inviam in rivos aquarum* »; — populum in exsilio babylonico siti laborasse et aquae penuria fuisse afflictum, iam e regionis indole et natura prorsus est improbabile; uti ergo v. 17 sitis *imago* est miseriae, ita quae v. 18 dicuntur eadem ratione sed in oppositum erunt intelligenda. Abundantiam consolationis depingit ita, ut non solum in collibus et campis aquae inveniantur, ubi eas inveniri et adesse (*in vallibus* hebr.) pronum est, verum etiam in deserto et in regione arida et tanta quidem copia, ut haec dicantur esse in rivos aquarum. Proinde dici nequit, vatem reditum e Babylone talibus miraculis exornare voluisse; sed id solum ex v. 17 colligitur, Deum abundantissime populi sui calamitatibus remedia esse allaturum. Utique alludit ipsis verbis ad Ex. 17, 7; sed eo sensu, ut « ex eo quod iam effecit tacite probet quid facturus sit si res postulaverit » (*Mald.*); cf. ad 30, 25.

Ad summae felicitatis descriptionem et amplificationem pergit in eadem proverbii specie (*Sanct.*) addens ad aquarum copiam quod ex ea quasi progignitur summum arborum variarum ornamentum v. 19 « *dabo in solitudinem cedrum et spinam et myrtum et lignum olivae; ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* »; — solitudo in campum florentissimum mutata et desertum in regionem arboribus consitam imago est mutatae in melius conditionis populi, uti 32, 15. 16. Quae antea in v. 10. 13. 16 dicebantur, hic alia ratione proponuntur. Consolatur enim populum Deus ultimum ostendens salutis fastigium ad quod illum est adducturus et ad quod natura sua electio olim facta dirigitur. Ne ergo timeat, sicuti gentes tremunt exsistente heroe illo; sed cur Israeli non timendum sit, explicat ex altissima causa, quia scil. populus propter sublimem illam vocationem non potest conculcari; spondet se populum velle tueri, idque probat Deus ostenso summo beatitatis culmine ad quod populum vult adducere. Alia est quaestio, utrum haec

statim heroe illo exsistente futura sint eodem ambitu, an solum peculiare auxilium pro illo tempore promittatur, huius autem auxilii promissio certa solum explicetur ac fundetur ex copia et perfectione salutis ad quam alio tempore (scil. messianico) populum vult evehere. Ex aliis quae a propheta in hac serie adhuc proponuntur, hoc ultimum colligitur. Nam summa salutis perfectio, uti videbimus, non ad hunc heroem (41, 2 seq.), sed ad alium refertur; de qua re postea. Proinde argumentatio et promissio quae hoc loco fit similis est ei 8, 9 : *vincimini quia Emmanuel :* nemo praevalebit ita in Israel ut eum perdat, quia ex eo populo Messias est venturus. Hac igitur consolatione se erigat Israel; simul autem contemplatione salutis abundantissimae quam Dominus daturus est (quando? id ad rei cardinem non pertinet) se ad amorem Dei benignissimi excitent et laeta spe afflictos animos erigant. Unde simul elucet qua utilitate eiusmodi descriptiones et amplificationes iam fuerint aequalibus prophetae — eadem scil. sicut nobis coelestis beatitudinis contemplatio et conceptus inde animus alacer, fortis, spe laetus et Dei amore et beneficentia laude imbutus. Vi verborum ii qui tempore exsilii cernent heroem illum magna perpetrantem et gentes subiugantem hac consolatione confortantur : ne timeas, Israel, tibi enim maxima quaeque a Deo praeparata sunt. Ita accipiunt pignus pro liberatione; sed *quando* maxima illa in opus deduci oporteat, nullo modo indicatur. Modus ergo consolandi omnino idem est quam vidimus 9, 6; 11, 1; 30, 25; 32, 1; 35, 1.

In versione *S. Hier.* legitur *dabò in solitudine* et ita sane explicari oportet et revera legunt « plures antiqui libri, sicut mox sequitur *ponam in deserto* » *(Lucas brugensis)*, etiam *Sanct.* quosdam codices *in solitudine* legere affirmat. Fortasse qui praetulerunt *in solitudinem* respexerunt illud Ps. 106, 33-35 : posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem. Ceterum notum est in sermone latino vulgari adhiberi in cum accusativo, ubi sermo cultus et urbanus ablativum ponit, de qua re vide *Kaulen,* Handbuch z. Vulg. p. 207 ; ita legitur in codice amiatino Marc. 13, 3 cum sederet in *montem ;* Luc. 16, 23 videbat Lazarum in *sinum* eius ; ita legitur in codice St. Germain Matth. 3, 6 et baptizabantur in Iordanem ; 3, 11 ego baptizo vos in aquam; 3, 12 habens ventilabrum in manum suam; et e contra 4, 1 ductus est in deserto etc. (cf. *I. Wordsworth,* Old latin biblical texts n. I. The Gospel according to St. Matthew). — Pro *spina* explica *spinam aegyptiam* sive *acaciam; S. Hier.* versionem secutus est Theodotionis, ut ipse refert : « de *setta* (שִׁטָּה) hebraico disseramus quam *spinam* Theodotio transtulit ; est autem genus arboris nascentis in eremo spinae albae habens similitudinem ; unde omnia ligna arcae et tabernaculi facta sunt instrumenta, quae appellantur *settim,* quod lignum imputribile et levissimum omnium lignorum tam in fortitudine quam in nitore soliditatem superat et pulchritudinem ». LXX h. l. habent πύξον buxum. Hebr. *ponam in deserto cypressum ;* תִּדְהָר h. l. *vulg.* vertit *ulmum,* sed 60, 13 *buxum ;* alii explicant *platanum indicam* vel *ilicem* vel *pinum ; Schegg,* bibl. Archaeologie (ed. Wirthmüller,

1886) vocem explicandam censet vel de iunipero sabina vel de iunipero excelsa; explicationem de platano omnino reiicit neque eam fulciri posse auctoritate Saadiae, qui vocem non de platano, sed de tectona robusta vel grandi exposuerit (p. 245); locos porro affert ex talmude, ex quibus apparet Gopher, tidhar, kithros (cypressum, cedrum) promiscue adhiberi. Inde autem patet propriam nominis vim talmudistis fuisse ignotam.

Dubia quoque est notio vocis תְּאַשּׁוּר; *vulg* habet h. l. *buxum*, sed 60, 13 *pinum*. *Chald.* explicat אֶשְׁכְּרוֹעִין quam vocem de buxo vel ebeno interpretantur (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 71); alii explicant *scherbin*, quae sit cedri species conorum parvitate ramisque in altum tendentibus agnoscenda (cf. *Ges.* Thes. p. 164).

Aq. et *Theod.* retinuerunt voces hebr. θαδαὰρ καὶ θαασούρ (δαὰρ *Theod.* cf. *Field*, Hexapl. ad h. l.); *Sym.* vertit πτελέαν καὶ πύξον. — De variis aliorum coniecturis satis fuse agunt *For. Malv. Ges.* in commentario ad h. l. *Del.* At in re incerta diutius immorari non libet.

Haec autem rerum mutatio et salus concessa ad id quoque tendit, ut hominibus *manus* Dei, divina eius administratio rerum ac providentia et zelus quem habet populi sui manifestetur v. 20 « *ut videant et sciant et recogitent et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc et Sanctus Israel creavit illud* »; — i. e. rerum eventus tanta claritate ut divinitus facti ostendentur, ut nullo modo possint ignorari; omnes sensus externi et interni vivide percellentur; quod oculis clare offertur, menti, cordi (hebr.) et intelligentiae imprimetur, ita ut opus Domini et specialis eius pro Israel gubernandi ratio non possit eos latere. Copia verborum quasi necessitas illa describitur qua opus Dei tamquam potenti numine factum se omnium oculis et mentibus ingerat; « videbunt, cogitabunt, aperte cognoscent haec tam dissimilia ac varia ex Dei Israel consilio atque potentia fuisse peracta » (*Sanct.*). Cum talia ergo cognosci possint, immo debeant, aptissime sermo redit ad initium capitis et ad scenam illam et disceptationem forensem (cf. ad 41, 1).

d) Disceptatio de operatione numinis 41, 21-29.

Causa est dicta. Dominus exposuit quid praedixerit et quid praedictione facta revera effectum sit. Iam gentium est partes suscipere ac tueri idolorum et ostendere quid illa possint vel effecerint. Unde eodem modo quo 41, 1, postquam Dominum audierint, ut iam ipsae loquantur causamque instruant (« tunc loquantur ») graviter admonentur v. 21 « *Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus; afferte si quid forte habetis, dixit rex Iacob* »; — hebr. *afferte fortia vestra* i. e. praesidia et argumenta rei vestrae (cf. *For. Mald. Malv.*); est igitur *forte* nomen, argumentum alicuius roboris; *rex Iacob* dicitur Deus qui hoc loco se ut deum tutelarem populi Iacob opponit idolis et diis qui ut gentis suae

reges considerabantur (cf. quae notavi ad Am. 1, 15. Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8). Argumentum autem forte et validum quo probetur, utrum adsit numen divinum necne, constituitur in praedictione rerum futurarum quae a libera hominum voluntate potissimum dependeant; sicut igitur *rex Iacob* se demonstravit Deum vivum annuntians victorias Cyri, terrorem gentium, Israelis salutem, ita simile quid praestent idola vel gentes ostendant, quando et ubinam idola talia exhibuerint; v. 22 « *accedant et nuntient nobis quaecumque ventura sunt; priora quae fuerunt nuntiate, et ponemus cor nostrum et sciemus novissima eorum, et quae ventura sunt indicate nobis* »! — hebr. *afferant* (scil. causae praesidia et argumenta) *et nuntient nobis quae eventura sint*; cum actiones *liberae* futurae in nulla causa creata habeant sufficientem sui rationem antequam exsistant, illae certo praedici non possunt nisi ab intellectu divino; quare eiusmodi vaticinia certum praebent divinitatis testimonium; augetur vis argumenti, si tota quaedam series talium eventuum praedicitur. Unde v. g. vaticinia illa quae Noe dedit vel quae patriarchis data sunt, cum multorum annorum, immo plurium saeculorum eventus brevi formula adumbrent, insignia exsistunt documenta quibus constet Deum lumine suo mentes illustrasse. Simile vaticinium modo editum est de heroe illo, de eius facinoribus, de terrore gentium et salute Iudaeorum; unde postulatur, ut gentes similia de idolis probent et proferant. Annuntient ergo quae eventura sint; vel edicant, quaenam olim ab iis fuerint praedicta i. e. *priora, quae illa? nuntiate* (hebr.), ut consideratione adhibita diiudicari possit, num evenerint necne; « primum iubet ut antiqua repetant oracula expendantque an veros habuerint exitus; nuntiate, inquit, quae praedixerunt dii vestri et novissima illorum i. e. successus considerabimus et ex eventu iudicabimus, an vera sint locuti » (*Sanct.*); cf. 43, 9. 18; 44, 7; 46, 9; 48, 3. Vel si talia non habent, nunc saltem edant oracula de futuro: *vel ventura facite nos audire* (hebr.). Postquam ergo prima annuntiatione generatim postulatum est, ut eventura praedicant, iis optio relinquitur, ut vel ostendant iam olim aliquid esse ab iis praedictum et eventu comprobatum, vel hic et nunc futura vaticinentur.

Haec explicatio et verbis quam maxime congruit et indoli vaticinii antecedentis, quo aliquid olim praedictum impletione comprobatum proponitur et alia, ut de salute, tamquam ventura annuntiantur. Unde rite intelligunt *priora* de iis quae olim praedicta sint *Sanct. Rohl. Troch. Ges. Kn. Sein. Or.;* quae interpretatio valide confirmatur, quia in sequentibus quoque saepius sermo fit de prioribus quae annuntiata sint; cf. 43, 9; 48, 3. Alii priora intelligunt non de praeteritis, sed de iis quae proxime evenient, ita ut prima enuntiatio: dicite

nobis eventura, iam duobus magis declaratur, per ea scil. quae primum eventura sint et per ea quae post longius demum tempus sint futura. Sed non credibile videtur הָרִאשֹׁנוֹת posse significare primum vel proxime ventura; *priora* ita simpliciter sine addito et in oppositione ad ventura non aliter accipi possunt nisi praeterita. Quare eam explicationem, quam *Malv. Net. Hahn, Del.* propugnant, non posse sustineri censeo. — Alii *priora* enarrationem esse volunt priorum facinorum deorum (*For. Mar.*) vel rerum initiorum vel eorum quae Deus ab initio fecerit, cogitaverit, decreverit (*Mald. Lap. Men. Tir.*), ita ut sensus sit gradatione quadam propositus : si neque futura praedicere, neque praeterita enarrare possunt, saltem quae iam veniunt (הַבָּאוֹת) quae vel mediocriter prudens vir praedicere aut annuntiare valet, nos percipere faciant (*For.*). Quae ab initio facta sunt, etiam *S. Hier. Cyr. Theod.* intelligunt.

Cum idola et ii qui eorum partes sustinent taceant, denuo admonentur et iterum vates qualis insit vis probandi vaticiniis effert; ex qua repetita adhortatione et irrisione gentium simul elucet, quantopere vates se verum edidisse vaticinium habeat certissimum v. 23 « *annuntiate quae ventura sunt in futurum et sciemus quia dii estis vos; bene quoque aut male si potestis facite, et loquamur et videamus simul* »! — iam loquitur triumphantis in modum et ridet demum de idolis : utique futura annuntiare nimis est difficile, saltem aliquod signum edant, efficiant aliquid boni vel mali si ad bonum non suppetant vires (cf. Ier. 10, 5) ; ergo minimum exposcit. Si igitur provocatione excitati aliquid signi ediderint, tunc quid valeant diiudicari potest comparatione instituta inter Dei opera et eorum ; vel ex hebr. *inter nos dispiciamus et inter nos videamus*, vires inter nos conferre et diiudicare possumus, uter plus valeat efficere. Monent hic *S. Hier. Sanct.* aliique ab oraculis quidem varia esse praedicta, sed « hoc sciendum quod semper mendacium iunxerint veritati et sic sententias temperarint, ut seu boni seu mali quid accidisset utrumque posset intelligi ; ut est illud Pyrrhi regis Epirotarum : aio te, Aiacida, Romanos vincere posse, et Croesi : Croesus transgressus Halym maxima regna perdet » (*S. Hier.*) ; et addit *Sanct.* daemonem quidem ut est acuto ingenio et ad coniectandum acri divinare quid futurum sit, sed « quia multa interdum incurrunt quae daemonis coniecturas invertunt et turbant, saepe fallitur et mendax deprehenditur » ; oracula generatim edita esse implexa atque ambigua, multis exemplis probat Theodoretus (sermo de oraculis, *M.* 83, 1060 seq.) ; « sed omnium optime expressit Cicero 2. libr. de divinitate, qui sic Apollinem alloquitur : sed iam ad te venio, o sancte Apollo... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres

egeat interprete et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis » (*Sanct.*).

At frustra fit admonitio ; ergo eo ipso quod certamen oblatum ne inire quidem audent se victos esse neque posse quidquam in medio afferre profitentur ; ita v. 24 « *ecce vos estis ex nihilo et opus vestrum ex eo quod non est ; abominatio est qui elegit vos* » ! — « *esse ex nihilo* hoc loco est esse ficticios deos neque ab aliqua veritate ortum habuisse, sed inani et stulta imaginatione hominum » (*For.*), unde quia agere sequitur *esse*, opera quoque eorum nihil sunt, omnino nihil exsistit quod dii effecerint. Quare qui tales sibi eligit deos tutelares, omni abominatione se dignum reddit, ita ut evadat abominatio coram Deo et hominibus ratione utentibus. Dii enim sunt ex mendacio et inanitate conflati (*Osor.*). *S. Hier.* aliique *opus* intelligunt materiam ex qua facta sint idola ; sed פעל facta vel facinora vel actiones quas edunt idola significat.

In hac igitur concertatione gentes nihil habent quod afferant ut idolis numen divinum vindicent. Cum pudore obmutescunt. Quare Deus triumphantis instar causam quam evicit denuo paucis colligit per modum epilogi, quo vis probandi magis percipiatur. Unde denuo de heroe illo 41, 2 seq. sermo fit v. 25 « *suscitavi ab aquilone et veniet ab ortu solis, vocabit nomen meum et adducet magistratus quasi lutum et velut plastes conculcans humum* » ; — de eodem de quo 41, 2 seq. fieri sermonem, certum est ; venit enim ut ille ab oriente ; facillime, ut ille, satrapes devincit et prosternit et eorum potentiam conculcat ac si figulus argillam conculcaret ; eadem habes de Cyro 45, 1. 2. Dicitur suscitari ab aquilone, et recte quidem, nam Cyrus Astyage devicto caput et rex erat Medorum atque Persarum et ex veterum narratione cum familia regia Medorum cognatione coniunctus ; Media autem a Babylone septemtrionem versus, Persia orientem versus sita erat ; ergo exiit revera ab aquilone et ab oriente, ut regiones usque ad mare aegaeum suo subiiceret imperio. Ipse quoque *vocabit in nomine* Iahve, eo sensu nomen Iahve annuntiavit, quia « traduxit vocem in omni regno suo etiam per scripturam dicens : haec dicit Cyrus rex Persarum : omnia regna terrae dedit mihi Iahve Deus coeli et ipse praecepit mihi... » (Esdr. 1, 2). Verba de se etiam significare possunt *invocare nomen* i. e. colere et adorare ; forte Cyrus, uti deos babylonios coluit, ita etiam Deo Iudaeorum aliquid honoris et adorationis exhibuit. Cyrum non posse considerari tamquam veri Dei cultorem, sed eum multiplici idololatriae indulsisse, monumentis apertissime constat (vide *Vigouroux* l. c. IV p. 512 et seq.).

Id autem fore iam dudum antequam fieret erat annuntiatum. Id summa asseveratione et cum exsultatione qualis decet victorem causae propo-

nitur v. 26 « *quis annuntiavit ab exordio ut sciamus et a principio ut dicamus : iustus es ? non est neque annuntians neque praedicens neque audiens sermones vestros* » ! — hebr. *quis annuntiavit ab exordio ? et agnoscamus, et a principio ? et dicamus : iustus* i. e. causam vicisti, in hac concertatione superior evasisti. Quis annuntiaverit, clarum est ; ergo solum restat ut omnes argumentum hoc et factum agnoscant et Domini causam victricem profiteantur. Interrogantur ergo : *quis annuntiavit* ? et quidem ab exordio, a principio i. e. longe antequam fieret ; et si quis deus id sibi vindicare potest, numen eius se velle agnoscere eique causam et victoriam attribuere sollemniter protestatur. Verum ex diis nemo erat qui id edixerit ; nemo tale aliquid ab iis percepit. Ergo soli Domino oportet dici : *iustus es* i. e. pro eo est sententia ferenda, ille victor prodiit ex iudicio palmamque retulit (*Malv. For.*). Atque ut rerum futurarum se praescium manifestet, iam clarius edicit unum quod continget per heroem illum v. 27 « *primus ad Sion dicet : ecce adsunt et Ierusalem evangelistam dabo* » ! — hebr. *primus ad Sion : ecce, ecce illa et pro Ierusalem laeta nuntiantem dabo* i. e. Dominus tamquam primus Sioni annuntiat : ecce illa adsunt (cf. 40, 9. 10) ; nemo alius id praenuntiavit, primus ipse Dominus praedixit et cum fausto nuntio prophetas misit ad Ierusalem (40, 1). Quae hoc loco innuit, postmodum 44, 26 clarius proferuntur et quid heros ille pro Ierusalem moliturus sit indicatur. Hic ex more Isaiae quasi primo quodam praeambulo obiter edicitur fore ut heros ille Sioni ea quae promissa sunt aliqua saltem ratione afferat et laetum pro Ierusalem nuntium mittat.

« Nunc vero videamus an aliquis eorum simili praedictione vim proprii numinis possit indicare et homines mentis compotes ad sui cultum perducere » (*Osor.*) ; sed nil tale praestant dii v. 28 « *et vidi et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium et interrogatus responderet verbum* » ; — i. e. circumspexi in omnem partem, sed nemo aderat qui idolorum causam defenderet ; *et ex istis* (hebr.) diis, nullus aderat qui vel consilium daret de rebus futuris vel interroganti mihi responderet. Unde cum nihil edant neque ediderint ad numen suum probandum, iam necessario consequitur ex disceptatione instituta : v. 29 « *ecce omnes iniusti et vana opera eorum ; ventus et inane simulacra eorum* » ! — *iniusti* (cf. v. 26) i. e. in hac iudicii forma plane causa cadunt ; hebr. *ecce ii omnes-vanitas ; inania opera eorum ;* dii nihil sunt, nihil sunt opera eorum ; totum *esse,* tota eorum natura et virtus consistit in simulacris, quae quod opem vel protectionem attinet nihil quoque sunt nisi *halitus* et *vastitas* vel ventus et desolatio (hebr.) ; si quid afferunt, vastitatem et desolationem afferunt ; talia scil. ex eorum cultu iudicio Dei iusto consequuntur cultores. — Hac disceptatione forensi

vates id prophetice et symbolice describit quod ex decreto quoque Cyri (Esdr. 1, 2-4) colligitur : per Cyrum potentiam Domini fuisse manifestatam : « omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli et ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ierusalem; quis est in vobis de universo populo eius... ascendat in Ierusalem... et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant adiuvent eum viri de loco suo argento et auro » etc. Atque in eo eventu quam maxime elucere numen divinum, quia diu ante erat praedictus, vates potissimum effert. Ergo fieri nequit, ut vaticinium hoc de heroe eo demum tempore editum fuerit, quo heros iam prodire in campum coeperat; nam et in subsequentibus idem saepius inculcatur, ea oracula iam dudum esse edita et nota antequam implerentur; cf. 44, 8; 45, 21; 46, 10.

Quis ille sit quem Dominus suscitaverit ab aquilone et qui venturus sit ab ortu solis et qui satrapes quasi lutum sit conculcaturus, miro modo veteres interpretes variant. *S. Ephr.* Zorobabelem cum Iesu filio Iosedec et levitas intelligit; *S. Hier.* et *Cyr.* populum nationum; « suscitantur autem ab aquilone, ut credant in eum qui venerit ab ortu solis, de quo supra legimus : quis suscitavit ab oriente iustum sive iustitiam » (*S. Hier.*)? sim. *S. Cyr.* gentes ad Christi fidem vocatas hic cernit. *Euseb.* vero Christum hoc loco praedici affirmat. *Haimo* verba refert, uti fere solet, ex *S. Hier.; S. Thom.* eum qui ab aquilone intelligit « Chaldaeum, ab oriente Persam, qui subiugaverunt primo diversas terras et principes; mystice per eum qui ab aquilone gentilem populum, per eum qui ab oriente Christum »; sim. *Tir.* videt ibi praedictum et Nabuchodonosorem et Cyrum; *Mald.* vere et *Malv.* non ad certum aliquem referunt, sed generatim praedici volunt esse venturos undique qui idola comminuant. In paraphrasi chaldaica ita legitur : « adduco in manifesto regem potentem a vento aquilonis et veniet sicut egreditur sol in fortitudine sua ab oriente, roborabo eum nomine meo »; unde eo loco a *Chald.* iam non Abraham videtur intelligi. Abraham tamen etiam hic satius esse ut intelligatur *For. Sanct. Lap. Men.* censent. Alii tamen bene de Cyro explicant; ita *Hugo, Lyranus,* et *Vat.* (testibus *Sanct. Lap.*). *Osor. Pint. Sa, Mar. Gord. Calm.* et recentiores.

3. *Oratio tertia* 42, 1-12.

Arg. — Describitur servus Dei, a Deo electus et dilectus, spiritu Dei repletus, qui maxima benignitate et suavitate et misericordia praeditus legem Dei omnibus proferet (42, 1-4). Eum Dominus omnipotens et auctor vitae omnium vocavit, ut caecis lumen, captivis afferret libertatem; hac quoque liberatione gloria Dei et eius praescientia omnibus nota fiet (42, 5-9). Quare laudes Dei celebrabuntur undique in orbe terrarum (42, 10-12). — Heroi igitur in oratione antecedenti

descripto iam alter opponitur qui aliam prorsus indolem prae se fert. Ille proponitur ut victor regum ac gentium, qui gladio et arcu, bellico strepitu reges deiiciet, eos persequetur, satrapes quasi lutum conculcat — hic autem ut mitis plane ac suavis, qui ab omni oppressione alienus debiles et morti et interitui iam proximos sublevabit et consolabitur. Illum videntes insulae timuerunt, hunc insulae exspectant. Uterque tamen est a Deo vocatus et electus, uterque gloriam Dei manifestabit, uterque liberationem populo Dei afferet, uterque oraculo divino est praenuntiatus. Quare iam evidenter, quemadmodum duo designantur liberatores, ita duae quoque liberationes populo Dei praedicuntur quae tamen, sicut liberatores indole sua et descriptione inter se multum differunt, ita etiam alia atque alia ratione erunt in opus deducendae.

a) Servus Domini mitis 41, 1-4.

Attentione animorum excitata magnis encomiis introducitur servus Dei ut Deo maxime acceptus, Deo plenus, qui omnes gentes ad veritatis cognitionem adducet v. 1 « *Ecce servus meus, suscipiam eum ; electus meus complacuit sibi in illo anima mea ; dedi spiritum meum super eum ; iudicium gentibus proferet* » ! — *ecce* rem introducit magni momenti, omni consideratione dignam ; talis est qui hic inducitur *servus Dei*, quem Deus dicit a se sustineri (hebr.), quem elegit, in quo Deus intime sibi complacet, quem maximo amore prosequitur, in quem spiritus divini plenitudinem effudit et qui ita a Deo praeventus et instructus *iudicium* i. e. ius divinum et normam divinam, ergo id quod Deus voluit ac constituit tamquam regulam vitae ac morum gentibus afferet. Ad hanc notionem iudicii plerique interpretes accedunt, explicantes vel verum iustumque Dei cultum, iustas leges, veram iustitiam et sanctitatem (*Osor. Sanct. Lap. Men. Tir.*), vel evangelium (*Pint.*) vel δικαιοκρισίαν (*S. Cyr.*), vel ius illud quod lege divina determinatum est, legem Dei, veram religionem et doctrinam quae sit regula vitae (ita recentiores) ; neque multum ab ea acceptione abludunt, si alii magis efferunt iudicialem potestatem : ius gentibus dicet, est periphrasis regiae et imperatoriae maiestatis, per evangelium autem iudicium Christus in omnes gentes exercuit (*Malv. For.*) vel gentes moderabitur, absoluta in illas auctoritate gaudebit (*Calm.*) ; haec enim dominandi potestas eo demum continetur ut impietate et iniquitate deiecta vera virtus, pietas, religio ubique regnet. Unde talis exhibetur servus Dei, qui id in opus deducet quod 2, 3. 4 de novissimis diebus praedicitur.

Primo igitur nobis describitur tamquam electus a Deo Deoque acceptissimus et cui Deus suum indiderit spiritum, quem potentia sua sustentat, cuius ergo opus effectu nequit carere; dein assignatur munus *iudicium proferet gentibus,* missus est ergo, ut gentes doceat; tertio depingitur, qua ratione munus sit obiturus. Heros alter bellico incedit strepitu; prorsus aliter hic servus Dei v. 2 « *non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris* »; — hebr. etiam in membro medio: *non levabit,* i. e. subauditur, ut *S. Hier.* advertit, in altum vocem suam. Humilis ergo et tranquillus, mitis et mansuetus incedet. Deus enim est Deus pacis et qui Dei spiritu reguntur, non contentiose, non perturbate, non modo praecipiti et tumultuoso agunt, verum pacate, quiete, modeste; cuius rei symbolum ostensum est Eliae: non in commotione Dominus.. non in igne Dominus (3 Reg. 19, 11. 12). « Est autem magna quaedam epitasis in eadem sententia tertio geminata, qua maiorem in modum commendatur Christi mansuetudo, silentium, modestia » (*Sanct.*), neque enim « veniet cum magno strepitu, ut alii reges venire solent, sed humilis, placidus, mansuetus » (*Mald.*). In *vulg.* praeterea aequitas iudicii exprimitur ac iustita; cf. 11, 3. Ceterum verba citata apud Matth. 12, 19 cum hebr. concordant.

Huic indoli placidae, quam ipse vocis habitus prodet, omnino consentaneum est, ut maxima cum mansuetudine ad sanandos debiles, ad erigendos infirmos, ad remedium aegrotis afferendum incumbat v. 3 « *calamum quassatum non conteret et linum fumigans non exstinguet; in veritate educet iudicium* »; — qui sunt oppressi, quassati, afflicti, quorum vita quasi iam est exstincta, eos peculiari cura fovet et amplectitur. Quam maxime ergo distinguitur a sapientibus et potentibus, qui infirma et debilia vel fastidiose spernunt et aversantur vel superbe destruunt et plane abiiciunt. Est loquendi « proverbialis species quae mirum in modum explicat alicuius lenitatem et mansuetudinem » (*Sanct.*) et qua indoles illa describitur, qua servus Dei omnes ad se allicit qui onerati sint et molestiis affecti vel pondere peccatorum pressi vel diffidentia et timoribus obnubilati; ubi deprehenderit infirmos in fide, hos ad fidei robur erudire studebit, ut ita minimam illam virtutis bonique lucem quae adfuerit ad magnum promoveat lumen et ad insignem splendorem. Hac mansuetudine et promptitudine medendi infirmis iam nobis propositus est Dominus pastor bonus ac misericors 40, 11 et proponetur 61, 1 et seq.; iam talis exhibitus est 11, 4; 14, 32; 25, 4; 26, 6; pauperes enim et egenos et afflictos et oppressos iuvare, fovere, consolari, erigere dicitur, sim. uti Ps. 44, 5; 71, 4. Quam egregie haec species ac forma Messiae in evangeliis sit depicta et ad vivum expressa, non opus est hic exsequi; sufficit mentionem ser-

monis montani iniicere, in quo beati praedicantur pauperes, mites, qui persecutionem patiuntur, et *pauperes* evangelizari signum proponi epochae messianicae et Messiam maxima commiseratione et caritate suscipere peccatores, dum pharisaei superbe eos fastidiunt, immo id a propheta Dei longe abesse debere insipienter iudicant. Unde bene *S. Hier.*: « cunctis placabilis erit et veniam dabit peccatoribus;... qui vicini erant exstinctioni, Domini clementia servabantur ». Et *quia* ita mitis est et mansuetus, ideo *ad veritatem perducet iudicium* (hebr.) i. e. normam illam iuris ac veri divini (cf. v. 1) vere in hominum mores et vitam inducet, vere illam ita ubique valere et omnibus conditionibus dominari faciet, ut veritas ubique elucescat et vincat. Via igitur qua vera lex ac solida stabilienda erit in terris, assignatur mansuetudo, clementia, miseratio. Hisce enim miseriae hominum ac debilitati, qua laboramus omnes, optime consulitur; hisce infinita Dei in homines misericordia praeclarissime exprimitur, unde elucet quantopere clementia illa Salvatoris et benignitati divinae et indigentiae hominum respondeat.

Ceterum quid proprie sit *in veritate iudicium educere* alii aliter concipiunt. *Euseb.*: cum veritate omnibus ea aperit quae ad iudicium Dei spectant; *S. Cyr.* iudicium intelligit legem veterem; unde: iudicium sive legem in umbris et in typis vere proferet per oracula evangelica quibus cultum legis in litera in veritatem mutavit. *S. Hier.*: cum veritate iudicabit; alii: *verum* iudicium proferet, vel vere, ita ut non erret (*Sa, Mald. Men.*) vel ut pro veritate sententiam dicat (*For. Naeg.*); sed *iudicium* latioris est notionis neque ad significationem forensem restringi debet. *Osor.*: verissimam iustitiae disciplinam proferet suorumque animos verissimis virtutum omnium muneribus exornabit. Alii particulae ל notionem vindicant *secundum normam;* ergo ex veritate administrabit omnia (*Malv. Mar. Sein.*) vel: veris hominum necessitatibus et indigentiis consulit, ut ea afferat quibus genus humanum lapsum opus habet, ut cum Deo reconcilietur (cf. *Rohl. Del.*) vel veritati deditus iudicium proferet (*Hahn*). — Cum explicatione quam supra dedi bene concordat modus quo textus allegatur apud Matth. 12, 20: « donec eiiciat ad victoriam iudicium » i. e. donec iudicium plenam reportet et obtineat victoriam (cf. Hab. 1, 4; in aramaico נְצַח *vicit*).

Calamum quassatum et linum fumigans multipliciter applicari posse certum est. Et *Euseb.* quidem in priore cernit hominem humillimum et debilissimum et tantam in Christo quietem, ut ne tali quidem ullam afferat molestiam; linum vero fumigans de homine mente carnis suae elato explicat, « neque ullum ex superbis et arrogantibus adortus est, sed sese omnibus mansuetum et humilem exhibuit »: *S. Hier.* de clementia in peccatores exponit; aliter in epistola ad Algasiam (qu. 2; *M.* 22, 1012); in calamo quassato intelligit populum iudaicum, qui antea sonorus laudes Deo concinebat, at postea fractus in angulari lapide vulnerat manus eius qui in illo voluerit inniti; in lino fumigante videt populum

gentium qui exstincto legis naturalis ardore fumi amarissimi oculos laedentis involvebatur erroribus; hunc Christus non solum non exstinxit et in cinerem redegit, sed potius insufflavit et de parva scintilla magnum caritatis incendium erexit (cf. *Pint. Sanct.*); vel qui peccatori non porrigit manum nec portat onus fratrum, iste calamum confringit quassatum, et qui modicam scintillam fidei contemnit in parvulis, hic linum exstinguit fumigans (*S. Hier.* Comment. in Matth. 12; *M.* 26, 79); « qui hodie non dat operam ut errantem quantum potest corrigat, ille calamum confringit quassatum » (*Sasb.*). Vel : quae interitui iam proxima et inutilia sunt, homines plene abiicere et delere solent; ellychnium fumigans, quod insuper molestiam creat fumo et putore, omnes exstinguunt : unde Christi commendatur mansuetudo (cf. *Sanct. Gord. Lap. Men. Tir.*), « nec enim is erit ullo modo qui boni alicuius reliquias malis oppressas extinctas esse velit, sed potius mala omnia detergendo perficiet, ut quidquid inerat boni excitetur, quod fractum consolidetur, quod propemodum exstinctum lumen recipiat » (*Osor.*). *S. Ephr.* calamum intelligit de populo iudaico, cuius rempublicam Christus non everterit; lucernam autem caligantem (ita in versione syr.) legem, quae cum sol iustitiae exortus sit, in plena meridiei luce caligaverit. *S. Thom.* calamum exponit de regno iudaico, linum de sacerdotio, quae expositio petita est, ut videtur, a S. Gregorio Magno (cf. *Troch.*).

Cum hac autem mansuetudine coniunget animum invictum et fortem, ita ut in munere suo nunquam langueat vel difficultatibus frangatur, verum placide quidem at fortiter et constanter ad propositum adnitatur; ita v. 4 ex hebr. *non languescet nec confringetur, donec ponat in terra iudicium* i. e. donec normam veri et iusti divinam in terra stabili ratione collocaverit et fundaverit vel donec in terris rempublicam coelesti iustitia fundatam constituerit (*Osor.*); simili modo explica *vulg.* v. 4 « *non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; et legem eius insulae exspectabunt* »; — « vultus placidus nec rerum diversitate contractus ac turbidus satis indicat tranquillum animi statum et raram in eadem lenitate et modestia constantiam » (*Sanct.*); rerum ergo difficultate vel obstaculis obiectis minime animo cadet neque perturbabitur, sed placide et constanter propositum sibi opus prosequetur. Hic iam semina quaedam sparguntur quae cap. 49. 53 magis explicabuntur; innuit enim propheta opus fore molestiis, laboribus, ut vera religio in terra collocetur, adfore pro servo Dei obstacula et difficultates, quibus ne retardetur frangaturve opus erit animo forti, constanti, invicto. Atque statim fortitudinis huius et constantis studii adiungitur praemium et terminus felicissimus : *insulae* i. e. regiones longinquae, ultra maria sitae *legem eius*, doctrinam eius fidei morumque avide appetent, desiderabunt [1], suscipient. Proinde regnum fundatum iri indicatur veritatis,

---

1. Sedebant enim, ut *S. Ephr.* ad 51, 5 notat, diu in spe salutis eius.

doctrinae, religionis cultusque Dei universale, quo remotissimae quoque regiones comprehendentur, et tale regnum, ad quod gentes magno quodam studio se adiungere gestient. Etiam haec postea vates magis magisque explicabit. — En quam diverso modo servus hic exhibetur et opus eius; heroem illum cap. 41 descriptum insulae timent, expavescunt quasi horrentes (41, 5); huius vero legem avide et cupide expetunt (cf. 49, 6; 51, 5).

Advertit *S. Hier.* : « splendebit et non conteretur, donec ponat.. (ex LXX versione) pro quo nos interpretati sumus : *non erit tristis neque turbulentus,* sed aequalitatem vultus omni tempore conservabit ». LXX igitur illud *non exstinguetur* לא יכהה reddiderunt assertive ἀναλάμψει. In hebr. eadem verba leguntur quae in v. 3; unde etiam ירוץ eodem modo erit explicandum; cf. Eccl. 12, 6. Alii haud recte exponunt a רוץ *currere* i. e. non erit praeceps, non feretur impetu sed summa cum prudentia et consideratione res causamque iudicabit (*For.*).

b) Opus servi Domini 42, 5-9.

Iam magis explicatur, quali ratione Dominus hunc servum *sustineat* (v. 1) et ad quid eum elegerit. Opus fore insigne ac magnificum, iam ex prooemio colligitur quo Dei potentia egregie describitur : v. 5 « *Haec dicit Dominus Deus, creans coelos et extendens eos, firmans terram et quae germinant ex ea, dans flatum populo qui est super eam et spiritum calcantibus eam,* v. 6 *ego Dominus vocavi te in iustitia et apprehendi manum tuam et servavi te* »! — sicuti supra 41, 4 heroe illo descripto Dei potestas effertur qua documenta illa edi posse probatur, ita hoc loco; et ut 40, 8. 12 seq. potentia Dei magnifice exhibetur tamquam pignus promissionum, ita hoc loco omnipotentis creatoris rerum omnium et conservatoris virtus in medium profertur, ut omne dubium quomodo eximia illa sint exsequenda funditus tollatur. Nam qui coelum creavit creatumque continuo conservat, qui expandit, fundat (hebr.) terram et genimina eius et omnibus viventibus halitum et vitam subministrat, etiam id quod constituit facere poterit efficere. Ordinem rerum creatarum eum sequitur vates quem in Genesi legimus. Et quia Deus iustitiam, rectum ordinem rerum, et sanctitatem in terris constituere vult, vocavit eum, similiter ut alter heros ad Dei opus est vocatus (41, 2); et quem vocavit, etiam efficaciter tuetur in suscepto labore, ei assistit, eum ab omni periculo et infestatione servat, sicuti alteri quoque erat promissum 41, 3; 45, 2.

Ad quid vero praeprimis sit vocatus et a Deo missus, sequentibus proponitur : « *et dedi te in foedus populi, in lucem gentium,* v. 7 *ut aperires oculos caecorum et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* »; — ergo iustitiam illam divinam et pro

populo Israel et pro gentibus afferet; quare dicitur dari in foedus populi, i. e. ut sit mediator foederis pro populo, ut foedus illud cum populo quod propter populi peccata erat violatum denuo restituat novumque condat; esse igitur debebit angelus testamenti, uti Mal. 3, 1 eum vocat (*Malv.* sim. *Mald. Sanct. Mar. Osor. Lap. Men. Tir. Schegg, Rohl. Troch.*); et praeterea gentibus clarissimum afferre debet lumen doctrinae et lumen gratiae, ut sedentes in tenebris luce divina collustrentur (cf. 9, 2); idem ergo munus ei assignatur quod 49, 6 : servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas, et ut sit salus Dei usque ad extremum terrae. Uti ergo per eum lux est afferenda gentibus, ita foedus populo, foedus scil. novum et sublime (cf. Ier. 31, 31), de quo iam Osee: et percutiam cum eis foedus (2, 18 seq.), quod foedus iustitia, iudicio, misericordia, fide constituetur. Unde quemadmodum gentes non sunt illa lux, ita etiam populus non ipse est foederis huius mediator, verum alius servus a populo distinctus, qui populum cum Deo reconciliat et tamquam alter Moyses foedus a Deo ad populum perfert et populum cum Deo coniungit. Foedus prius violatum est per peccata; ergo cum servus foedus debeat restituere, eo ipso debebit peccata abolere, remedia contra illa praebere et sanctitatem promovere. Haec bona utpote populo in patriarchis promissa, *foederis* nomine apte designantur, dum pro gentibus *lucis* appellationem sortiuntur, qua bonorum illorum indoles, natura, finis et participatio quaedam lucis increatae, ipsius divinitatis, apte declaratur. Foedus autem et lux in v. 7 accuratius definiuntur : oculi caecorum sunt aperiendi, e carcere et tenebris sunt educendi. Qualis intelligatur caecitas et qualis carcer, iam colligi potest et debet ex servi huius natura et institutione (v. 1) et ex eo quod iudicium proferet gentibus, in veritate educet iudicium, quod insulae legem eius exspectant et quod vocatus sit in iustitia (v. 3. 4. 6). Tenebrae igitur ignorantiae rerum divinarum et carcer peccati et iniquitatis intelliguntur et ab hisce liberabit servus Domini. Unde tamquam *liberator* ac *redemptor spiritualis* describitur et novum indicatur foedus et tempus messianicum, quo ablato errore et peccato destructo Dei cognitio et sanctitas ubique dominatur, uti Isaias iam saepius docuit; cf. 2, 3; 4, 4-6; 9, 7; 11, 1 seq. 25, 8; 26, 7; 29, 25, ; 32, 1; 35, 8. De hoc foedere vide plura 54, 10; 55, 3; 59, 21; 61, 8. Neque quod ipse dicitur dari in foedus populi, locutio est audacior; nam Ios. 3, 14 (hebr.) ipsa arca, foederis sanctuarium et symbolum divini commercii et bonorum Dei, dicitur *foedus*; ergo etiam ille qui foederis est effector et bonorum illorum largitor et vinculum quam maxime sublime quo genus humanum Deo coniungitur, apte *foedus* appellatur, uti alias quoque se lucem, resurrectionem, viam, veritatem, vitam etc. nominat, quia ea in se habet abundantissime et cum aliis communicat. Est igitur

lumen ad revelationem gentium et gloria plebis Israel, cum gloria Israel in foedere illo reposita sit; per eum ergo *urim* et *tummim*, lux et probitas, doctrina et veritas, generi humano affertur et ad talem effectum Deus omnipotentiam suam in coelis et in terra et in omnibus viventibus conspicuam oppignerat (v. 5) et nomen suum *Iahve* et gloriam suam incommunicabilem in medium affert.

Tamquam sigillum et confirmationem Deus nomen suum apponit *essentiale* et gloriam maiestatis incommunicabilem v. 8 « *ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo et laudem meam sculptilibus* » ! — *ego Iahve*, qui ut est in se *actus purissimus*, ita verbum suum complet, qui hoc nomen ut foederis initi signum et pignus assumpsit (cf. quae notavi ad Os. 2, 20; 12, 5. Ioel. 2, 32). Haud incongrue monet *Sanct.*: « illud *ego Dominus* nota est et quasi familiaris subscriptio, qua Deus decreta sua atque mandata consignare et divina auctoritate confirmare et commendare solet, ut habes in Levit. cap. 18 et 19 centies ». Uti in rebus gestis herois illius gloria Dei et laus elucet (cf. 41, 4. 23), ita in huius servi opere gloriam Dei collocari asseritur. Per hunc enim cognitio Dei et ius divinum per orbem universum debet propagari (v. 1. 3. 4. 6. 7) et quia Deus id vult, propterea eum vocat, eligit, sustentat ; per eum ergo canticum illud « plena est omnis terra gloria eius » (6, 3) complebitur ; in hac vero gloria Dei ultimus ac supremus finis operum Dei continetur ; quare in ea ratio habetur valentissima et pignus certissimum impletionis. Cum enim gloriam suam alteri non det i. e. necessario gloriae suae aemulator sit, etiam id a quo gloria eius quam maxime dependet peragere et efficere debebit, id est promissa et vaticinia implere (cf. 48, 11). Unde bene advertit *Mald.* verba haec modum exhibere confirmandi ac pene iurandi (sim. *Malv. Sanct.*).

Atque talia Deus annuntiat antequam fiant ; quemadmodum cap. 41 summopere effertur ea fuisse praedicta antequam orirentur, ita hoc quoque loco in tali vaticinio insignem Dei cerni scientiam et potentiam declaratur v. 9 « *quae prima fuerunt, ecce venerunt; nova quoque ego annuntio; antequam oriantur, audita vobis faciam* » ; — hebr. magis nervose et ad rem *antequam germinent*, i. e. antequam germen aliquod adsit eventus futuri, ex quo coniectura fieri possit ; nihil ergo adest in rebus humanis, nihil in rerum natura, ex quo dignosci vel coniici posset quid futurum esset et tamen Deus certo praedicit. Proinde vaticinium describit propheta quod editur diu antequam res exsistat, quod editur eo tempore, quo res praedicta ne in prima sua inchoatione quidem neque in parvis initiis oriri inceperit. *Prima* quae praedixit, in universum accipienda sunt (cum *S. Hier.* aliisque) de oraculis olim per

Moysen et prophetas datis ; ita enim priora הָרִאשֹׁנוֹת constanter in hac parte adhibentur ; cf. 41, 22 ; 43, 9. 18 ; 46, 9 et praeprimis 48, 3 quo in loco argumentum hoc ex vaticiniis olim datis et eventu completis uberius ab ipso propheta proponitur ; praeterea vide usum vocis 52, 4 ; 61, 4 ; 65, 16. 17 et in parte priore 1, 26. *Nova* sunt quae nunc annuntiantur. Illa priora evenerunt, ut totus populus testis est ad quod testimonium 48, 5. 6 diserte provocatur ; eadem ergo pignori sunt et documento fore, ut *nova* quoque quae nunc annuntiantur eventu compleantur. Ceterum vide 43, 19, 44, 26 ; 48, 6.

c) **Laudes Dei 42, 10-12.**

Cum ergo Deus tam praeclara annuntiaverit et effecturus sit et gloriam suam per orbem terrarum notam facturus sit, aequum est, ut laudes eius ab omnibus celebrentur. Hae laudes hoc loco eo aptius inseruntur, quia hisce quam pulcherrime describitur quantam felicitatem servus Domini opere suo perfecto hominibus attulerit. Quemadmodum igitur supra 41, 5 seq. refertur quid heros ille bellicis suis expeditionibus effecerit et qualem terrorem gentibus incusserit, eodem modo nunc quid servus Domini effecerit, quid opus eius valeat in homines, a propheta subiicitur, subiicitur autem carminis forma, quo orbis universus ad laudes Deo concinendas admonetur. Idque quam maxime apte. Nam postquam Deus v. 8 gloriam suam oppigneravit, iure tamquam pulcherrimus operis servi Domini effectus exhibetur orbis terrarum hanc gloriam Deo rependens. Atque revera orat Messias : Pater clarificavi nomen tuum (Ioan. 17, 1) ; unde opus eius hac Dei glorificatione praeclare exhibetur et simul ostenditur per eum demum id compleri quod 6, 3 tamquam omnium Dei operum finem et terminum assignari ab angelis audivimus. Et quia *nova* v. 9 annuntiata sunt, fit admonitio v. 10 « *Cantate Domino canticum novum, laus eius ab extremis terrae ; qui descenditis in mare et plenitudo eius, insulae et habitatores earum* » ! — salutem esse universalem v. 1. 4. 6 dictum est ; unde quam maxime conveniens, ut praeconia quoque sint universalia, sicut Dei quoque potentia in salute efficienda ex universa rerum coelestium et terrestrium creatura v. 5 probata est. Et si nova annuntiantur, dignum est ut canticum novum sit (*For.*) i. e. carmen eousque inauditum, quod in veterum rerum foederisque ordine non exprimi neque plane compleri poterit ; atque revera *canticum novum* illi quoque psalmi vocantur quando-

que, in quibus iam omnes gentes ut Dei laudum praecones gloriam Dei celebrantes inducuntur (cf. Ps. 32. 95. 97. *Naeg.*). Optat vates, ut canticum hoc resonet ab extremis terris, ut laeto sonitu pervadat omnes terras; ut qui descendunt in mare i. e. nautae et *plenitudo* eius i. e. quidquid mari continetur et demum regiones omnes longinquae earumque incolae ad hanc laudationem magna inter se aemulatione conspirent. Cernuntur enim res creatae tamquam sociae et participes et poenarum hominum et eorum quoque felicitatis (cf. 11, 6. Am. 9, 13. Os. 2, 21. Ioel 3, 18 etc.); unde facile fluit, ut ad consortium quoque laudum divinarum invitentur (cf. Dan. 3, 63. Ps. 95, 11; 97, 7. 148 etc.). Est enim vehementer laetantium, ut omnia etiam inanimata ad gaudii et exsultationis significationem maximam quasi linguis donent, ut multiplicibus encomiis beneficii accepti magnitudinem extollant.

Ab admonitione orbis universi sacer vates ad regiones se convertit patriae vicinas; nam eas quae Palaestinae adiacent terrae Domini speciatim decet Dominum laudibus honorare v. 11 « *sublevetur desertum et civitates eius, in domibus habitabit Cedar; laudate habitatores Petrae, de vertice montium clamabunt* »; — hebr. *tollant desertum et urbes eius vocem, pagi (quos) inhabitat Cedar; exsultent habitatores Petrae, de vertice montium iubilent.* Legit *S. Hier.* in comment. *levet desertum vocem suam; sublevetur* in *vulg.* explica cum *Mald.* aliisque: laetitia exsultet vel excitent se et erigant ad Deum laudandum (*For.*). Desertum intellige arabicum; regiones gregibus nutriendis aptae iam vocari solebant desertum; quare in tali deserto adesse arces, castella, oppida, non erat insolitum; cf. Ios. 15, 61; 20, 8. Cedareni in deserto habitabant quod inter Arabiam petraeam et Babyloniam interiacet; « Cedar quondam inhabitabilis fuit regio trans Arabiam Saracenorum » (*S. Hier.*); cf. ad 21, 6. Petra vel Sela, urbs Edomitarum; cf. 16, 1. Has regiones urbesque poetica figura admoneri, ut iubilent, verbis ipsis clare edicitur et comparatione facta cum *insulis maris* vehementer suadetur, uti iam advertit *Sanct.*: « hoc loco in *Cedar, deserto, Petra* de provinciis Palaestinae proximis videtur agi, sicut prius in *insulis maris* et *extremis terris* de illis quae longe sunt ». Quare explicatio, desertum intelligi de paganorum moribus et ingenio, Sela vel Petram de cordium duritie et sterilitate gentium, Cedar de nigredine morum tenebrisque ignorantiae gentium et hisce omnibus instituta gentium describi et loca, quae ad Christi evangelium postea vocabuntur (cf. *Hahn*), a simplici sensu longius abesse videtur et solum ex consequenti erui posse eo fere modo, quo antea deserta loca conseri, arida fontibus scatere, horrida et inculta amoenitate donari dicebantur (cf *Osor. Sanct. Tir.*).

Demum canticum concluditur, dum eius argumentum denuo proponitur et in universum orbem spargi iubetur v. 12 « *ponent Domino gloriam et laudem eius in insulis nuntiabunt* » ! — Deo attribui gloriam et laudem eius per terras omnes praedicari hic demum est terminus ad quem cuncta Dei opera et imprimis opus tendit messianicum. Hac repetitione comparata cum v. 10 initio cantici declarari dixeris laudes Dei continuo esse canendas, ita ut ab earum sono terra sileat nunquam. Igitur carmen id exprimit fieri, quod v. 8 Deus postulaverat et quod seraphim cantantes annuntiaverant (cf. 6, 3) et quod vates 12, 1 seq. 25, 1 seq. 26, 1 seq. 35, 1 indicaverat. — Alii etiam v. 13 adiungunt (cf. *Rohl. Del. Naeg.*) ; sed perperam. Nam eo versu, ad initium liberationis et operis illius, cuius effectus praeclarissimi hoc celebrantur carmine, fit reditus, dum dicitur Deum causam sui populi magno studio suscipere tuendam, et praeterea eo versu argumentum continetur et proponitur, cui subsequentia v. 14 seq. superstruuntur ; ergo carmen v. 12 absolvitur id quod eo etiam indicatur, quia ad id redit a quo initium captum est ita, ut in suos quasi sinus et circulos revertens in se ipso concludatur, quemadmodum in lyricis non raro fieri perspicitur.

Ad hanc partem absolvendam restat, ut quis sit servus Domini paucis discutiatur. Si verba ipsa munusque assignatum spectaveris, aliqua cum heroe in cap. 41 similia, multa vero deprehendi dissimilia fateberis. Uterque suscitatur et vocatur a Domino, uterque magna Dei potentia fulcitur et in opere suo protegitur ; per utrumque gloria Dei innotescit. Ipsam sermonis cap. 42, 1-12 conformationem in argumenti dispositione spectabilem accedere ad cap. 41 in explicatione iam ostensum est. Hisce vero opponuntur satis multa quae dissimilia sunt : servus hic spiritu Dei plenus est, Deoque summopere placet ; summa in eo cernitur mansuetudo, suavitas, clementia ; ab omni strepitu longissime abest — ille vero cap. 41 gentes regesque conculcat, bellico terrore omnia replet ; huius legem insulae desiderant, illum horrent ; hic Dei normam et religionem in terris constituet, foedus innovabit, gentes illustrabit e tenebris et carcere eductas, ille solum regna destruet gentium, sed Jerusalem bonum afferet nuntium. Unde luce clarius est hunc servum alium esse ab heroe illo, non esse Cyrum. Quare in tanta utriusque descriptionis diversitate, immo oppositione (cf. 41, 2. 3. 5. 25 et 42, 2. 3. 4. 6. 7) sane mirum est, voluisse aliquos (*Koppe, Hensler, Doederlein, Bauer*) Cyrum nihilominus describi ; quae expositio refutatione iam non indigebit. Alii ipsum populum Israel designari contendunt vel si non integrum populum, saltem partem meliorem seu theocraticam et piam, vel peculiari ratione prophetam ipsum

et generatim prophetas aut sacerdotes et prophetas. Ad talem explicandi rationem potissimum accedunt rationalistae, quos sat multos enumeratos habes apud *Ges. Kn.* et quorum agmini hoc loco etiam *Hahn* sese adiungit exponens de populo Israel. Verum hae interpretationes omnes neque verbis concordant neque iis quae apud ipsum prophetam vel antecedunt vel sequuntur neque eventu commendantur.

Atque primo quidem cum 41, 2 seq. de heroe, de Cyro, sermonem fieri isti omnes concedant et res ipsa loquatur, sane iam quasi a priore potius exspectamus cap. 42, 1 seq. cum simili forma sermo texatur, de *uno* aliquo fieri mentionem, *uni* Cyro *unum* aliquem adiungi, opponi, quia in utroque loco eodem plane modo semper de uno verba funduntur. Ergo nisi clarissima indicia adsint, nomen aliquod multitudinem complectens subintelligendum esse, nemo sibi iure persuadebit *uni* Cyro eodem dicendi genere opponi quandam multitudinem, vel personae uni opponi *moralem* personam e pluribus collectam. Atqui talia indicia ut adsint tantum abest, ut excludantur et exsulent omnino. Cum enim v. 3 adeo laudetur mansuetudo et benignitas, aperte supponitur ut laus consistere possit, eundem habere ius et potestatem utendi severitate et vindicta et ulciscendi in peccatores; talia autem nec populo nec prophetis vel sacerdotibus attribui possunt. Neque ullo pacto intelligitur, quomodo populus vel prophetae sint novi foederis mediatores, ita ut de iis valere possit : dedi te in foedus populi; *Hitz.* removet difficultatem vertens : faciam te in populum foederis; sed negligit insigniter grammaticam et logicam, cum foedus populi invertat ut populum foederis extundat. Neque populus neque prophetae gentibus legem et lucem attulerunt, neque vinctos in libertatem vindicarunt. Haec omnia autem is praestitit praeclaro modo quem et iudaica traditio et conspirans interpretum christianorum expositio hoc loco agnoscit et quem ipse Isaias clare designat, Messias scil.

Ut ab ipso propheta ordiamur, is hoc loco describitur, qui iam 11, 2 spiritu Dei plenus exhibetur et cuius opera fit, ut terra scientia Dei repleatur 11, 9, qui iam 9, 2 ut lux gentium proponitur et ut liberator 9, 4 et ut talis qui in iudicio et iustitia res omnes regni theocratici administrabit. Ergo idem qui cap. 9 et 11 describitur, etiam hoc loco exhibetur. Ita quidem ex antecedentibus. In subsequentibus vero cap. 49 ea quae hoc loco dicta sunt, iterum a propheta fere totidem verbis de uno aliquo asseruntur, quem Messiam intelligi, etiam clarius eo loco patebit. Messiam hoc loco designari, antiqua Iudaeorum traditione confirmatur; ita eius testimonium iam exstat apud *Chald.* qui scribit ad 42, 1 : ecce servus meus Messias (מְשִׁיחָא) eamque sententiam etiam apud Iudaeos posteriores valuisse, variis testimoniis ostenditur a

Galatino (de arcanis veritatis cath. lib. 10 cap. 1) et praecipue a *Reinke* (Messianische Weissag. II p. 8) qui v. g. affert rabbi Abarbanel dixisse omnes qui non de Messia explicent hunc locum esse caecitate perculsos. Iam si ad testimonia convertimur domestica, primum locum merito sibi vindicat quod habet S. Matth. 12, 16 seq. : « et praecepit iis ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : ecce puer meus quem elegi » etc. ; ubi evangelista Christi indolem mitem et suavem ex consulto depingere vult, quo malitia pharisaeorum magis eluceat, qui consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum (v. 14) ; quae Simeon senex de Messia praedicat : lumen ad revelationem gentium (Luc. 2, 32) proxime ad nostrum locum vel (quod idem est) ad 49, 6 accedunt ; item quae Paulus arguit Act. 13, 46. 47. Dein apud SS. Patres innumera fere exstant testimonia quibus constat eos verba ea ad unum retulisse Messiam ; affert *Reinke* l. c. ampla et clarissima ex Iustino, Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, Chrysostomo, Eusebio, Theodoreto, Ephraem, Hieronymo ; etiam plura ex Origine, Novatiano, Lactantio, Hilario pictaviensi, Phoebadio, Basilio, Gregorio nazianzeno, Theodoreto heracleote, Gregorio nysseno, Ambrosio, Epiphanio, Augustino, Cyrillo alexandrino, Theodoreto, Leone Magno, Prospero aquitano etc., affert *Tailhan* S. I. in editione altera Analysis biblicae olim a Kilber adornatae (Parisiis 1856 I p. 375). Eadem est sententia interpretum catholicorum, quam etiam inter protestantes tuentur multi, quos recenset *Reinke* l. c. p. 13 et e recentissimis *Del. Naeg.* aliique, quos *Kn. Diestel* enumerat (p. 428).

In versione LXX legitur : Ἰακὼβ ὁ παῖς μου... Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου ; unde verba de populo intellecta esse videntur. Cum ergo textus graecus interpretationi de Messia non faveat, eo maioris ponderis pro traditione constanti explicationis messianicae tot sunt Patrum graecorum testimonia, quibus oraculum hoc nihilominus ad Messiam referunt. Verba Iacob et Israel de ipso Messia exponunt. Ita *S. Cyr.* : « Iacobum et Israelem eum vocitat quasi natum ex sanguine Iacob secundum carnem, qui cognominatus est quoque Israel » ; sim. *Procop.* Verum *Iacob* et *Israel* perperam esse adiecta, iam monuit *S. Hier.* neque ea verba leguntur apud Matth. 12, 18, et *Eusebius* refert (dem. evang. p. 452) haec nomina apud LXX obelo esse signata (ὠβέλισται) neque apud alios interpretes reperiri ; atque revera in *Theod.* versione non leguntur, et etiam codex syr. hexapl. notam habet in hebr. ea nomina deesse (cf. *Field*, Hexapl. ad h. l. II p. 515). — *Barh.* ad v. 3 notat : « historice de Zorobabel, spiritualiter de Domino ».

Quae contra explicationem de Messia obiiciuntur, haec sunt : qui hoc loco describitur, Israelitis liberationem ex exsilio indicare dicitur, id quod Messias non fecit. Sed falso supponitur 42, 7 de liberatione ex exsilio babylonico esse sermonem ; uti scil. *caeci* dicuntur ii quibus servus datus est in lucem, ait

iidem alia metaphora dicuntur in domo carceris sedentes in tenebris; uti ergo *lux* intelligitur, eodem modo a contrario intellige *caecos* et qui iis adiunguntur *vinctos;* ita habes unam et concinnam explicationem, quam misere discerpis, si cum adversariis *lucem* et *caecos* metaphorice, *vinctos* proprie acceperis. Dein obiicit *Ges.* non intelligi Messiam quia de servo Domini ut iam praesenti sermo fiat. Sed si revera iam praesens adest, quando vel Isaiae tempore vel tempore exsilii soluti gentibus lex Domini est allata, quando et ubi eo tempore in veritate eductum est iudicium? Si iam praesens est, quomodo v. 9 dici potest: antequam germinent nova illa, audita vobis faciam? Sed notum est prophetas res futuras ita describere, ut iis in visione obversantur. Ceterum rem indicari futuram, clarissime habes in v. 9 expressum. Alii opponunt, Messiam solum ut iudicem gentium exhiberi (11, 10), servum autem Domini ut doctorem; ergo alium esse servum a Messia. Praeclara obiectio! Sollemne est apud prophetas scientiam Dei tempore messianico diffundi per orbem (cf. 2, 3. 11, 9); si autem hoc, quare Messias non doctor gentium nominari posset? Praeterea Messias 9, 7 regnum dicitur confirmare et corroborare in iudicio et iustitia; sed quomodo hoc fieri potest, nisi ipse doceat iudicium et iustitiam? super eum requiescit spiritus sapientiae, intellectus, consilii, scientiae, pietatis (11, 2), quid plus requiritur, ut sit doctor gentium; vel an Messias haec omnia in se ita concludere censendus erit secundum adversarios, ut nihil cum aliis communicet? — Alia quae obiiciuntur, melius cap. 49. 53 erunt discutienda.

4. *Oratio quarta* 42, 13-44, 23.

Arg. — Exsurgit Deus tamquam bellator fortis ad populi sui causam vindicandam, diu se continuit et populum hostibus vexandum permisit; verum iam deiectis obstaculis populum suum salute donabit, idololatrae vero confundentur (42, 13-17). Simul cum iis confundentur ii ex Israel qui vocem Domini neglexerint et propterea miseriis traditi sunt, in quibus constituti tamen Deum agnoscere eique obedire noluerunt (42, 18-25). Sed pro piis magnifica repetuntur promissa; eos proteget eosque colliget ex dispersione de omnibus terrae plagis; quae vaticinia publice edita ante eventum numen divinum clare ostendunt (43, 1-13). Haec vaticinia quaenam sint denuo exponuntur: uti olim populum ex Aegypto mirabiliter eduxit, ita e Babylonia deiectis hostibus liberabit gloriose et hoc beneficium gratuito praestabit iis qui tale minime meriti sunt, sed quos propter peccata debuit hostibus opprimendos tradere (43, 14-28). Sed populum quem ab initio sibi formavit larga beneficiorum effusione ditabit, ita ut alienigenae quoque certatim se huic populo atque huic Deo addicere studeant. Haec Deus annuntiat antequam fiunt, uti testes sunt omnes, ita probans numen divinum sibi soli competere (44, 1-8). Cultores autem idolorum omni confusione digni sunt; ipse enim modus

quo idolum fit apertissime insipientiam idololatriae prodit; Israel vero vocationis suae ac dignitatis suae memor sit Deoque redemptori benevolentissimo laudum praeconia concinat (44, 9-23).

Postquam vates liberationem generali quadam ratione annuntiavit et delineavit Deoque potentiam minime deesse demonstravit (cap. 40), iam cap. 41 et 42, 1-12 duos nobis ostendit viros a Deo vocatos qui consilia Dei de populo suo exsecutioni mandabunt; alter est bellicosus et invictus triumphator qui conculcatis hostibus Sioni et Ierusalem faustum afferet nuntium; alter mansuetus ac benignus qui populi sui novi foederis mediator lucem cognitionis divinae gentibus afferet et ita tenebras illas dispellet carceresque effringet quibus humanum genus misere tenebatur. Et haec quidem hactenus. Iam in sequenti oratione vates de duplice hac liberatione ita disserit, ut illam tamquam unum Dei beneficium maxime insigne considerans Deum eius effectorem exhibeat, qui opus illud praedixit declarans suam divinitatem oraculo edito et praestabit gratuito ex mera gratia, ut gloria sua innotescat omnibus. In hac oratione potissimum adverti oportet quod apud prophetas saepe cernitur, varia Dei beneficia quae ad unum quoddam opus Dei grande pertineant et ad illud tamquam per gradus quosdam populum adducant, a prophetis considerari quasi unum quoddam simul exsistens, ita ut inchoationem praeparationemque et ultimam summamque perfectionem non distinguant, sed una et quasi continua delineatione exhibeant. Unde fit, ut in rebus particularibus modo id efferatur quod ad inchoationem spectat, modo subito transitus fiat ad ultimum rei fastigium, modo ex rei initiis et ultimo exitu unum quoddam descriptione prophetica confletur, qua in re norma divina singulis epochis substans in se consideratur absoluta et quasi separata a particulari forma et eventu singulari, sed induta ratione generali singulos eventus in se complectente. Is prophetandi modus describitur, cum v. g. *Sasb.* dicat : « utramque captivitatem et liberationem e captivitate ita miscent prophetae, ut saepe nescias, quo respiciant » ; de qua re vide quae ad cap. 40 notata sunt et quae aliis locis adverti (ad Os. 11, 11. Soph. 3, 20. Zach. 2, 4-5; 10, 10-12 etc.).

Est igitur haec oratio quasi quaedam consideratio ac meditatio de liberatione in antecedentibus duplici modo proposita quae nunc ut *unum* Dei opus describitur. Et ut talis apte subsequitur partem antecedentem et hoc loco inseritur commode; nam in subsequentibus a 44, 24 et deinceps prior liberatio accuratius in se delineatur, dum a cap. 49 et in seq. secundus liberator eiusque liberatio speciali modo depingitur. Ita tota haec prophetiae pars pulcherrima consistit unitate et concinnitate.

a) Deus pro suo populo bellator 42, 13-17.

Depingitur Deus potentissimus populi sui oppressi causam suscipiens et ad praeclaram victoriam perducens. Cum prior ille heros (41, 2) tamquam bellator descriptus sit, Deus auctor primarius in narratione hac prosopopoeica operum Dei (*Malv.*) apte schemate simili proponitur v. 13 « *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum; vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur* »;— vel inimicis suis se heroem praestabit, contra eos fortissimum se exhibebit (hebr.). Quando magnum aliquod opus peragendum est, Deus dicitur egredi (cf. Mich. 1, 3. Is. 26, 21); rem fore insignem, eo declaratur quia Deus zelum suum suscitabit (cf. 9, 7. Zach. 1, 14); « excitabit sese ad iram, ut viri bellicosi facere solent, cum proelium committunt » (*Mald.*), fervorem, aestum, aemulationem exseret; bellico clamore animum prodet invictum et pugnandi et vincendi cupidissimum. Insigni igitur forma Deum proponit qui omnino opprobrium populi tollere et ad conditionem florentem eum perducere vult.

Atque iste animus et zelus eo augetur, quia diu iam populum misere iacere permisit, quasi eius cura non tangeretur vel virtute careret ad opem ferendam v. 14 « *tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul* » ! — tribus membris se populi opprobrium diu permisisse profitetur, totidem se dedecus illud removere spondet. Hebr. *silui a saeculo,* quasi a tempore longissimo, cum illa scil. exaggeratione qua animus amore ardens omnem moram impatienter ferens eam censet longissimam; siluit Deus scil. dum hostes in eum et populum oppressum convicia iactarent ; est enim ex gentium acceptione vilis conditio populi deo tutelari dedecori et ignominiae eiusque impotentiae documentum ; tacuit, dum eius populus afflictus iaceret et fidelissimus quisque Dei cultor ingemisceret et lugeret et theocratiae conditionem abiectam deploraret (cf. Ez. 9, 4); *sese continuit* (hebr.) quo est amore ac clementia, iam diu urgebatur ad opem ferendam, sed iustitia sua misericordiam cohibuit et affectum amoris quasi compressit, ut debitae antea peccatis poenae luerentur. Sed quae diu sinu cohibuit, nunc impetu magno demum erumpunt ; hunc impetum, hunc ardorem et zelum tria alia membra depingunt. Deus consilium misericordiae et gratiae diu conceptum et sinu gestatum iam edere vult et in opus deducere ; unde imagine parturientis proponitur : *ut parturiens vociferabor, suspiria ducam, anhelabo* (hebr.) ; « elegans similitudo a feminis parturientibus quae pro dolore quo halitum diutius continent eo maiore impetu refundunt ac frequentius halitum

emittunt ac resorbent, spirant ac respirant » (*Malv.*; sim. *Sanct. For. Osor.*); solent enim homines, ut notat *Mald.*, qui diu iram compresserunt silentiumque tenuerunt, in magnum tandem clamorem erumpere, sicut et mulier pariens, quae se aliquantisper continens fortius postea vociferabitur. Exhibetur ergo Deus uti Ps. 77, 65, qui iram diu compressam in hostes effundit et tempore vindictae halitu suo quasi vento urente hostes interimit.

Deiectio hostium symbolice exprimitur in vastatione et desolatione regionis v. 15 « *desertos faciam montes et colles et omne gramen eorum exsiccabo, et ponam flumina in insulas et stagna arefaciam* »; — in regione plane vastata et deserta hostium vires plane fractas et exhaustas esse declaratur; furore Domini colles et valles, campi et rivi percutiuntur; rerum mutationem eo symbolo indicat vates, gentes scil. iri spoliatum potentia sua; si enim regio quaedam privatur aqua, si colles montesque deserti redduntur et omni viriditate spoliantur, extrema ei imminet pernicies vita omni exstincta. Unde gentium potentiam esse in nihilum reducendam designatur. Hac generali notione id quoque includitur, quod multi interpretes in collibus ac montibus speciatim expressum cernunt, fore ut idolorum cultus iis in locis multum exercitus deleatur (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Naeg.*). « Quidquid igitur in hostium fortunis amplum et excelsum, quidquid amoenum et floridum, quidquid denique affluentium bonorum copia cumulatum esse videbatur, deprimam et exscindam et facibus coniectis exuram » (*Osor.*). Habes igitur idem quod 2, 11 etc. declaratum est : pompa humana deiecta gloriam Dei unice iri exaltatum.

Dum Deus ita in hostes vindictam exercet, id fit in salutem ac liberationem suorum; iam quidnam partus quasi doloribus (v. 14) efficiendum sit docetur v. 16 « *et ducam caecos in viam quam nesciunt et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam, ponam tenebras coram eis in lucem et prava in recta; haec verba feci eis et non dereliqui eos* »; — salus quam Dominus largietur describitur ut via caecis antea ignota; qua metaphora indoles supernaturalis salutis ad quam homo suis viribus nequaquam pertingere valet optime exprimitur; ipse Deus tenebras debet sua luce et revelatione dispellere et illustrare i. e. ea removere quae in hominis intellectu veritati obsistunt et dein *obliqua*, distorta vel anfractuosa commutare in recta i. e. quae in hominis voluntate et ratione vitae opponuntur obstacula veritati, removere, ita ut integrum hominem in omnibus suis facultatibus viribusque sanet sanatumque ad salutem adducat. Haec Deus emphatice vindicat sibi tamquam propria quae peragere nunquam desistet : haec scil. quae dico, quae polliceor, *feci ea et non reliqui ea* (hebr. cf. *For.*) i. e. ne latum

unguem quidem ab eis recessi neque recedam. Quibus rebus in salute hominibus danda opus sit, hisce optimo compendio docetur : tenebras mentis et intellectus removere oportet luce divina qua nova plane et incognita aperitur semita, nova et antea inaccessa acquiritur rerum divinarum cognitio ; dein quae vitae cursum impediant vel intercipiant et voluntatem implicent ac retardent, erunt amovenda gratia Dei, qua anfractus viae et tramites obliqui ad rectae planaeque rationem vitae revocentur (cf. *Osor.*). Ita demum homo et lumine divino collustratus et virtute divina adiutus semitas Dei sequi poterit. Caecos h. l. intellige eosdem, de quibus v. 7.

Haec ergo Deus suis providit : luce eos donat, in suis semitis salutis ac beatitatis collocat ; verum miseria tabescent idololatrae : v. 17 « *conversi sunt retrorsum ; confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : vos dii nostri* » ! — dum illi in viis Dei progrediuntur obviam saluti, luci, beatitudini, hi qui idolis adhaerent cadent retrorsum, magis magisque a luce alienati tenebris et abysso involventur et ignominia et opprobriis obruti, i. e. ab omnibus eiecti et despecti misere interibunt. In hebr. *pudefient ;* in *vulg.* ipse vates sacra quadam indignatione eis interitum adprecari exhibetur, ut quam bene meriti sint, exprimatur.

b) Deus vindex in recalcitrantes 42, 18-25.

Id quod vates tamquam epiphonema singulis huius partis sectionibus subdit : non est pax impiis, iam hoc loco praeoccupat ; mentione enim facta sortis idololatrarum v. 17 eorum quoque meminit in Israel qui mente et indole ad eos proxime accedunt et proinde se ipsos salutis oblatae reddunt incapaces. Hos iam adoritur, hos cohortationibus et minis a sua perversitate retrahere et ad Dei consilia amplectenda adducere conatur. Haec autem agens propheta etsi de futuro tempore oracula fundat, suis prospicit aequalibus et a Dei normis aeternis utilia colligit documenta sui temporis necessitatibus accommodata. Quare v. 18 « *Surdi audite et caeci intuemini ad videndum* » ! — opportuna admonitio post tot magnalia Dei proposita, quibus si non ad Dei cultum et amorem provocantur, vere surdi et caeci appellandi sunt. Contineri reprehensionem et verbis ipsis talique allocutione satis exprimitur, et subsequentibus valide confirmatur. Itaque id contigisse in populo asseritur, quod in visione inaugurali fore audierat vates ; cf. 6, 10 ; facti sunt surdi et caeci ! sed quemadmodum ibi 6, 11 terminus perniciei est praefixus, ita ut quam plurimos ab ea pernicie removeat prophetae est adniti.

Quantopere autem eiusmodi caecitas dedeceat Israelitas ita effert vates, ut simul reprehensionem v. 18 prolatam satis superque probet v. 19 *quis caecus nisi servus meus? et surdus nisi ad quem nuntios meos misi? quis caecus nisi qui venumdatus est? et quis caecus nisi servus Domini* »? — Israel electione Dei et sua ipsius optione est servus Domini, peculium Dei quod sibi elegit ex gentibus, ille qui sollemniter Deo spopondit obedientiam : « cuncta quae locutus est Dominus faciemus » (Ex. 19, 8). Unde res est quam maxime indigna, talem populum iam oculos avertisse a viis Domini, iam eius voci aures occlusisse, quamquam Deus continuo per prophetas suos hortator exstitit et in missione prophetarum insigne edidit fidelitatis suae ac benevolentiae documentum (cf. Am. 2, 11. Ier. 7, 13. 25; 11, 7; 25, 4; 26, 5; 29, 19; 35, 14; 44, 4). Quare statim eius contumaciae poena indicatur; *venumdatus* i. e. hostibus traditus et ab iis oppressus est populus et ipsa hac misera conditione suam ostendit rebellionem in Deum secundum legis veteris normam, qua optima quaeque promittuntur legem Dei observantibus, verum cuncta mala et dura servitus et subiectio iis intentantur qui a viis Domini recesserint (cf. Lev. 26. Deut. 28 etc.). Populum hoc loco dici *servum Domini* in aperto est positum; id enim iam inducitur v. 18, in quo ii in populo compellantur, qui sint refractarii. Atque ad hos sermo continuatur; hos intelligi elucet quoque ex v. 20 et quam clarissime ex v. 22 *ipse autem populus* etc. Populum vero et ipsos etiam Israelitas rebelles iure optimo dici posse *servum Domini*, quia non solum communi illa omnium creaturarum lege servitio Dei adstricti ei subiiciuntur, verum speciali sponsione ei sint obstricti, pariter manifestum est. Unde populum vocari servum Domini non est cur quisquam miretur. Verum id potius admiratione dignum videtur, quomodo ex hoc loco et hoc usu vocis conficere velint servum Domini, de quo 42, 1 seq. esse eundem qui hic reprehenditur, esse populum. Utique nomen est idem, vox est eadem. Sed num hoc unum sufficit ut idem in utroque loco designari dicatur? Minime gentium. Nam quanta sit inter utrumque locum diversitas, neminem fugere potest : ille in Dei deliciis reponitur, spiritu Dei imbutus est, normam Dei et legem omnes docet, caecos ad lumen educit; hic autem plane in contrariis versatur : est surdus ad Dei vocem, est caecus ipse et magna reprehensione dignus et propterea v. 22 a Deo punitus et hostibus traditus. Quale ergo inter utrumque discrimen! Atque talibus unum eundemque describi iure miraberis esse qui serio affirment (cf. *Ros. Kn. Naeg.*). Hoc loco *servum* accipi *collective*, ut loquuntur, facile fluit ex v. 18 *surdi audite* et v. 22 comprobatur; sed 42, 1 seq. nihil tale adest, immo, ut monui, ipsa ad Cyrum oppositione *unum* intelligi vehementer suadetur. Frustra igitur ex hoc

loco et appellatione hac 42, 19 impugnatur expositio 42, 1 de Messia facta, a qua impugnatione unum illud iam omnes debuit deterrere, caecum illuminandum esse ab eo qui ipse sit caecus (v. 7. 19).

Textus *mas.* a plerisque vertitur : *et surdus sicut nuntius meus quem mittam* (mitto) ; cf. *Mar. Malv. Sanct.* et recentiores. Itaque populus ipse dicitur nuntius quem Dominus mittit ; potest declarari eo modo quo apud Michaeam (5, 8) dicitur : et erunt reliquiae Iacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam, eo scil. sensu ut declaretur populum debere reliquis gentibus veram Dei cognitionem afferre (cf. Is. 2, 2). Quamvis hac ratione vituperium augeatur in populum, quia is qui nuntius Dei esse debet seipsum surdum praebet nec Deum vult audire, tamen singulare est et mirum populum dici nuntium quem Deus mittat, nisi explicaveris, uti *Procop.* textum eundem apud *Sym.* exponit, talis scil. populus esse volebat ; ergo ut talem nuntium se populus iactabat, sicuti dicitur Rom. 2, 19. 20 : confidis teipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium etc. ; at talis ironia hoc loco non placet neque ullo modo innuitur. Eandem versionem quam praebet *vulg.* etiam habet *Chald.* (ad quos misi prophetas meos) eaque optime sensui et contextui accommodatur. Unde erit retinenda. Potest eadem cum *For.* et *Schegg* etiam ex textu *mas.* derivari, si scil. מַלְאָכִי אֶשְׁלַח tamquam una quasi notio accipitur et לוֹ suppletur : quis surdus sicuti cui mitto nuntium. Verum cum id vel subtilius vel coactum esse videatur, satius erit aliquam textus corruptionem statuere, cui versio *vulg.* et paraphrasis *Chald.* testimonium dare videntur, immo LXX quoque, in quorum versione κυριεύοντες numerus pluralis מלכים (מלאכים ?) latet et qui ita indirecte versionem *vulg.* et *Chald.* confirmant. Lectioni *mas.* suffragium ferunt *Syrus* plane, *Sym.* eo saltem modo, ut habeat κωφὸς ὡς ὁ ἄγγελός μου ; omittit autem *quem mitto*, saltem prout eius verba *Procop.* refert. Varie explicant vocem מְשֻׁלָּם ; versio *S. Hier.* *venumdatus* derivanda erit a notione *reddere, rependere ;* ergo is cui repensum est, quae notio ex v. 22 explicata est ; vel ut *For.* exponit : qui ipse fuit redditus, seu traditus, ut fit in venditione. Alii explicant : *pacatus* i. e. qui pacem et amicitiam habet cum Deo vel qui in fidem ac tutelam Dei receptus est (*Malv. Rohl. Troch.* amicus Dei — *Ges. Kn. Sein. Del. Or.*) vel Deo subditus (*Ewald, Hitz.*) vel *perfectus* (*Mald. Mar. Stier*) vel salute praeditus aut beneficio affectus (*For. Hahn, Naeg.*). Cum in hac reprehensione populus dicatur servus Domini quia ad peculiarem cum Deo habitudinem est assumptus et talis esse debuit, optime ei notioni respondet : in Dei familiaritatem receptus, ut vocatio populi divinitus facta designetur et illa efferatur indignitas amicum qui esse debuit Dei luce Dei repulsa caecutire.

Quam merito fiat reprehensio, demonstratur ex iis quae apud populum evenerunt ; v. 20 « *qui vides multa, nonne custodies ? qui apertas habes aures, nonne audies* » ? — hebr. *multa vidisti et non custodis ; aperiendo aures et non audit ;* subito sermo ad tertiam transfertur personam, id quod ad indignationem declarandam inservit qua populum infidelem iam non alloqui vult. Populus quippe tot Dei magnalia viderat in commodum populi et in punitionem peccatorum patrata ; at minime ea observavit, in animo reposuit, verum oblivioni dedit talem Deum relin-

quens ; toties audivit voces prophetarum per quos Deus loquitur; at *non audit* i. e. non dicto audiens erat, non obediebat (cf. *Sanct. For. Lap.*). Inter quae Dei beneficia lex a Deo populo data et tota illa institutio primarium locum occupat, qua Israel est electus et edoctus; unde apostatae redduntur inexcusabiles ; v. 21 « *et Dominus voluit ut sanctificaret eum et magnificaret legem et extolleret* » ; — i. e. et tamen haec erat benignissima Dei voluntas et gratia populo praestita, ut eum populum *sanctificaret* i. e. a reliquis secerneret et eum ad peculiarem suum cultum ac familiaritatem assumeret; populo autem ita in Dei peculium consecrato legem dedit et instituta praeclara, quibus insigni modo de viis Domini erudiretur et in republica theocratica optime constitueretur ; vide v. g. laudes quae legi tribuuntur in Ps. 18. 118 etc. Hebr. *et Domino complacuit propter iustitiam suam; reddidit legem magnam et gloriosam* (cf. *Vat. Mald. For.*) scil. ut Deus notam faceret iustitiam suam, qua populi sanctitatem vult et rectum rerum ordinem et qua promissa sua servat et secundum quam consilia salutis exsequi statuit, propterea ei placuit magnam illam ac sublimem legis institutionem et eruditionem populo dare. Ergo effertur, quanta cura Deus populum erudiendum et educandum curaverit per legem mosaicam quae praeprimis תּוֹרָה dicitur *doctrina, eruditio, institutio,* quam eruditionem ibi coeptam per prophetas singulis generationibus applicare non destitit.

Veteres versiones LXX, *Sym. S. Hier. Chald.* explicarunt verbum צֶדֶק in significatione *piel* iustum reddere : ut cum iustificaret; textum *mas.* exprimit *Syrus.* — *Naeg.* qui servum Domini intelligit Messiam, vertit : Iahve sibi in eo complacet propter suam iustitiam (propter servi sanctitatem) ; ipse servus legem faciet magnam et sublimem, scil. novam illam quam allaturus est. Vult igitur servum dici caecum et surdum quia iam hoc loco Messias describatur tamquam vir omnibus miseriis oneratus, qui caece suo interitui obviam ruat (? Matth. 16, 22 ?) et qui in summo periculo mutus sit tamquam surdus ; cerni scil. Messiam a propheta non solum tamquam virum dolorum, despectum, derelictum, afflictum (cf. cap. 53) verum etiam tamquam medicum qui alios quidem sanare potuerit, verum sibi ipse opem ferre non valuerit (Luc. 4, 23; 23, 39. Matth. 27, 40. 42). Ita ille. Sed haec omnia minime sunt ad rem, et aliqua prorsus falso dicuntur. Eo enim sensu Messias diceretur caecus et surdus a propheta quia de Iesu homines aliqui perperam iudicabant. Sed quis feret talia iudicia a propheta quasi adoptari et sanciri ? Dein hac explicatione negligitur contextus. Nam qui caecus et surdus dicitur, *vituperatur* et tamquam inobediens et qui magnalium Dei curam non habeat reprehenditur ; ita in v. 20 ; sed quomodo talis reprehensio ullo modo in Messiam cadere possit, plane non potest intelligi.

Sed quamvis Deus institutione adeo sublimi populi curam gessisset maximam, tamen populus, quia caecum et surdum se praebuit, in miseriis iacet prostratus v. 22 « *ipse autem populus direptus et vastatus ; laqueus iuvenum omnes et in domibus carcerum absconditi sunt ; facti sunt in rapinam nec est qui eruat, in direptionem, nec est qui dicat : redde* » ! — *laqueus iuvenum*.. explica ex membro parallelo et ex hebr. : omnes iuvenes illaqueati, laqueis capti sunt (cf. *Sanct. Sasb. Malv. For. Mald. Lap.*) hebr. *illaqueati in foraminibus omnes* ; in tam miseram conditionem devenerunt, quia uti v. 20 indicatur voci Domini non obedierunt ; ipsa calamitate probatum est populum diu et graviter deliquisse ; quare cur caecus et surdus dicatur, iam abunde constat. In exsilio degunt bonis suis spoliati, captivitate retenti et in terra alienigenarum quasi carcere quodam inclusi ; a patria avulsis habitatio inter inimicos in regione aliena insolentiae victorum traditis quasi carcer durissimus apparet. Ibi neminem habent qui adiuvet; neminem qui bona erepta, thesauros templi efficaciter ab hostibus repetat ; nemo qui ipsos e potestate inimicorum eruat. Plane inopes sunt. In miserias se proiicere poterant peccatis Deum offendendo, sese liberare non possunt ; Dominus solus et populum liberavit et thesauros templi restituendos curavit (cf. Esdr. 1, 3. 4. 6. 7 seq.).

Hebr. הָפֵחַ בַּחוּרִים כֻּלָּם i. e. illaqueare in foraminibus omnes eos (*Malv. Vat.*), adhibetur infin. absol. ad descriptionem vividam ; hoc sensu verbum est denominativum a פַּח *laqueus ;* alii derivant verbum a פּוּחַ ut sit sensus : gemere, suspiria trahere (cf. *Rohl. Naeg. Hahn* ; חוּר cf. 11, 8 foramen ; et esse vertendum *in foraminibus* suadetur membro parallelo : in domibus carcerum. Versio *vulg.* facile explicatur, cum פַּח sit *laqueus* et בַּחוּרִים *iuvenes ; laqueum* etiam exprimunt LXX et *Syrus ; iuvenes* praebent *Syrus* et *Chald.* quoque cum *S. Hier.* Recentiores tamen communiter vertunt ut supra (cf. *Kn. Del. Net. Troch.*).

Utinam saltem in extrema hac miseria constituti recogitarent, a quo et cur ita affligerentur et utinam resipiscerent ! At pauci sunt qui ad meliorem frugem revocantur ; v. 23 « *quis est in vobis qui audiat hoc, attendat et auscultet futura* » ? — hebr. *auscultet in posterum* i. e. qui malis eruditus saltem in posterum sibi caveat (cf. *Osor.*). Haec quae propheta dicit iam aequales suos tangunt. Nam regno israelitico destructo magna pars populi abducta est in Assyriam ; unde quae in v. 22 proponuntur, iam tempore Isaiae vera erant neque tunc aderat qui Israelitas reduceret vel Assyrios cogeret, ut eos dimitterent. Hac autem regni vicini calamitate Iudaei non sunt ad meliorem frugem reducti. Sed id obtinuit, quod postea Ezechiel amare lamentatur (23, 11 seq.), regnum

iudaicum poena illa Samariae inflicta non esse emendatum, e contra plus insaniisse libidine. Quare propheta iure merito conqueritur exemplo vindictae divinae fere neminem erudiri, vere surdos et caecos esse eos ipsos quos prae omnibus servos Domini esse decebat. Iam quid serio sit recogitandum, ne idem ipsis accidat, vel ut a miseriis demum salvi et incolumes evadant, propheta clare et distincte proponit v. 24 « *quis dedit in direptionem Iacob et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? et noluerunt in viis eius ambulare et non audierunt legem eius,* v. 25 *et effudit super eum indignationem furoris sui et forte bellum et combussit eum in circuitu et non cognovit, et succendit eum et non intellexit* » ; — in eventibus illis bellicis, in expugnatione Samariae, in cladibus populo Dei illatis ut Domini vindicis manum agnoscant, monet ; mentes eorum revocat a consideratione mere humana, Assyriis longe potentioribus regnum parvum non potuisse resistere ; ad sublimiorem contemplationem causae altioris et administrationis divinae animos evehere studet ; praeit in culpae confessione ; se ipsum peccatoribus accenset, quo facilius reliqui idem cum propheta fateantur et cum ipso dicant : peccavimus ; culpam omnium esse declarat, quo libentius singuli se peccasse non diffiteantur. Cur Israel hostibus traditus sit, fere eodem modo describit, quo sacer auctor causas ruinae recenset 4 Reg. 17, 14. 19. Quia igitur legem Dei abiecerunt et in viis quas Dominus suis mandatis demonstravit ingredi noluerunt, *effudit super eum aestum, iram suam* vel aestu iram suam (*Malv.*) quae ira in bellico furore cernebatur ; hoc aestu divino undique succensi sunt, undique combusti ; at frustra : haec vexatio iis non dabat intellectum ; nulla castigatione emendati sunt, quare nihil restabat nisi excidium regni. En quam caecus et surdus erat servus qui esse debebat et amicus Dei ! In hac descriptione propheta sortem regni israelitici ob oculos habere videtur et ea sorte suos aequales admonere, ne in iisdem incedentes viis demum ad eundem exitum perveniant. Ruinam si non avertere saltem minus reddere calamitosam propheta studet ; quare vult, ut exemplo Israelitarum eruditi non in eadem cum ipsis caecitate et surditate perseverent. Etiam in regnum iudaicum iam saepius Deus effuderat iram suam et bellica calamitate recalcitrantes castigaverat ; proh dolor, de iis quoque maximam partem propheta gemens dicere debet : *non cognovit,* Domini manum percutientem agnoscere nolebant, *non posuit super cor* (hebr.), monita illa divina sine ulla consideratione et attentione dimiserunt, abiecerunt. Id ergo demum fiet quod postmodum Ieremias ingeminavit : desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde (Ier. 12, 11). Id praevidet Isaias quia inveterata quadam consuetudine Iudaei quoque vestigiis Samaritanorum insistunt

idololatriae dediti et exterorum regum opem flagitantes; id fore, uti Michaeas ipse quoque divinitus edoctus iam annuntiaverat (39, 6. Mich. 4, 10).

c) **Promissa magnifica piis data 43, 1-13.**

Sed Deus populum suum non abiicit. Consolari populum iusserat prophetas (40, 1); tamquam bellator fortis pro suis surgere vult Dominus (42, 13), ergo suis insignem praestabit salutem. Hanc iam adumbrare incipit vates, ut postquam modo calamitatem extremam proposuit (42, 22. 24) animosque terruit, descriptione salutis eos emolliat et alliciat, ut ad talem Deum totis mentibus sese convertant. Pios autem Deoque deditos hac praeclara salutis exhibitione confortat et erigit, ut ad quid tandem per varias calamitates perveniendum sit constanter ob oculos habeant neve unquam miseriarum publicarum pondere animos despondeant. Quare e calamitate descripta subito fit transitus ad laetiora [1] v. 1 « *Et nunc haec dicit Dominus creans te Iacob et formans te Israel : noli timere, quia redemi te et vocavi te nomine tuo; meus es tu* » ! — iam in eo quod populum hunc peculiari modo sibi efformavit pignus adest salutis, neque enim Deus frustra opus tale effecisse censeri potest; *creans* sensu speciali, quia ex Abraham et Sara sterilibus peculiari interventu filium promissionis et in eo integrum eduxit populum (cf. 51, 1); *formans* variis scil. modis populum adolescentem erudiens, ducens, donec tandem ad aetatem virilem et ad formam reipublicae theocraticae perveniret. Haec Dei cura diuturna, multiplex et ordinem naturae saepe praetergressa effectu nequit carere. In ipsis nominibus Iacob, Israel merita Deus agnoscit patriarcharum, promissa iis data rata habet et ea in hoc populo quem eis compellat quasi reponi et collocari asserit. Quare si talis Deus loquitur, verba eius multiplici modo commendantur : monet, ne quid timeant; possunt esse securi, *quia* eos liberavit ex Aegypto, Deus autem opus inceptum non abrumpit, eos *nomine* vocavit i. e. volui ut nomen tuum esset : meus es tu (*Men. For.*); in peculium eos sibi elegit et gentem sanctam (Ex. 19, 5. 6); illam peculiarem electionem in memoriam revocat, quando inito foedere cum toto populo promisit se fore ipsorum Deum (*For.*); dein familiaritatis ac

1. Annotationes *S. Ephr.* ad cap. 43-66 quae desunt in editione romana edidit ex codice musaei britannici descriptas (simul cum commentariis eiusdem *S. Ephr.* in lamentationes Ieremiae, in Ionam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggaeum) *Thomas Iosephus Lamy* in opere cui titulus est : Sancti Ephraem Syri hymni et sermones, tom. 2 p. 105 seq. (Mechliniae 1886).

benevolentiae signum est vocare aliquem nomine suo (*Sanct.*); ceterum vide 4, 1. — Deus opera praeterita et beneficia praestita ob oculos ponit; hic modus loquendi efficax est et psychologicus; quare nulla ratio adest, *perfecta* illa *redemi* etc. de tempore futuro explicare (cum *Sanct. Sasb. Mald. Mar. Kn. Naeg.*); futurum tempus clare demum designatur in consequentibus; unde iuremerito plerique interpretes v. 1 de tempore transacto accipiunt (cf. *For. Osor. Malv. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg, Rohl. Troch. Hahn, Del.*).

Uti beneficia iam praestita pignora sunt salutis dandae, ita quoque ab iisdem desumuntur exempla bonorum quae Deus paratus sit dare cum opus fuerit; neque enim permittet liberationem secundam cedere priori; unde v. 2 « *cum transieris per aquas, tecum ero et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris et flamma non ardebit in te* »; — cf. Ex. 14, 22 seq. beneficium promittit aequale; immo maius, ut illaesi per flammas incedant. Tam firmo consilio vult ergo Deus eos liberare, ut se paratum declaret ad maxima miracula patranda. Si ergo inimici eos quasi fluminibus includerent ne abire possent vel incendiis eos delere vellent, Deus tutos eos et securos educeret. Ceterum in aquis et igne maxima quaeque pericula exhibentur contra quae ut sese tueantur homines plane impotes sunt. Iam si in summis illis discriminibus adeo mire servantur, quid de minoribus erit timendum? Tam mira autem protectione Deus populum suum cinget, quia ipse est *Iahve,* Deus foederis, qui foedus revera exsequitur Deus fidelissimus, immutatus (« ego Iahve, non mutor » Mal. 3, 6) et *Sanctus Israel,* qui conditionem sui populi talem necessario expetit, qualis sanctitatem suam decet, ut scil. sit gens sancta et gloriam Dei manifestet. Quare v. 3 « *quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel salvator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam et Saba pro te* »; — de *Iahve* cf. Os. 2, 20; *Sanctus* Israel cf. 6, 3; *dedi pretium redemptionis tuae Aegyptum;* etiam hic quaedam videtur esse allusio ad liberationem ex Aegypto; uti scil. olim Aegyptii suo ipsorum interitu Israelitas in libertatem vindicabant quasi pretium solventes libertatis sua morte (cf. *For.*), ita in altera quoque liberatione ex Babylonia Deus pretium solvet liberatori ei donans pro beneficio Iudaeis praestito Aegyptum, Aethiopiam et Saba. Similiter Deus dicitur dedisse Nabuchodonosori Aegyptum pro servitio in expugnatione Tyri Domino praestito (Ez. 29, 18). Aegyptus, Cusch, Saba, regiones ad Nilum inferiorem et superiorem, ad regnum babylonicum non pertinebant, sed sub Cambyse regno medo-persico sunt subiectae. Pro gratia igitur et liberatione Iudaeis concessa regnum persicum has dicitur provincias in augmentum gloriae accepisse. Qua in re nihil interest, utrum Cyrus ipse an Cambyses

demum Aegyptum expugnaverit; teste Herodoto (1, 153) Cyrus ἐπεῖχε στρατηλατέειν ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους; teste Xenophonte *dicitur* Cyrus expeditionem in Aegyptum suscepisse et Aegyptum expugnasse (Cyrop. 8, 6, 20 coll. 1, 1, 4). Valet ergo, ut h. l. *S. Thom. Sanct. Mald. Tir.* adnotant, etiam in populorum sortibus illud : iustus de angustia liberabitur et tradetur impius pro eo (Prov. 11, 8; 21, 18). *Saba* a plerisque intelligitur Meroe, uti iam Iosephus explicat (Antiq. 2, 10, 2), insula scil. illa ampla et fertilis, quam Nilus, Astaboras (hodie Atbara et Tacazze ei est nomen) et Astapus (Bahr el Azrak, vulgo Nilus caeruleus) fluvii cingunt (cf. *Winer* s. v. Seba; *Schenkel* Bibellex. V p. 265; *Knobel*, Voelkertafel p. 258).

Verba recentiores accipiunt de expugnatione Aegypti per Persas facta. Idque recte. Veteres interpretes vel explicarunt in universum, alios populos esse oppressos ac vexatos a Deo, quia iniuriam intulissent Iudaeis; complurium sententiam ita proponit *Osor.* : « pro te Aegyptios oppressi, omnes denique orbis terrarum nationes quae te persequuntur ad tuae gloriae materiam toleravi easque tandem exitio dedi atque perfeci, ut non modo tibi nihil hostes nocere possent, sed ex omnibus eorum perditis conatibus magnus tibi decoris et gloriae cumulus accederet ». Plerique ad rem particularem referunt ex bello assyriaco : effeci ut Sennacherib Iudae et Ierusalem iam imminens ad vastandam Aegyptum etc. verteretur, atque ita regnis illis ei obiectis quasi in tui pretium te liberavi (cf. *Sanct. Mald. Lap. Men. Tir.*). Quae tamen explicatio cum rebus gestis non congruit. Alia vide apud *For. Malv.* Alii volunt sensum solum esse, populum iudaicum Domino multo cariorem esse aliis populis potentibus licet et opulentis, quales sint Aegyptii, Cuschaei, Sabaei (cf. *Ros.*); verum haec explicatio a proprietate verborum longius aequo recedit; aliis demum placet gentes has solum exempli causa nominari et sensum esse, fore ut Deus populum suum ex potestate gentium quibus eum tradiderit iterum liberet, dum a gentibus illis tamquam expiationem et piaculum pro oppressione Iudaeis illata vitam in iudicio repetat easque perdat (cf. *Hahn*); cf. 45, 14. Sed non cernitur, quomodo in hac expositione sensus retineatur vocis כֹּפֶר λύτρον, pretium redemptionis. Prima e contra explicatio et vocibus maxime est apta et aliis comprobatur exemplis neque a rerum gestarum historia recedit.

In hac quoque re insigne cernitur documentum, quanto amore Deus populum suum prosequatur v. 4 « *ex quo honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus, ego dilexi te et dabo homines pro te et populos pro anima tua* » ; — gradatione quadam dicitur *quia pretiosus es in oculis meis et honoratus et ego diligo te, darem* [1] (si opus esset) *ho-*

---

1. Si enim apodosis cum *vav cons.* et imperf. effertur, sententia intelligitur hypothetice; cf. *Naeg. Ewald,* Lehrbuch §. 136.

mines pro te et populos pro vita tua (hebr.). Populus electus cum gentibus comparatus numero sane parvus et exiguus haberi poterat; propterea declarat Deus se non secundum multitudinem et magnitudinem iudicium ferre, verum apud se populum electum in eo honoris loco ac pretii censu haberi, ut si optio necesse esset potius alios homines et nationes alias neci traderet et interitui quam suum abiiceret populum, vel ad unum hunc redimendum alias nationes tamquam λύτρον libenter proderet. Hac sollemni asseveratione magna affertur consolatio afflictis, discunt enim se in providentia Dei supernaturali praecipuum occupare locum et Deum id acturum ut populum suum ex vilitate et abiectione liberet et in capite gentium collocet. Utique id praestitit Deus educendo ex hoc populo Messiam et in hunc populum quasi in olivam inserendo oleastrum, populum gentilem (Rom. 11, 17), sunt enim « secundum electionem carissimi propter patres » (Rom. 11, 28). Simul eadem asseveratione illud continetur omnia demum in nationum sortibus a Deo dirigi ad suum regnum propagandum et stabiliendum.

Post talia promissa et divini amoris aestimationisque documenta adhortatio et confortatio ab initio data (v. 1) magna cum emphasi redit; nam quam solidis et inconcussis innitatur fundamentis ostensum est; v. 5 « *noli timere quia ego tecum sum; ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te ;* v. 6 *dicam aquiloni da, et austro : noli prohibere; affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terrae* »! — cf. 11, 11; non solum ex Assyria et Babylonia, verum ex omnibus terris et si usque ad extrema terrae essent dispersi, Deus eos reducet; Deus ergo quantum in se est nullum ex populo electo deserit et abiicit, omnes salutis participes reddere vult; cf. Am. 9, 9 in cribratione illa qua triticum a palea separat ne unum quidem granum peribit et similiter infra 65, 8. Captivos ex Iudaeis iam eo tempore in varias et longinquas regiones fuisse abductos vide ad Ioel 3, 2. 6. Promissio haec quemadmodum universalis est et ex generali Dei de populo electo consilio ortum ducit, ita praeter liberationem ex exsilio tempus quoque messianicum spectat et populi ad Messiam collectionem includit; cuius rei indicium eo habetur quia post exsilium ea promissio denuo proponitur; vide ad Zach. 10, 9-12. Hac ratione quoque amor Dei v. 3. 4 insignius demonstratur. Atque collato 42, 22 apparet beneficium praestari prorsus gratuitum ex sola benignitate et potentia Dei profectum, quod viribus humanis neutiquam efficeretur. Eam populi in omnes terrae plagas dispersi congregationem iam olim Deus promiserat Deut. 30, 3. 4. In modo loquendi explicite asseritur Deum

obstacula esse remoturum et reliquas nationes iuberi populo Dei opem ferre et auxilium quo melius ad Dei regnum aggregetur.

Confirmatur promissio data, dum eius declaratur amplitudo et in ea summi Dei gloriam agi et contineri affirmatur v. 7 « *et omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum* »; — hebr. *omnem vocatum in nomine meo* i. e. qui vocatur de nomine meo, qui meus est ideoque hanc appellationem servi Dei etc. sibi iure vindicat, sicuti v. g. idololatra filia dei alieni vocatur (Mal. 2, 11); unde ex hebr. etiam verus Dei cultor indicatur, sicut in *vulg. qui invocat nomen meum* is directe et immediate designatur. Textus hebr. ita cum antecedentibus coniungi potest, ut dicatur ex v. 6 affer... omnem nomine meo vocatum et quem creavi etc. Sensus non mutatur; solum ratio confirmationis fortius effertur in *vulg*. Simul innuitur conditio quae requiritur, ut singulos Deus ad suum regnum congreget; debent scil. etsi dispersi inter gentes sese cultu et religione veros praebere Dei adoratores et servos, ex *hisce* neminem iri exclusum Deus spondet et hi demum soli oblatam omnibus salutem amplectentur; indicat ergo propheta carnalem ex Abraham generationem minime sufficere, illos e Iudaeis qui mores gentilium imitati sint vel a sincero cultu Dei defecerint, qui igitur iam non nomine Iahve ut servi eius et cultores appellari possint, tanta promissionis amplitudine minime concludi. Cultor autem Dei omnis illa fruetur promissione tam certo quam certum est Deum qui gloriam suam alteri non det (42, 8) suae gloriae stabiliendae curam gerere; unde *in gloriam meam* i. e. talem scil. Deus singulari quadam actione *creat*, exsistentia vitaque donat, *format*, vita donatum ulterius efformat et erudit et demum *perficit*, ad debitum perfectionis culmen adducit; ei per omnia vitae quasi stadia et spatia assistit, ut exsistat, debito modo in Dei cultu crescat et ad praestitutum finem perveniat.

Hisce ergo *liberatio* sensu amplissimo accepta et descripta est et suis rationibus probata et stabilita. Iam oraculum hoc omnibus proponitur tamquam documentum quo Deus suam ostendit divinitatem eodem modo quo 41, 22 et 42, 9. Ut eius argumentationis vis percipiatur, primo quid Deus praedicat se facturum denuo clare proponitur v. 8 « *educ foras populum caecum et oculos habentem, surdum et aures ei sunt* »! — is sane compellatur qui in antecedentibus tamquam liberator descriptus est. Populus depingitur idem qui 42, 19 caecus et surdus est appellatus et de quo tamen v. 20 dicebatur: qui vides multa nonne custodies, qui apertas habes aures? Eum iri liberatum quamvis Dei mandatis toties non obedierit, praedicitur; tali liberatione praedicta Deus iam gentes convocat, ut suffragium

ferant; vult enim in populo caeco et inobedienti, quamvis testis esset tot Dei magnalium, documentum quoque edere et misericordiae suae fidelissimae et potentiae.

Hanc sententiam *Naeg.* ad antecedentia arcte adnectit et vertit : educit itaque foras populum.... ut sit conclusio oraculi antecedentis. Verum plerique ad subsequentia referunt. Idque melius. Nam disceptatio quae iam instituitur aliqua ratione vestiatur vel introducatur necesse est. Idque apte fit ea sententia tamquam qua rei summa de qua agitur in medium affertur. Alii ita versum concipiunt, ut populus iubeatur educi non ex exsilio, sed in locum disceptationis, ut eo praesente res publice agatur; qua in explicatione aliqui gentes intelligunt (*Sanct. Troch.*), alii Israel. At neutrum dici potest. Non prius; nam de congregatione gentium fit sermo v. 9; non alterum (cum *Ges. Kn. Del.*), quia Israel non in locum illum disceptationis est educendus, sed de Israel disceptatio est instituenda, utrum scil. de eo vaticinium sit editum et impletum. Ergo multo aptius res de qua agitur censenda est in omnium conspectu proponi. Ad liberationem a Cyro faciendam verba refert *S. Thom.* : educ, o Cyre, populum extra terram captivitatis. — A serie rerum recedunt qui explicant de populo caeco e regno Dei expellendo (*For. Men. Calm.*). — LXX vertunt καὶ ἐξήγαγον.

Ad disceptationem (cf. 41, 1) convocantur nationes v. 9 « *omnes gentes congregatae sunt simul et collectae sunt tribus; quis in vobis annuntiet istud et quae prima sunt audire nos faciet? dent testes eorum, iustificentur, et audiant et dicant : vere* »! — nationibus congregatis (quae causam idolorum tuendam suscipiunt) quaestio ponitur, quis in eis tale quid annuntiet; iubetur scil. surgere propheta deorum vel qui probare possit simile oraculum editum esse vel qui nunc edat vel qui *prima* proferat i. e. oracula antea fusa et eventu probata ostendat. Si itaque tale quid habent, adducant testes, per quos veritati rei testimonium reddatur, ut si isti rem rite testati fuerint, in iudicio causam vincant, *iustificentur,* superiores evadant in disceptatione et deorum causam ad victoriam perducant. Quod si factum est, omnes nationes congregatae audiant testimonia allata, audiant sententiam prolatam, eamque palam suo applausu approbent dicentes *vere,* ita est. Supple ergo ad *audiant et dicant* nationes congregatas quae quasi arbitrae adsunt vel quae deorum causam tuentur et quae auditis testimoniis testium, quibus res probetur, sententiam plausu excipiant. Perperam aliqui volunt supplere *testes :* testes audiant; at postquam prolatis testibus dictum est *iustificentur,* absolvantur in iudicio, iam non apparet, quid testes audiant et quid sua assertione corroborent. Quare pronuntiata in iudicio sententia, quae verbo *iustificentur* indicatur, ut ab omnibus percipiatur et palam suscipiatur, ultimo membro indicatur.

Ita igitur disceptationis conditiones, modus iudicii ferendi, et sententiae promulgatio sunt proposita. Verum gentes nihil habent quod proponant. Unde Deus conditiones implet et quid ipse praestiterit edicit v. 10 « *vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi, ut sciatis et credatis mihi et intelligatis quia ego ipse sum; ante me non est formatus Deus et post me non erit* » ; — Deus populum suum tamquam testem citare potest editorum vaticiniorum ; ea enim in Israel nota erant, ea exstitisse ante eventum omnes testari possunt. Unde revera testes sunt Dei apud nationes. Eodem modo servus quem elegit, qui eo ipso quod veniet et munus sibi oraculo assignatum obibit insigne edet testimonium omniscientiae Dei. Dum autem populus ea Deo suo testatur et proinde Deum omnium rerum gubernatorem profitetur, maxima exhibetur ipsi admonitio ut tali Deo se totum dedat, ut verbis et operibus unum Deum summum confiteatur, ei plenissima fide et fiducia se committat et iustam de divina eius maiestate notionem alte animis insculpat. Israel Dei causam apud gentes agere perhibetur iisque ea promere documenta et testimonia quibus numen divinum probetur. Sublime hoc munus per prophetam ei assignatum iam Isaiae tempore aptissimum erat, quo animi piorum confortentur, erigantur, edoceantur quoque de salute quae ex Iudaea in omnes sit propaganda. Vaticiniis Deum vivum se inter eos praestare discunt, unde idololatrae quoque admonentur, ut tandem mente percipiant non exsistere ullum numen quod cum Domino comparari possit, ipsum esse unum et unicum, aeternum ; alia numina non esse nisi ficticia, quae demum penitus e memoria hominum delebuntur.

Quis sit hoc loco *servus* quem elegit Dominus, magna est inter interpretes controversia. Sunt qui servum de ipso populo intelligant, ita ut *vos* et *servus meus* plane sint iidem scil. populus (cf. *Mald. Loch, Rohl. Troch. Hahn, Sein. Del. Naeg. Or.*). Sed in hac acceptione modus loquendi durus videtur ; si enim iidem qui *vos* appellantur etiam sunt *servus meus,* non perspicitur cur dicatur vos *et* servus meus, qui modus loquendi duos adesse testes clare significat ; alias per modum appositionis titulus *servus meus* efferri debuit. Alii distinguunt inter *vos* et servum ; id quidem bene. At varie servum accipiunt vel optimos et pios ex populo (nucleus theocraticus populi, ut loquitur *Kn.*) vel prophetas vel Isaiam (cf. *Pint. Osor. For. Mar.* et apud *Mald.*). Sed obstat quod in antecedentibus de iis non dictum sit simile quid. Cum ergo *servus quem elegi* in istis orationibus iam aderat, significatio erit petenda ex antecedentibus ; et cum populum qui utique nomine servi antea est compellatus iam exclusimus ex hoc loco, utpote per *vos* significatum, nihil restat, nisi ut aut de Cyro cogitemus (cf. apud *Sanct. Lap.*) aut de Messia, qui servus et electus Domini explicite vocatur (42, 1 ; cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Euseb. Sasb. Sanct. Sa, Lap. Men.*

— *S. Thom.* vel populum vel Christum intelligi ait). Iam uter proprie et proxime erit intelligendus? Instituta disceptatio nationibus convocatis nos omnino remittere videtur ad scenam 41, 1 descriptam et 41, 21 seq. contentam, ita ut Cyrum intelligamus; sed cum Cyrus non explicite vocatus sit servus Domini, et cum 42, 9 etiam de oraculis messianicis simile quoddam argumentum pro divinitate peti videatur, potius Messias intelligi debere videtur. Fortasse optimum erit indole huius orationis considerata generali, qua liberatio utraque saepe quasi *unum* opus Dei exhibetur, etiam servum ita *unum* explicare, qui tamen, uti liberatio est duplex, ita quoque in rerum natura non erit unus, verum duo, de quibus tamen hoc loco quia de utroque eadem valet argumentatio quasi de uno aliquo sermo instituatur. Sunt enim oracula Dei de Cyro et Messia praedicta, impleta: ergo eius rei in utroque casu estis vos et servus meus testes. — Singularis est sententia a *Net.* proposita, qui servum meum simul cum Deo dicentem exhibet: effatum Iahve et servi mei, unde simul consequi ait servum illum esse Deum propter sermones v. 10-13 utrique adscriptos. — *Chald.* addit: et servus meus מְשִׁיחָא; in versione syriaca exhibetur pluralis: servi mei. — Etiam *vos* aliter aliqui explicant; volunt enim gentes compellari et ipsas et populum Israel advocari tamquam testes. Sed quia modo gentes iussae erant testes dare idolorum (v. 9), vix statim eaedem gentes a Domino tamquam sibi testimonium reddentes advocabuntur. Utique dici potest vero aliquo sensu gentes quoque esse testes oraculorum Dei eorumque impletionis; verum non id solum hoc loco expendendum est, sed primarie, ad quos fiat sermo; iam a v. 10 Israelitas compellari patet ex v. 12: « non fuit in vobis deus alienus, vos testes mei » quae verba omne dubium removent.

Numen divinum soli Iahve competere probatum est; sed rei cardo denuo cum emphasi repetitur v. 11 « *ego sum, ego sum Dominus et non est absque me salvator;* v. 12 *ego annuntiavi et salvavi, auditum feci et non fuit in vobis alienus; vos testes mei dicit Dominus et ego Deus* »! — ut *Iahve,* Deum vivum et operantem se praedictione et impletione exhibuit; et ut talem sese ostendit in variis populi sortibus rebusque gestis; semper enim per prophetas ad populum locutus est et quae annuntiavit, complevit, ita ut in populo non deus alienus aliquid tale unquam attentaverit, neque unquam potentiae ediderit documentum; etiam eius rei testes eos appellat, qui id ita se habere gentibus testentur; *alienus* scil. deus cf. Deut. 32, 16. Is. 17, 10. Ier. 2, 25; 3, 13. Ps. 43, 21; 80, 10. Cum igitur iam tot ediderit potentiae documenta, etiam quae nunc praedicit ad exitum perducet v. 13 « *et ab initio ego ipse et non est qui de manu mea eruat; operabor et quis avertet illud* »? — est Deus aeternus, semper perdurans; homines autem sicut fenum quod exsiccatur, ut flos statim decidens (40, 6-8); quis ergo eos e Dei potentia posset eripere quos ipse apprehendit ut puniat? Alluditur ad 41, 2 seq. 42, 13 seq. et tota haec pars concluditur asseve-

ratione omnia haec Deum velle in opus deducere neque quemquam posse impedire. Ipso loquendi modo ostendit propheta Deum triumphatorem, sed etiam declarat revera edi vaticinia de re quae nondum exsistat; si enim versus exsilii finem, cum Cyrus iam plurimas victorias reportasset, has victorias eo modo praediceret quo fit 41, 2 seq., tali interrogatione : ego operabor, quis avertet illud? se et Deum suum risui exposuisset.

Hebr. proprie *etiam a die ego sum,* מִיּוֹם explicant ab initio, ab aeterno LXX *S. Hier. Syrus* (a primo die), *Chald.* et e recentioribus *Rohl. Hitz. Sein. Stier* aliique contradicentibus aliis (*Kn. Hahn, Del. Naeg. Or.*), qui vertunt *etiam ab hoc die* i. e. sicut antea, ita quoque in posterum se vivum Deum praestabit, vel quod *Naeg.* vult *post hoc* i. e. post liberationem quoque se populo exhibebit Deum praesentem. Praeterea particulam *etiam* ad contextum illamque notionem haud aptam esse contendunt. Sed haec ratio certe non valet. Nam si propheta Deum aeternum, ab initio esse dicit, id quod nomine Iahve implicite latet effert, et hac Dei aeternitate commemorata et antecedenti versui et subsequenti assertioni pondus accedit; unde apte sententia inducitur : etiam ab initio ego sum. Adde quod versiones veteres singulari consensu de aeternitate, initio explicaverint. Neque inauditum est poni מִיּוֹם eo sensu quo plenius exspectares מִהְיוֹת יוֹם; nam 1 Sam. 13, 23 legis מִמָּלְכָךְ eodem sensu quo v. 26 scribitur מִהְיוֹת מֶלֶךְ. Quare h. l. standum erit explicationi veterum.

d) **Beneficium liberationis gratuito praestitum 43, 14-28.**

Quaenam sint illa quae Dominus sit operaturus, iam distincte proponuntur ita quidem ut oracula quoque prius edita (41, 2. 3. 25) illustrentur magisque determinentur; v. 14 « *Haec dicit Dominus redemptor vester, Sanctus Israel : propter vos misi in Babyloniam et detraxi vectes universos et Chaldaeos in navibus suis gloriantes* »; — haec verba praeludium quoddam sunt ad 45, 1 seq.; ita oraculum inceptum 41, 2 per hos veluti gradus magis magisque explicatur et declaratur. Intra huius vero orationis limites si consistimus, id quod 42, 13 de Deo bellatore dictum erat, iam partim illustratur : mittit enim Deus in Babyloniam sanctificatos suos (cf. 13, 3) vel quod idem est h. l. eum de quo 41, 2. 3 erat sermo, *propter vos,* ut vos e captivitate liberet; nam id fore in eorum commodum iam antecedentibus satis est declaratum; cf. 41, 10 seq. 42, 16; 43, 1 seq. Coram legato suo Deus omnia deiicit impedimenta et Chaldaeos fractis viribus in fugam coniiciet; *vectes* i. e. repagula vel generatim munimenta dicuntur, eodem modo explica quo 45, 2 : portas aereas conteram et vectes ferreos confringam. In textu *mas.* cui LXX et *Syrus* adstipulantur, de fugitivis est sermo : *descendere facio* (*ut*) *fugitivos omnes et Chaldaeos in naves iubilationis suae* i. e. quibus scil. gloriabantur; fuga ergo omnes esse proiiciendos terra

marique; fugient e Babylone et in naves descendent quo citius pericula evadant. Chaldaei enim et in Euphrate et in sinu persico navigationem exercebant navibusque a Phoenicibus exstructis ad bella gerenda utebantur (cf. *Rawlinson* l. c. I p. 128; II p. 448). Hac fuga praecipite omnium ruina regni babylonici clare designatur simili modo quo 13, 14.

S. Hier. legit בְּרִיחִים *vectes;* eodem modo legunt aliqui rabbini et *Seb. Schmidt, Umbreit* aliique (cf. *Naeg.*), quae lectio etiam de liberatione e carcere reiectis repagulis intelligi potest; ceterum cf. 15, 5. Ut *S. Hier.* refert, *Theod.* vertit *fortes.* Recentiores cum textu *mas.* LXX et *Syro* legunt בָּרִיחִים *fugitivi;* de qua voce cf. Is. 27, 1. Iob 26, 13. — Sed qui sunt isti fugitivi? *Del.* intelligit vulgus promiscuum, de quo Is. 13, 14; 47, 15; itaque alienigenas qui Babylonem confluere solebant. Sed cur isti omnes vocantur sine ulla ulteriore determinatione? Unde melius erit id intelligere quod maxime obvium est: omnes scil. habitatores Babel, quibus dein emphasis gratia adduntur Chaldaei; nomen hoc prius designabat Babyloniam mediam, sed mox extendebatur ad Babyloniam universam; unde incolis urbis adduntur omnes qui ad Babyloniam pertinent, quorum fuga regnum esse dissolutum declaratur. De significatione nominis vide *Delitzsch,* Wo lag das Paradies? p. 200. Novam eius loci interpretationem proposuit *Naeg.* ultimum membrum vertens: in Chaldaeorum terram navibus (vehamur), clamor eorum. In parte meridionali Babyloniae usque ad sinum persicum proprie fuisse sedem Chaldaeorum; regionem eam paludibus et latebris fuisse celebrem, ita ut v. g. Merodach Baladan quotiescumque a regibus assyriacis in angustias esset redactus, sese illuc reciperet et in arce sua Bit Iakin paludibus bene protecta sese feliciter defenderet. Unde satis patere, ait *Naeg.*, Chaldaeos bello pressos in suam priorem ditionem fugere et ibi sese abscondere solitos esse; immo cum Merodach Baladan e latebris suis esset exturbatus, eum fugisse in insulam sinus persici. Similem ergo hoc loco fugam innui a propheta et ad eam Chaldaeos inter se hortari. Explicatio haec certe non careret probabilitate neque displiceret, si vox רִנָּה ei posset adaptari. At vox haec plerumque de clamore laetitiae et exsultationis dicitur, quae notio in illam explicationem certe non convenit; aliquoties adhibetur de deprecatione, vagitu; cf. Ps. 17, 1; 61, 2; 88, 3; 106, 44. Ier. 14, 12 quibus locis vertitur in *vulg.* deprecatio, oratio, preces; verum haec quoque significatio non potest illi expositioni adaptari.

Hanc autem ruinam regni babylonici Israelitis cessuram esse in utilitatem clare edicitur v. 15 « *ego Dominus, Sanctus vester, creans Israel, rex vester* »; — cum enim Deus opere illo v. 14 commemorato tam explicite iis se titulis nominet, quibus quam maxime ut numen tutelare Israelitarum declaratur, necessario censendus est opus illud efficere ut est Deus foederis (Iahve), qui sacra quadam aemulatione suam in populo relucere vult sanctitatem, qui cum Israel singulari ratione procreaverit et suum in eo constituerit regnum, certe ferre non potest ut talis populus misera servitute tabescat, verum qui antiqua miracula pro suo populo instaurabit. Atque revera tituli isti tam ampli sunt et priscis magnalibus

Dei innituntur, ita ut Deus hisce nominibus se designans iam grande beneficium populo polliceri videatur. Neque quae sequuntur hanc spem fallunt. Nam primo hos titulos rebus olim gestis quam merito sibi conveniant ostendit (v. 16. 17), dein eosdem promissis magnificis pro tempore futuro iure se retinere declarat (v. 18 seq.).

Praeclare olim hos titulos in se expressit magnis miraculis in commodum populi patratis v. 16 « *haec dicit Dominus qui dedit in mari viam et in aquis torrentibus semitam,* v. 17 *qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum; simul obdormierunt nec resurgent; contriti sunt quasi linum et exstincti sunt* » ; — en, magnalia ista simul pignora sunt et documenta certissima, posse Deum ea efficere quae v. 14 dicta sunt. Nam quae olim impedimenta aderant vel ex mari in exitu ex Aegypto vel ex aquis torrentibus, dum Iordanis fluvius esset transeundus, vel ex hominum malitia et potentia, dum Aegyptii manu forti Israelitas persequerentur, haec omnia Deus plane vicit atque contrivit. Interitus Aegyptiorum quattuor membris explicatius ob oculos ponitur : quam subito omnes morte intercepti a proposito destiterint neque periculum adesse ironice additur eos ad opus reversuros et persecutionem instauraturos; *penitus* interierunt et quam *facile* Deus talem effecit stragem ? quasi lucernae ellychnium (hebr. cf. 42, 3) quis exstinguat, vel illud aquis immersum facillime exstinguatur. Quae potestas Dei quo clarius eluceat, pompam et apparatum exercitus Aegyptiorum enumerat; dicitur Deus illum exercitum equestrem et pedestrem et *robustum* (heroem, regem; vel agmen potentissimum) eduxisse, quia hanc persecutionem et iram inimicorum permisit. Quam maxime enim spectat ad Dei potentiam declarandam, ut hostes ne machinari quidem posse quidquam contra populum Dei dicantur, nisi permiserit Deus. — Ceterum non multum interest, utrum in v. 16 duo agnoscas illa in mari rubro et Iordane (cum *S. Hier. Cyr. Sa, Malv.*) vel unum illud miraculum in mari rubro (cum *S. Ephr. Osor. Sasb. Mald. Mar. Men*); nam membrum alterum potest esse mera epexegesis ad prius et ut *Sanct.* advertit etiam aquae maris rubri vehementes dicuntur (Ex. 15, 10) ; sed cum impedimenta ex rerum natura et ab hominibus profecta divisim recenseantur, ex v. 17 non potest certo argui non esse sermonem in v. 16 de transitu Iordanis.

Illa magnalia Dei certe mirabilia erant et Dei amorem in populum demonstrant; illis optime quoque illustratur quod dictum erat 43, 3. Sed utut illa grandia sunt, multo maiora promittuntur, quibus illorum memoria quasi obscuretur v. 18 « *ne memineritis priorum et antiqua ne intueamini ;* v. 19 *ecce ego facio nova et nunc orientur, utique cognoscetis ea* » ! — « ut enim umbra corpori concedit, ut lucernae

lumen in splendorem solis incurrens evanescit, sic intelligite memoriam antiqui beneficii amplitudine et magnificentia, veritate et constantia futuri doni esse obscurandam et deponendam » (*Osor.*). Adeo ergo cari et pretiosi sunt coram Deo (43, 4); ea adhortatione illis modum quasi et mensuram exhibet, unde de futuro munere iudicium ferant. Beneficia illa vocat *nova*; haec *nova* sunt quae 42, 13; 43, 5. 6 etc. proponuntur : collectio populi ex omnibus terrae plagis ad novam condendam theocratiam eamque illustriorem, dum prior illa liberatio populum ex una natione eduxit. Uti ergo in hac Deus suum pro populo zelum et amorem praeclare ostendit (cf. v. 17), ita in maiore altera illustriora quoque edet documenta zeli et amoris (cf. 42, 13). Iam nova illa dicuntur *germinare* (hebr.), quia in Dei consilio non solum adsunt, sed iam annuntiantur et quia in certa ruina theocratiae propter Dei consilia iam illud ipsum quasi germen adest ex quo instauratio sequetur, sicut in semine in terram iacto et abscondito iam novae plantae germen continetur. Nova *nunc* germinant, quia coram oculis prophetae iam adstant duo illi, qui novam rerum conditionem et inaugurare et perficere debebunt; vel forte commodius explicabis hebr. quia in voce עַתָּה passim temporis notio interiit (ut *Ges.* loquitur, Thes. p. 994) et saepe est particula excitantis et asseverantis (cf. Is. 36, 5. 10): *et ego faciens novum, iam vero germinabit, nonne id cognoscetis?* i. e. certissime experimento rem cognoscetis illam novam; *populus* ille cui fiunt promissa illa impletione facta cognoscet; populus enim theocraticus quasi una persona moralis consideratur, quae educta est ex Aegypto, ducta per desertum, introducta in Palaestinam, apostasia facta in exsilium pulsa, inde reducta etc. (cf. Ier. 2, 2. Ez. 16, 3 etc.).

Quid *novi* Deus facturus sit, ad similitudinem priscorum beneficiorum olim in deserto populo praestitorum ita declaratur, ut simul appareat quanto maiora Deus donare paratus sit : « *ponam in deserto viam et in invio flumina ;* v. 20 *glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo* » ; — desertum mutabit, ut in eo adsint viae planae et commodae et copia aquarum; proin reditus populi quam facillimus et gratissimus efficietur, obstacula removebuntur, suppeditabuntur commoda quam largissime. Hanc largitatem ita depingit, ut bestiae desertae olim regionis iam sistantur laetae et exsultabundae de tanta aquarum et fertilitatis copia quam Deus super desertum effuderit. Sicut hae laudes bestiarum, quibus Deum honorare dicuntur, abundantiam bonorum eam significat, quae a populo bonis iam repleto redundet in animalia, ita beneficia haec ipsis animalibus praestita denuo nos docent, quam intimus adsit nexus inter hominem et creaturam; haec enim uti cum peccante

affligitur, similiter cum reconciliato et glorificato beneficii redemptionis suo modo erit particeps (cf. 11, 6. Rom. 8, 19-22), sicut sane in deserto, cum Deus populo potum praestitit aquam e petra educens, hoc beneficio greges quoque Israelitarum recreati sunt. Haec ergo quae olim fiebant symbola fiunt futurorum, dum simul argumento sunt et pignori, Deum et posse et velle suis promissis stare. — *Dracones*, תַּנִּים, LXX σειρῆνες, explicant canes feros, silvestres, aureos ; cf. Is. 13, 22 et quae notavi ad Mich. 1, 8. Iob 30, 29.

Cur Deus tanta usurus sit potentia et liberalitate, declaratur v. 21 « *populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit* » ; — duae assignantur rationes aeque graves atque efficaces : Dei scil. *opus* quo providentia sua eaque praeternaturali populum hunc sibi creaverit et educaverit, et *gloria* quam per eum inter reliquas gentes notam fieri ac praedicari vult. Dei autem opera cassa esse nequeunt neque unquam Deus fine suo se frustrari permittet ; unde habent documenta certissima fore ut fiat instauratio.

In qua rerum innovatione magnifica eo praeclarius cernitur liberalitas et benignitas Dei qui talia promittit et praestat iis qui per se nihil eiusmodi meriti sint, verum potius saepenumero offenso Deo indignos praebuerint se benevolentia divina. Quemadmodum supra 42, 22-25 exsilium poenam esse pro peccatis declaravit, ita nunc explicite probat, beneficium liberationis gratuito a Deo donari neque ullis hominum operibus vel cultu exhibito illud posse acquiri vel digne rependi : haec enim duo alte insculpta esse debent animis omnium, ut recte iudicent et de fatis populi israelitici et de divina providentia ; hisce animus ille pharisaicus ac superbus retunditur et plane exstinguitur. Quare iam per singula argumentatio instituitur v. 22 « *non me invocasti Iacob, nec laborasti in me Israel* » ! — prius generatim cultus commemoratur adorationis ; non supplicatione vel efflagitatione assidua illam sibi promeruit populus salutem ; forte adhibetur nomen *Iacob*, *Israel* tacita reprehensione, quia patris Iacob exemplum minime sunt imitati qui cum angelo luctatus invaluit, flevit et rogavit benedictionem et nomen Israel sortitus est, quoniam contra Deum fortis fuit (Gen. 32, 24 seq. Os. 12, 4). Multum aliter populus eiusdem nominis : non clamat ad Deum nec multum laboris et curae de Deo sibi facessit ; id non sine ironia quadam dicitur. Hebr. explica : non me invocasti, *ut* mei gratia laboris aut molestiae aliquid insumeres (cf. *Malv. I. Kn. Del. Or.*).

De hoc usu particulae כִּי vide 29, 6 et *Ges.* Thes. p. 679 b) ; alii vertunt : nam, sed potius, immo laborasti in me i. e. fastidisti me et cultum meum (*Mar. Vat. Mald. Malv. II. Troch. Ros. Hahn, Naeg.*) ; sed prior acceptio hoc loco est praeferenda. Ea

enim melius vel unice verbo יָגַע convenit *laborare* cum virium contentione et ad defatigationem usque, praesertim cum בְּ dicatur de re in qua laboratur et desudatur, cui opera impenditur ; cf. Is. 62, 8. Ios. 24, 13 (*Ges.* Thes. p. 564). Dein ea explicatio magis consona est cum sequentibus, in quibus quomodo non laborem impenderint in cultu divino accuratius delineatur.

Neque variis sacrificiorum generibus eam sibi promeruerunt gratiam ; v. 23 « *non obtulisti mihi arietem holocausti tui et victimis tuis non glorificasti me ; non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi praebui in thure ;* v. 24 *non emisti mihi argento calamum et adipe victimarum tuarum non inebriasti me* » ; — per singula fit enumeratio, quo clarius et nervosius efferatur beneficium revera donari gratuito. Sed quo modo dicuntur non sacrificasse, quamvis cultum illum externum saepe observatum fuisse certum sit, immo aliis reprehensionibus (uti v. g. 1, 11) cultum talem exerceri prorsus supponatur ? Censent prophetam de exsilii tempore loqui, quo sacrificia nulla fiebant (cf. *Calm. Rohl. Del.*) ; unde liberationem non esse iis oblationibus obtentam satis clare patet. Alii opinantur, non negari cultum esse exercitum, sed id Deum asserere sibi illa sacrificia non fuisse grata neque accepta, quia non offerebantur cum debita devotione, ita ut vere essent pietatis et cultus divini signa et symbola externa (cf. *Sasb. Pint. Lap. Men.*), vel ut dicantur non Deo obtulisse eodem sensu quo apud Zachariam dicitur : numquid ieiunium ieiunastis mihi ? quia scil. in eo religioso munere aliquid praeter Deum intuebantur (*Sanct.* sim. *S. Thom.*), vel quia hostias easdem etiam idolis offerebant (*S. Hier.*), vel demum ut negligentia accusetur, qua saepe non obtulerint prout debuerint ; nam is quoque qui non debite et diligenter facit vel non semper facit quod debet, omnino non fecisse argui potest (cf. *Sa, Gord. Naeg.*). Si ad membrum secundum attendimus : *non glorificasti me,* id praeprimis inculcari videtur, sacrificia dici non esse oblata quia non ita fiebant, ut vere in Dei honorem cederent ; quare non ea erant quae Deus praescripsit. Dein id quoque monet Deus se non postulasse a populo difficilia, ita ut populus propter labores praestitos et maximos sumptus impensos dona illa praeclariora quasi iure quodam exigere posset, neque populum ullo modo eam in cultu diligentiam exhibuisse, qua sibi saltem aequitate quadam se meruisse bona illa persuadere ullo pacto commode posset. Itaque omni ex parte beneficia ad meram Dei gratiam esse referenda docetur. Propterea singula percurrit ; sacrificia quotidiana, quae mane et vespere erant offerenda (cf. שֶׂה — et Ex. 29, 38-42. Num. 28, 3-8), alia sacrificia cruenta, quae vario tempore fieri poterant, sacrificia incruenta vel ferta, quae partim cum illis iungebantur, partim ut sacrificia propria

dicabantur, sacrificia thuris et aromatum quae in altari thymiamatum cremabantur, sacrum unguentum, cui *calamus* inserviebat (Ex. 30, 23).

De sacrificiis cf. Is. 1, 11. Calamus קָנֶה erit idem cum קְנֵה־בֹשֶׂם Ex. 30, 23 κάλαμος ἀρωματικός, calamus odoratus, qui ad unguentum sacrum praeparandum requirebatur ; praecipue calamus indicus et arabicus maximi aestimabatur ; cf. *Winer,* Realwoerterb. I p. 645 ; vel generatim simul cum thure de aromatis dicitur, ex quibus oblatio sacri incensi vel thymiamatis conficiebatur ; cf. Ex. 30, 34. Saltem ex rabbinorum sententia calamus ad sacrum thymiama requirebatur, sed Ex. l. c. non enumeratur. Thus addebatur fertis et panibus propositionis et necessarium erat ad oblationem quotidianam thymiamatis (cf. Ex. 30, 7. Lev. 2, 1).

Demum ultimo loco omnia complectens Deus dicit : non me satiasti, non me recreasti adipe victimarum — adipes enim in igne sacrificii cremabantur — i. e. nihil quod Deo ex integro placeret praestiterunt, verum ei nauseam et fastidium crearunt peccatis suis, id quod emphatica oppositione ad antecedentia in medium profertur : « *verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* » ; — attende antitheta : ego te non servire feci v. 23 ; et tu non laborasti in me v. 22, tu vero me servire fecisti, mihi laborem et defatigationem (cf. יָגַע) attulisti. Peccata ut pondus, iugum, ut fastidium, molestia considerantur, quibus Deus rex populi ab eo sit affectus ; quibus verbis quam efficacissime declaratur quantopere peccatum Deo displiceat, sed una exprimitur, quanta longanimitate et patientia usus sit erga populum ; « tu autem me servire et laborare fecisti in peccatis tuis, ut cogerer dicere : *laboravi sustinens* » (Is. 1, 14. *S. Hier.*). Et apposite ad totam arguendi seriem notat *S. Cyr.* : « non quando sacrificas, non cum boves offers et pecora mactas, vocavi te, ne forte putes te liberationem habuisse velut quoddam oblationis praemium, sed cum in peccatis versareris et inquinamentis esses implicitus, tum misericordia te et amore dignatus sum ». Unde apparet Deum ex mera gratia liberare et salutem concedere. Peccata populi eiusque indignitas eo illustriorem reddunt fidelitatem et misericordiam Dei ; contingit id quod simili causa apostolus dixit : iniquitas nostra iustitiam Dei commendat (Rom. 3, 5).

Quare magna cum emphasi omnem gratiam in se solo constitui et a se solo liberrime concedi asserit v. 25 « *ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me et peccatorum tuorum non recordabor* » ! — ergo Deus *solus* delet, et delet *propter se,* propter gloriam suam, propter opus et foedus olim initum ; « propter me et non propter poenitentiam quae non est inventa in te » *S. Ephr.* ; *propter me* includit rationes eas omnes quae alibi in Dei nominibus, Sancti Israel, creatoris,

Iahve, regis exprimuntur; aufert iugum a populo, ne quando dicant gentes : ubi est deus eorum ? Opprobrium enim populi etiam deo tutelari est dedecori (cf. 48, 9. 11. Ez. 36, 22. Ps. 113, 14). Hoc vero loco maxima consideratione dignum est mentionem fieri ablationis iniquitatum. Postquam enim optima quaeque promissa sunt symbolis maximam quandam prosperitatem portendentibus (cf. v. 19. 20) et beneficia haec praestari prorsus gratuito multipliciter est assertum, iam magna emphasi tamquam opus a solo Deo efficiendum, quo antecedentia promissa contineantur et compleantur, inculcatur deletio peccatorum, venia concessa. Unde populus edocetur, innovationem et instaurationem eo potissimum constitui, ut ablata iniquitate vera efflorescat pietas. Quemadmodum igitur propter peccata eos servitutem et opprobria incurrisse propheta monuit (cf. 42, 19 seq.), ita in peccatorum deletione magnum illud beneficium liberationis consistere et in amicitia Dei recuperata qua promittit se oblivioni dare offensas, summa illa bona includi et exhiberi hoc loco docet. Indicat itaque indolem instaurationis *spiritualem,* ab exspectatione beneficiorum terrenorum animos popularium evehit ad beneficium ordinis altioris, quo maxime indigent, in peccatis demum veram consistere servitutem et iniquitate illud populo Dei esse vulnus inflictum quo misere prostratus iaceat, peccatis igitur ablatis veram concedi liberationem hisce propheta satis clare proponit; id quod in priore quoque parte haud semel inculcavit; cf. 1, 26; 4, 4; 11, 9 etc.

Quo melius populus suas agnoscat culpas et ex iis beneficium gratuito concedi accuratius perspiciat, admonetur ut perscrutetur si quid meriti se habere putet idque Domino pandat v. 26 « *reduc me in memoriam et iudicemur simul! narra si quid habes, ut iustificeris* »! — hebr. *fac me recordari;* si quid habere te opinaris meriti, reduc mihi et revoca in memoriam; adhortatio est ironica, dicit Deus sibi nihil meriti quod habeat populus notum esse, ergo iuvent ipsius memoriam et suggerant quid habeant; tum ait disceptationem forensem se velle cum eis inire : contendamus in iudicio et disceptemus, « ut si iuris aequitati niteris litem obtineas » (*Osor.*); *iustificari* i. e. causam evincere, pro tribunali iustum iudicari cf. 41, 26; 43, 9. Verum populus nihil potest proferre; Deus autem quo magis benignitas et gratia eluceat, et populus suam clarius perspiciat indignitatem ultimo demum loco ostendit peccata longa generationum serie in populo altas egisse radices et adeo in universum serpsisse, ut demum populum hostibus vexandum tradere cogeretur. Ergo neque ex tempore praeterito neque ex praesenti aliud quidquam afferri posse manifestum facit nisi populi peccata et indignitatem. Quare cum tali populo nihilominus insignia illa et grandia promittantur quibus priora beneficia obscurentur (v. 18), quid

magis aptum in medium adduci posset, quo liberalitas Dei et gratia commendetur ? Propterea Deus peccatum ab initio in ipso electo populo nimium invaluisse iis in memoriam revocat, cum ipsi nihil boni habeant quod Deo in memoriam revocent v. 27 « *pater tuus primus peccavit et interpretes tui praevaricati sunt in me,* v. 28 *et contaminavi principes sanctos; dedi ad internecionem Iacob et Israel in blasphemiam* »; — ecce, hoc promeriti sunt : patres eorum et interpretes i. e. doctores, qui legem tueri eiusque observantiam urgere debebant, ergo ii a quibus et vitam trahebant et institutionem, omnes peccato erant infecti; demum iniquitas ita praevaluit, ut Deus ipsos principes theocraticos, sacra dignitate praeditos, cum essent nobiles inter gentem Deo sacram, cum in regno sacerdotali (Ez. 17, 6) locum occuparent praecipuum, *contaminare,* profanare (hebr.), sacra dignitate exuere et hostibus puniendos tradere cogeretur; simul cum principibus totus populus exitio et opprobriis est obrutus. Haec est ergo conditio illa, in quam populus suis *meritis* est prolapsus : principes sacri iam profanatione abiecti, *Iacob* anathemate et maledictione percussus et internecioni devotus, *Israel* contumeliis obrutus; en sacra illa nomina ab iis tanta affecta sunt ignominia, in tantam malorum voraginem immersa; itaque « narra si quid habes, ut iustificeris »! Ecce quanta vi et eloquentia Isaias propositum suum demonstrat et mediis in peccatorum tenebris gratiae lumen splendescere ostendit!

Iam quaeri debet, quis sit *primus pater*, qui interpretes? Interpretationem unice aptam indicant LXX dum vocem quoque primam *collective* explicantes vertunt οἱ πατέρες ὑμῶν πρῶτοι ; intelligendi sunt ii quos Deus ex Aegypto eduxit, ita ut a tempore illo usque ad diem praesentem continua quaedam series peccatorum adfuisse in populo Dei asseratur. Vocem autem de generatione illa ex Aegypto liberata explicandam esse suadetur, quia illa generatio revera saepe nomine *patrum* designatur et quia saepe apud prophetas si de peccatis populi sermo est, iam illius in deserto transgressionis tamquam mali pro tempore futuro augurii et exempli pessimi quod posteri imitati sint mentio fit, ita ut revera peccata patrum illorum ut initium ac fons calamitatum exhibeantur; demum ea explicatio suadetur exclusione aliarum, quarum nulla apta est. Haec iam paucis declaranda sunt. Primam illam generationem nomine *patrum* designari, satis frequens est et saepe statim adiungitur accusatio de peccatis eorum ; ita v. g. Ier.2, 5 : quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me et ambulaverunt post vanitatem? vel 7, 25 : facti sunt retrorsum a die qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti usque ad diem hanc; vel 11, 7 : contestans contestatus sum patres vestros in die qua eduxi eos de terra Aegypti usque ad diem

hanc... et non audierunt; vel 11, 10 : reversi sunt ad iniquitatem patrum suorum *priorum* qui noluerunt audire verba mea; quo in loco verba eadem in numero plurali occurrunt (אֲבוֹתָם הָרִאשֹׁנִים) ; cf. praeterea Ier. 11, 4; 31, 32; 34, 13. Baruch 1, 19. Ez. 20, 4 seq. 18. 27. 36 : sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terrae Aegypti, sic iudicabo vos; similiter legitur Os. 9, 10 : quasi prima poma ficulneae, vidi patres eorum; illi autem intraverunt ad Beelphegor ; idem loquendi modus invenitur in psalmis ; v. g. Ps. 77, 8 : ne sint sicut patres eorum, generatio prava et exasperans ; vel 77, 57 : quemadmodum patres eorum, conversi sint in arcum pravum ; sim. Ps. 94, 9 ; 105, 7 : patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua etc. De aliis interpretationibus vide infra.

Interpretes intellige cum *S. Cyr.* et *Theod.* de iis qui vi muneris et officii custodes atque interpretes legis esse debebant, de sacerdotibus, principibus, iudicibus, eo scil. modo quo Michaeas dicit : audite principes Iacob et duces domus Israel : numquid non vestrum est scire iudicium (Mich. 3, 1)? Audi *S. Cyr.* : « nam qui ad ministerium electi erant et sapientes et legisperiti et populum sibi commissum erudire solebant, eorum qui iugo suberant et patres et principes et duces appellari poterant. Itaque cum haec absurda et indecora non a gregaria turba, sed ab his fiant quorum erat aliorum scelera corrigere, molestum est et poena inevitabilis et debita his qui fecerunt impie ». Hisce adde pseudoprophetas quoque, qui de corde suo prophetabant, populo blandiebantur, pacem promittebant, ubi non erat pax et ita ruinam populi promovebant et peccatis addebant peccata ; cf. Ier. 5, 31 : « prophetae prophetabant mendacium et sacerdotes applaudebant manibus suis et populus meus dilexit talia; quid igitur fiet in novissimis eius »? Pseudoprophetis autem semper turbam plebis adhaesisse et ex iis falsam sibi securitatem et impunitatem peccandi promisisse, minis et querelis prophetarum manifestum est (cf. Mich. 3, 5; 2, 11 hebr. Ez. 13, 4 etc.).

Interpretationem *patris primi* de prima illa generatione ex Aegypto educta aliarum exclusione suaderi et commendari dixi. Explicant enim *patrem primum* vel Adam, vel Abraham, vel Thare, vel Iacob. Sed quaevis explicatio suis premitur difficultatibus. Nam *Adam* intelligi (cum *Osor. Pint. Mald. Sa, Mar. Tir. Net. Piscatore, Ges. Hitz. Umbreit, Kn.* aliisque) nequit ; nullibi enim *pater* populi electi dicitur neque ut *huius* populi theocratici peccata accusentur et ratio reddatur, cur *hunc* populum Deus puniverit eique gratuito gratiam praestet, peccatum Adami omnibus hominibus commune conferre vel declarare quidquam videtur ; neque placet cum Adamo enumerari interpretes populi ; nam

inter utrosque ingens temporis spatium adest; enumeratio autem ita est conformata, ut ad populi electi fata et res gestas necessario debeat referri. *Pater* populi electi revera dicitur *Abraham* infra 51, 2 (cf. 63, 16). Num igitur eum intelligemus h. l. cum *S. Hier. Haim. S. Thom. Lap. Sanct. Calm. Rohl.* — *Men. Tir.* utrumque et Adam et Abraham comprehendi volunt — *Kueper, Hahn, Del. Naeg.*? Verum durum est, immo durissimum Abraham proponi tamquam peccatorem et exemplum peccatorum, cuius peccata quasi primo ruinam populi inauguraverint. Nullibi enim in s. literis eo modo de Abraham sermo fit, ubique ut verus Dei cultor et exemplar virtutis laudatur; idque etiam quam maxime apud Isaiam: 41, 8 Abraham amicus Dei vocatur; 51, 2 Abraham a Deo vocatus, electus, benedictione donatus proponitur; ergo nisi argumenta evidentia adsint Abraham in censu peccatorum collocari nequit. Iam ubinam Abraham ab illis interpretibus peccasse dicitur? Ita respondet *S. Hier.*: « auctor generis tui Abraham peccasse convincitur quando Domino terram repromissionis semini illius pollicente respondit: in quo sciam quia possidebo eam » (Gen. 15, 8)? Sed hoc omnino incredibile videtur; nam ea occasione fides Abraham summopere laudatur in s. literis; in Gen. eodem loco 15, 6 fidei Abraham eius adscribitur iustificatio: credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam; unde interrogatio illa non potest esse profecta ex dubio peccaminoso; idque eo minus, quia fidem Abraham ea occasione exhibitam tanto laudum encomio S. Paulus praedicat: « contra spem in spem credidit, non est infirmatus fide nec consideravit corpus suum emortuum... in repromissione etiam Dei *non haesitavit* diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo plenissime sciens quia quaecumque promisit potens est et facere » (Rom. 4, 18-21). Sed talis fides non admittit dubium peccaminosum. Alii putant Abraham iuvenem idololatriae implicitum fuisse, secundum illud: trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor servieruntque diis alienis (Ios. 24, 2); huius sententiae patronos multos enumerat *Sanct.* eamque ipse censet verisimilem atque in ea re constitui peccatum Abraham; sim. *Lap. Men. Tir.* Verum quidquid sit de idololatria Abraham iuvenis, hoc loco tale peccatum requiritur, quod in serie peccatorum populi *electi* collocari debet; atqui tale nullo modo est peccatum ab Abraham ante electionem commissum. Neque sufficit quod alii volunt (*Hahn*) et *Sanct.* quoque tamquam aliam explicationem affert, Abraham communem peccati labem ab Adamo traxisse et naturae ad malum proclivitatem; id enim non constituit peculiarem aliquam reprehensionem populi, quae tamen nostro loco adest et ex loquendi modo adesse debet. *Naeg.* cernit peccatum ab Abraham commissum, quia non recte et sincere egerit cum Pharaone (Gen. 12, 11 seq.) neque cum Abimelech in Geraris (Gen. 20, 1 seq.). *Del.* generatim affirmat vitam eius fuisse peccato maculatam neque splendescere merito operum, sed dono gratiae; sed Abraham ubique laudatur et exemplum virtutis in utriusque testamenti libris proponitur; merita eius agnoscuntur, dum fides ei reputatur in iustitiam, dum ei dicitur: ego ero merces tua magna nimis; ambula coram me et esto perfectus! Sed ab his laudibus nimis alienum est, ut tamquam peccator agmen duxisse

dicatur populi omnibus sceleribus foedati et foedifragi vel ut ipse primam iam apposuisse censeatur manum ad ruinam populi efficiendam.

Alii, uti *For.* de Thare cogitant; sed cum ipse nullibi pater populi Israel appelletur, nemini eius nominis poterat in mentem venire; si hunc propheta designare voluit, clarius sane loquendum erat. Neque *Iacob* (ut *Ewald, Sein. Cheyne, Or.* volunt) intelligi potest; nullibi enim tamquam peccator traducitur, e contra Osee eius fidei, obedientiae, patientiae exemplum illustre praedicat et posteris imitandum proponit eos vituperans quod a tam praeclaro patre degeneres facti sint (cf. ad Os. 12, 3 seq.). Sed talis certe non erit in agmine peccatorum tamquam dux peccati collocandus. Si de solo regno israelitico sermo esset, coniectura a *Barh.* proposita, Ieroboam qui vitulum fecerit esse intelligendum, non esset spernenda, quia cultus ille per emphasim *peccatum* dicitur et via Ieroboam et peccatum Ieroboam constanter ut causa fertilis scelerum in regno Israel effertur, quia separavit Israel a Domino (cf. 4 Reg. 17, 21. 3 Reg. 16, 2. 19. 26. 31. 4 Reg. 3, 3; 10, 29; 13, 2. 6. 11; 14, 24 etc.). At non est usitatum regem appellare patrem. — Quare etiam explicatio a *S. Ephr.* proposita de Saule qui non una vice sed pluribus peccaverit admitti nequit. — Ergo nil aliud restat, quam ut nomen accipiatur *collective;* id etiam iam concedit *S. Hier.* fieri posse, cum primo loco explicet: « pater tuus primus peccavit in solitudine: omnis videlicet populus Israel »; sim. *Haimo;* eius expositionis mentionem faciunt eamque approbant *Malv. Mald. Schegg, Loch* (qui tamen speciali modo refert ad Gen. 49, 3-7).

Etiam de *interpretibus* non consentiunt interpretes. Multi ibi sermonem fieri volunt de Moyse et Aaron qui ad aquam contradictionis peccaverint (Ex. 17); ita *S. Hier. Haim. S. Thom. Pint. Sasb. Sanct. Mald. Sa, Vat. Malv. Lap. Men. Tir. For. Calm.;* verum *praevaricati sunt* פָּשְׁעוּ culpam dicit multo maiorem (cf. Is. 1, 2; 46, 8) defectionem scil. a Deo et turpem foederis violationem. Quare explicatio quoque de prophetis (*Schegg, Loch, Hahn, Del.*) a Deo missis stare nequit, neque enim prophetae ruinam populi suis peccatis promovebant, eos autem illa labe et infirmitate laborasse quam in sanctis quoque hominibus humanae naturae fragilitas secum fert, nihil ad rem est hoc loco cum de iis agatur delictis quibus demum respublica concidit. Quare de iis est sermo qui uti sacerdotes (Lev. 10, 11. Mich. 3, 11) custodes legis eiusque interpretes esse debebant, de quibus Isaias alibi conqueritur: speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia et canes impudentissimi nescierunt saturitatem; ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam etc. (Is. 56, 10. 11). Huc quoque refer reprehensiones quae apud prophetas de sacerdotibus et pseudoprophetis, de iudicibus et magistratibus crebro fiunt; isti enim omnes vel vere vel ficte tamquam interpretes legis Dei et duces populi constituebantur et ad horum ordinum peccata ruina regni tamquam ad suam originem et causam refertur (cf. Is. 5, 13. 24. 25 *propter hoc, ideo* iratus est furor Domini in populum; Ier. 23, 1 seq. Ez. 8, 11; 13, 4; 34, 1 seq. Mich. 3, 12 propter hoc *causa vestri* Sion quasi ager arabitur etc. etc.).

Demum adverte apud LXX legi in v. 27 οἱ ἄρχοντες, non interpretes; etiam

Syrus exhibet principes, *Chald.* doctores. Aliter quoque legitur in v. 28 apud LXX et *Syrum :* principes tui polluerunt sancta mea; id quod *S. Ephr.* de Manasse intelligit qui sanctuarium introducto idolo quadrifacie polluerit; principes in v. 27 explicat de domo Ieroboam et Achaz eorumque asseclis.

e) Demonstratur gloria Dei 44, 1-8.

Commemoravit quam indignum beneficiis sese populus praestiterit, miseriam declaravit, in quam sua culpa prolapsi sunt (43, 27. 28). Ipsi se erigere minime valent. Quare si ea in rerum conditione magnifica fiunt instaurationis promissa, iis quam splendidissime liberalitas Dei et gratia gratuito praestita declaratur. Postquam itaque populus enumeratione iniquitatum humiliatus est et ad suae nequitiae et indignitatis culpam agnoscendam perductus, illa adest animorum dispositio qua consolationes Dei et rite aestimantur et omnem suam efficaciam sortiri possunt. Unde acri reprehensioni subiungitur v. 1 « *Et nunc audi Iacob serve meus et Israel quem elegi :* v. 2 *haec dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus : noli timere serve meus Iacob et rectissime quem elegi* »; — *et nunc* i. e. postquam 43, 28 ruina populi et abiectio et ignominia adeo nervose est proposita, promittitur ex summa miseria salus, cuius fiducia quo certius excitetur, tituli illi proferuntur et continuo apud Deum valere dicuntur, quibus praecellentia summa populi electi continetur (cf. 42, 19; 43, 1); describitur Dei cura et labor assiduus quem a prima populi nativitate ei impendit efficaciter, ut in his documenta exhibeantur et pignora certissima auxilii promissi. Nomina igitur quibus Deus et se et populum compellat uti promissionem firmant, ita amorem et favorem Dei populo peccatis obruto impendi prorsus gratuito efficaciter declarant. Neque sensus mutatur, sive coniungis cum *S. Hier.* ut Deus dicatur *ab utero auxiliator*, sive cum LXX et *Syro* et textus *mas.* accentibus *formans te ab utero* (cf. v. 24; 49, 5); Deus enim populum a primis suis initiis assidua cura erudivit, educavit, edocuit (*formavit*) et semper ei auxiliator, custos et vindex adstitit; « ponitur enim uterus pro principio vitae quia ibi animati sumus et inde in hanc communem lucem evocati vitae nostrae curriculum ingredimur » (*Sanct.*); vel « *ab utero* passim usurpant Hebraei ut Latini *ab incunabulis* » (*For.*). Illa autem initia repetenda sunt a prima populi formatione et ortu, ab Abraham et Sara, a conceptu Sarae praeternaturali; solet enim Isaias saepius usque ad primam illam originem ascendere (cf. 41, 8; 51, 2; 63, 16) et re quidem vera in providentia illa de Abraham et Sara etc. ostensa iam populi electi continetur formatio, iam ei exhibetur auxilium.

Prima populi exordia, uterum matris intelligunt *S. Hier. Cyr. Thom. Pint. For. Lap. Rohl.* neque tamen eodem modo; aliqui enim (*S. Hier. Pint.*) ad Iacob id referunt, qui adhuc in utero matris plantam fratris arripuerit, qua in re etiam Osee praecellentiam quandam Iacob exprimi innuere videtur (cf. ad Os. 12, 3), vel quia antequam nasceretur, iam matri dictum fuerit : maior serviet minori (Gen. 25, 23. Rom. 9, 10. *Pint.*); alii generatim de protectione Abraham patri impensa loquuntur : « uterus hic sumi posse videtur pro prima quasi aetate populi israelitici, quae fuit in Abraham, et tunc sententia facilis est, nimirum in ipso exordio designati populi Deum illius suscepisse curam et in maximo rerum discrimine fuisse auxiliatum » (*Sanct.*), sim. *Lap. For.* : « quando enim non expertus est Israel bonitatem Dei erga se ab eo tempore quo coepit peregrinari in terra Chanaan et in Aegypto »? Alii *uterum* ad exitum ex Aegypto referunt quo scil. tempore populus qua populus Dei natus sit (*Schegg, Kn.*); sed qui afferuntur loci (v. 24; 46, 3; 49, 1; Os. 2, 17) id nequaquam ostendunt; praeterea tempus illud dicitur tempus iuventutis populi vel desponsationis populi (cf. Os. 2, 17 hebr. Ier. 2, 2. Ez. 16, 6) appellatur; adde quod monui Isaiam ad primum populi ortum in Abraham saepius ascendere. — Coniungunt *formans ab utero S. Thom. Pint. Net. Rohl. Hahn, Sein. Del. Naeg. Or.*; alii (*Ges. Hitz. Kn.*) iungunt *ab utero auxiliator tuus.*

Appellatur h. l. populus nomine Ieschurun, uti Deut. 32, 15; 33, 5. 26. De quo nomine ita scribit *S. Hier.* « alio nomine Israelem vocat; Isurun (יְשֻׁרוּן) enim verbum hebr. ceteri εὐθύτατον sive εὐθῆ i. e. rectissimum et rectum interpretati sunt; soli LXX dilectissimum ». Ipse quoque Deut. 32, 15 vertit dilectum. Plerique vocem explicant ex יָשָׁר rectus, probus, ut forma deminutiva sit blandientis compellatio : *gens rectula*; ita *Ges. Hitz. Umbreit, Kn. Naeg.*; alii interpretantur vocem eadem plane notione qua יָשָׁר (cf. *Del.*) vel ut epitheton ornans : populus recte directus a Deo (*Rohl.*) vel populus salute et prosperitate donatus, ita ut ישר sit idem ac אשר (*Hengstenberg, Sein. Hahn*); quae ultima explicatio arbitraria est. Aliter *Fürst C.* vocem concipi posse opinatur : « fortasse vertendum est : gens a rectis oriunda ». *Chald.* vocem constanter exprimit per Israel. Neque deerant qui eam ortam putabant ex Israelun forma pleniore, ita ut sit in compendium redacta more blandientium; unde versio graeca veneta reddit Ἰσραελίσκος, quasi parvulus Israel blando nomine. Verum hanc explicationem hodie iuremerito repudiant. Probabilissimum videtur adhiberi nomen blandum forma deminutiva expressum; blanda enim compellatio quae amorem spirat tenerum, hoc loco bene usurpatur et in tribus aliis quoque omnino requiritur nomen quo Dei in populum amor large effusus declaretur (cf. Deut. 32, 15; 33, 5. 26). Eo vero modo nomina deminutiva apud Hebraeos formari *Naeg.* pluribus prosequitur; comprobatur explicatio veterum versionibus, quas *S. Hier.* recitat.

Appellatio blanda *rectissime* quod nomen secundum hebr. formam habet deminutivam et benevolentiae amorisque compellatio est, quasi latine diceres *dilectule* (*Sanct.*) vel populus meus rectulus, prorsus

apta est qua post reprehensionem factam transitus fiat ad fausta promissa et qua omnis timor et angustia animis eximatur. Hoc etiam blandimento, quo dicendi genere teneros filios parentes appellare et allicere solent (*Sanct.*), Deus praeclare se consolatorem (40, 1) agere manifestat. Atque iuremerito nomen adhiberi blandum, quo Dei amor insignis declaretur, sequentibus probatur, quibus prooemium hoc sollemnius (v. 1. 2) illustratur; v. 3 « *effundam enim aquas super sitientem et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam* » ; — per gradus quosdam oratio ascendit; cf. 41, 17 et seq.; status enim in exsilio, ut bene notat *Sanct.*, durus ille status agro comparatur sterili atque arenti; felicitas quae succedet agro omnium rerum copia et amoenitate vestito; haec autem benedictionis et fertilitatis in naturam effusio, qua forte ad beneficia olim in deserto praestita alluditur, prooemium quoddam est ac symbolum communicationis bonorum divinorum, quae effusione spiritus Dei continentur. Largam fore effusionem symbolo iam declaratur. Spiritu autem Dei effuso et animis infuso designatur novae ac sublimioris vitae radix et fons uberrimus quo animi hominum spiritu Dei imbuti, perfusi, impulsi summam quandam cum Deo induant similitudinem et proinde in ratione sentiendi cogitandique spiritu Dei quoque agitentur et moveantur. Remedium igitur illud hoc loco indicatur quo Deus miserae populi conditioni mederi vult; quod supra dixerat : ego deleo iniquitates (43, 25) iam magis declaratur, quo scil. ablatio iniquitatum et novae vitae recte agendae virtus ac potestas hominibus sit conferenda : nimirum eo quod Deus suum spiritum animis infundat; qua re regeneratio quaedam et innovatio spiritualis habebitur. En, quam apte *nativitas* ex Deo, ex spiritu Dei adumbretur et praeparetur! Praeterea vide Ez. 36, 25-27. Ioel 2, 28. Cur aqua apte in symbolum adhibeatur, bene explicat *S. Cyr.* : « vivifica enim res est aqua et plantas ac gramina facit augescere et quodammodo imitatur sancti Spiritus energiam per quem omnia constiterunt et bene sunt et firmantur et intelligibilis creatura omnium bonorum accessione locupletatur ». Sicut in rerum natura, « auferes spiritum tuum et deficient et in pulverem suum revertentur, emittes spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae » (Ps. 103, 29. 30), ita in vera ac spirituali hominum vita contingit : spiritu Dei effuso omnia laete florescent (cf. *Sanct.*). In animis autem spiritu Dei ad similitudinem et cognationem Dei evectis et transformatis quasi in sua imagine summopere sibi complacet Deus; unde in perpetui amoris ac benevolentiae signum effusionem spiritus subsequitur *benedictio* qua Deus imbutos spiritu suo continuis donis et gratiis benevolentissime et abundantissime exornat et ditat.

Divinae gratiae fluentis potati vitam vivent ubertate virtutum et flore insignem v. 4 « *et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta praeterfluentes aquas* »; — « sic efflorescent et germinabunt, ut inter arbores alias sic emineant, sicut inter humiles et serpentes herbas attollunt se salices ad fluenta plantatae » (*Sanct.*); cf. Ier. 17, 8. Ps. 1, 3. Salices maximam quandam ubertatem eamque fere indelebilem significant; « nam, ut inquit S. Gregorius, tantae viriditatis sunt, ut arescere vel abscissae radicitus et proiectae vix possint; immo arefactae si aquis abluuntur, reviviscunt et quo saepius putantur, eo maiores afferunt usus agricolarum ministeriis » (*Sanct.*), quibus omnibus virorum spiritu Dei animatorum mores et ingenia exprimuntur. Dum populus antea peccatis et misera servitute ita esset obrutus, ut anathemate esset feriendus (43, 28 hebr.) risusque et probri argumentum inter omnes nationes praeberet, iam instauratione per spiritum Dei facta fertilitate spirituali et ubertate eminebit; ecce nova facio omnia!

Neque ibi sistetur; nam « in te benedicentur omnes tribus terrae » et instauratione facta omnis caro videbit quod os Domini locutum est (40, 5) et servus Domini erit in lucem gentium (42, 6); unde sicut propheta in prima parte gentes iri adiunctum ad regnum Dei saepius declaravit (2, 3; 11, 10; 14, 1; 19, 24), ita hoc loco v. 5 « *iste dicet: Domini ego sum, et ille vocabit in nomine Iacob, et hic scribet manu sua: Domino et in nomine Israel assimilabitur* »; — opprobrium ablatum est a populo Dei; gentes certatim magno studio ei se adiungere gestiunt: dum enim Domino nomen dant eique adhaerere se velle declarant, simul ad Iacob et Israel se accedere eique adiungi profitentur; et recte quidem; nam Dominus in familia Iacob se manifestavit et in populo Israel promissa sua reposuit, ergo quicumque horum particeps fieri voluerit, in illam quasi familiam ingredi eique debet associari. Habes idem quod supra 2, 3: ascendamus ad domum *Dei Iacob* et quod Ps. 86 amplissime exprimitur, quicumque in numerum et censum servorum Dei recenseantur, in Ierusalem nasci eos oportere. Quattuor formis illa ad Dei regnum accessio describitur, qua re « eleganti mimesi explicatur multitudo et studium, quo gentes ad fidem convenient » (*Sanct.*); *vocare in nomine* i. e. nomen sollemniter invocare; alius sola quasi oris professione non contentus manu sua scripto testimonio se Domino consecrabit et *gloriabitur* in nomine Israel, nomen hoc cum honore et reverentia usurpabit (hebr.). Vario igitur modo: simplici declaratione, sollemni et publica invocatione, protestatione et attestatione literis consignata, pro sua quisque indole et devotione sese Domino consecrabunt; adsunt enim in regno Dei gradus varii et varia est mensura gratiae qua quisque vocatur;

uni enim quinque traduntur talenta, alii duo et varia quoque adsunt officia et ministeria.

Scribere manu aliqui explicant manui inscribere nomen Iahve, sicuti soliti sint servi nomen heri, milites nomen ducis, cultores nomen idoli fronti vel manui inscriptum aut inustum gerere; ita iam indicat *S. Hier.* : « alius scribet manu sua : Dei sum, sive ut LXX transtulerunt : scribet in manu sua, Dei sum, ut novo tirocinio servitutis Christi se militem glorietur » ; sequuntur *Sasb. Mar. Lap. Calm.* et de hac veterum consuetudine multos locos afferunt *Sanct.* et *Lap.*; eodem modo e recentioribus explicant *Sein. Kn.* et pro ea acceptione *Sanct.* allegat Ez. 9, 4 : signa thau super frontes virorum gementium et Apoc. 7, 3; 13, 16; 14, 1; verum cum in hebr. non legatur עַל יָד *super manum*, id quod iure exspectares in illa notione (cf. Ex. 13, 16), cum insuper eiusmodi incisio nominum lege prohibeatur (Lev. 19, 28 : non incidetis carnem vestram neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis), haec explicatio ut est magis artificiosa et subtilis relinquenda erit. *Naeg.* manum Domino consecrare, quasi scripto consignare i. e. omnia quae efficere ac operari potuerit, Domino devovere explicat; sed phrasin hebr. hunc sensum admittere per se non puto; est utique sensus consequens. Bene iam explicat loquendi modum *S. Cyr.* asserens multitudinem per fidem ad Deum currentium denotari; sensus enim est : alius adscribet nomen suum in catalogum credentium in Deum (*Mald.*) i. e. illi sum mancipatus, illi vivo et servio (*Tir.* sim. *Men.*), « quasi sit allusio ad consuetudinem militum qui profitentur suumque nomen apponunt et iureiurando se suamque fidem et operam imperatori addicunt » (*For.*); sim. *Gord. Sanct.* qui longam de ea re disputationem hisce concludit : « verum simplicius videor esse dicturus, si omnibus modis explicari dicam studium quo aliquis se futurum in alterius potestate significat. Primum id profitetur *ore*, dum libere dicit : Domini ego sum; dein *opere*, dum cultu ipso religioso illum agnoscit et veneratur Deum et se adiungit veris Dei cultoribus; et hoc indicat illud : ille vocabit in nomine Iacob. Tertio quando id ipsum manu seu scriptura confirmat, quasi qui suum nomen militiae aut religioni dat, et hoc ad extremum explicatur : hic scribet... supple : me totum dedico ac consecro Domino et quod externa profitentur specie, id quoque reipsa vere ac studiose praestabunt. Quare perficient, ut nomen Israel otiosum non habeant i. e. assimilabitur, q. d. vero Israelitae quam simillimus esse contendet ». Melius tamen alii *assimilabitur* explicant : cognominabit se, gloriabitur nomine Israel (cf. *Sasb. Mald. Sa, Mar. Men. For.*), id quod ad hebr. quoque prope accedit. Deprehendit *Euseb.* eius rei impletionem « in persecutionibus nostro tempore concitatis; nam multos ex alienigenis gentibus vidimus qui sanctorum virorum nomina usurparent; alius quippe sese Iacobum appellabat, alius Israelem, alius Ieremiam, hic Isaiam, iste Danielem; etenim his sibi adscriptis nominibus ad martyrium pro Deo subeundum cum fiducia et constantia accedebant ».

Ex nexu inter v. 4 et 5 colligitur id quod S. Paulus innuit (Rom. 11, 12) populi Dei sanctitatem maximae fore gentibus utilitati. Hac ergo via populus erit, ut Michaeas loquitur, in medio populorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam (Mich. 5, 7) et benedictio pro omnibus. Atque ad talem dignitatem et ad tale opus Deus se populum evecturum esse spondet eum qui tunc misere prostratus iacet (cf. 42, 22 seq. 43, 28). Hoc est novum illud quod annuntiat et tali vaticinio edito quod suo tempore implebitur gloriam divinitatis suae declarat. Quare promissionis datae documentum ipsam ponit maiestatem suam v. 6 « *haec dicit Dominus rex Israel et redemptor eius Dominus exercituum : ego primus et ego novissimus et absque me non est Deus* » ; — Iahve, Deus foederis, qui ut talis rex est populi theocratici et eius vindex ac redemptor, qualis fuit olim et erit in posterum, Dominus exercituum, cui praesto sunt agmina omnia coelestia et terrestria (cf. ad Os. 12, 5. Mich. 4, 4), cui itaque adest potentia exsequendi promissa : ipse est ab aeterno *primus* et usque in aeternum *ultimus* ita quidem, ut sua potentia omne quod exsistit complectatur neque quidquam sine eo exsistere vel permanere possit; sic revera est *primus* [1] *et ultimus* in ordine exsistentium, uti omnia complectens ita omnia excedens, uti omnia ambiens et circumdans ita super omnia et extra omnia infinite se protendens. Tamquam talis simul est unicus ; unde *praeter me non est Deus* (hebr.), eodem sensu *absque me,* uti *S. Hier.* ipse explicat : « nec dicit se esse solum, sed praeter virtutem suam atque sapientiam nullum esse externum deum deorumque multorum opinionem et simulacra condemnans » ; atque ea significatione *absque* revera usurpatur saepius in *vulg.* (Gen. 28, 9 ; 31, 50) et apud Gellium (cf. *Kaulen,* Handbuch z. Vulg. p. 202). Designatur ergo Deus alpha et omega, principium et finis (Apoc. 1, 8) ; cf. 41, 4 ; 48, 12 ; 43, 11 ; 44, 8 ; 45, 6. 21.

Tali prooemio se professus aeternum et omnia complectentem iam sicut supra 41, 26 et 42, 9 et 43, 8-13 annuntiatione facta disceptationem subiungit, qua ex vaticinio numen divinum colligatur. Unde v. 7 «*quis similis mei? vocet et annuntiet et ordinem exponat mihi ex quo constitui populum antiquum ; ventura et quae futura sunt annuntient eis* » ! — hebr. *et quis sicut ego praedicat ? — et indicet et exponat mihi — ex quo constitui populum saeculi ;* Deus

1. Bene dicit *S. Cyr.* : «Deus enim est principium (ἀρχή) universorum, ipse sine principio (ἄναρχος ὢν αὐτός) et omnia ab ipso ortum habent, ortus autem ipse est a nemine, sed est ὢν καὶ ἐσόμενος; hoc enim est nomen ei et monumentum aeternum in aevum sempiternum ».

se tamquam Deum vivum qui prophetica annuntiatione et praedicatione docuit suos semper praebuit ex quo populum antiquum constituit, quamdiu exsistit genus humanum, populus scil. antiquissimus עַם עוֹלָם ; ita iam LXX ἀφ ' οὗ ἐποίησα ἄνθρωπον, et *S. Hier.* : « quis similis mei ? vocet ea quae non sunt quasi sint et exponat ordinem creaturae meae, qui cuncta ratione libraverim, ex quo feci hominem super terram » ; sim. *Sasb. Pint. Mald. Mar. For. Men. Tir.* ; atque revera Deus iam ab initio vaticinia dedit (cf. Gen. 3, 6. 9) et hoc loco, cum disceptatio sit cum gentibus, populus ille *aeternus* (hebr.) vel prisci temporis, a cuius formatione et deinceps Deus se annuntiationibus vaticiniisque vivum Deum et rerum omnium administratorem probavit, optime genus humanum priscum illud intelligitur; ea enim ratione demonstratio est amplior ac magnificentior atque revera Deus per singula temporum spatia eas dedit sui ipsius manifestationes quae longe lateque innotescerent (cf. de diluvio, de gentium dispersione, de Abraham in Aegypto et in Geraris, de subversione pentapoleos etc.). Verba quoque ad eam notionem apta sunt ; עַם cf. Is. 40, 7 ; 42, 5 ; עוֹלָם Iob 22, 15 dicitur de tempore ante diluvium ; si vero Isaias populum Israel designare vult, semper alia ratione loquitur vel de Iacob, de Israel, vel de populo meo, electo etc.

Neque obstat quod obiicit *Naeg.* Deum in hisce orationibus se semper ut Deum Israel designare et hunc populum velle consolari. Nam prius non est verum ; Deus se ut *omnium* creatorem nominat ; cf. 40, 12 seq. 28 ; 42, 5 ; alterum hoc loco non est ad rem, quia non de consolatione h. l. agitur, sed de demonstratione, deum nullum tutelarem gentium unquam simile quid effecisse, Iahve autem ab exordio mundi se gubernatorem, dominum, rerum futurarum praescium ostendisse. Etiam minus difficultatis habent quae praeterea afferuntur : Israel posse vocari populum aeternum, quia ei soli prae reliquis gentibus foedus divinitus datum sit aeternum (Ex. 31, 16; Lev. 24, 8. Is. 24, 5 ; 55, 3 ; 61, 8 et saepius), sanctuarium perpetuum (Ez. 37, 26), sacerdotium aeternum (Ex. 40, 15. Num. 25, 13 et saepius), regnum aeternum (2 Reg. 7, 13. 16. Ps. 88, 4 etc.) vel quia dicatur : constituisti tibi populum Israel in populum in perpetuum (2 Reg. 7, 24. 1 Par. 17, 22) et Israel revera permansurum esse usque ad consummationem saeculi. Quae omnia uti vera sunt, solum ostendunt *posse* Israel vocari populum aeternum ; non probant revera h. l. *deberi* Israel solum intelligi ; nam hoc loco de populo aeterno sermo est ita ut vox עוֹלָם referatur *ad praeteritum* tempus ; *Naeg.* vero probat Israel vocari populum aeternum propter tempus futurum et durationem futuram, quae duo minime coincidunt. De Israel quoque *S. Ephr. Sanct. Loch, Hahn, Sein. Kn.* explicant·

Admonentur, ut si quid simile iis praesto sit de tempore transacto et de gubernatione idolorum, id in medium proferant; idque eo magis necesse est fiat, si quem deum tutelarem cum Iahve comparare velint; secundo admonentur, ut quidquam de rebus futuris annuntient et ea quidem [1] quae revera eventura sint; ita scil. explica duo illa verba : *futura et quae venient* (hebr.). Fortasse continetur ironia et allusio ad vanas divinatorum praedictiones (cf. 47, 8. 11-13). Itaque Dominus ostendens se ab initio generis humani edidisse oracula et etiamtum de futuris vaticinari revera se *primum* et *novissimum*, omnia praecedentem et excedentem omnia, demonstrat. Talis cum sit Deus, populus Israel secura fiducia et laeta spe tempora prospicere potest futura et si omnia perturbabuntur et gentes trepidae timebunt (cf. 41, 5), non est cur Israel metuat v. 8 « *nolite timere neque conturbemini; ex tunc audire te feci et annuntiavi; vos estis testes mei; numquid est Deus absque me et formator quem ego non noverim* »? — hebr. *numquid est Deus praeter me? et non est petra* (firmum refugium), *non novi* (talem qui sit praeter me Deus ac protector). Cur populus animo non concidat in magna illa gentium perturbatione (41, 2. 14) neque miseram suam et abiectam conditionem ad interitum vergere existimet (42, 22; 43, 28), ratio affertur quia Deus iam dudum annuntiavit quod futurum sit scil. heroem illum venturum, ceteras gentes victurum esse, verum Israel libertati redditurum etc.; atque haec vaticinia esse iam dudum data ipsi testes sunt, testificari possunt et debent. Unde denuo asseritur ea vaticinia iam diu ante impletionem exstitisse et ita nota fuisse, ut fidenter ad totius populi testimonium provocari possit; *ex tunc* מֵאָז tempus indicat longe praeteritum (cf. 45, 21; 16, 13), « maxime *inde a longo tempore* significat, Prov. 8, 22. Ps. 141, 2; hinc *olim, antea* » (ita *Ges.* Thes. p. 59; sim. *Ros. Naeg.*). Quare ut victoria Dei in disceptatione ista invicte coram omnibus pateat, quaestione concluditur : *num est Deus praeter me?* et assertione : *non est petra,* צור saxum [2] saepius vocatur Deus qui est firmissimum sui populi fulcrum, cui immotus inhaerere possit quia ipse est petra inconcussa, refugium tutissimum; huic fundamento immobili theocratia innititur; quare ipsa erit inconcussa; cf. Deut. 32, 4. 15. 37. 2 Sam. 22, 17. Ps. 31, 3; 73, 26; 94, 22 et saepius et supra Is. 17, 10; 30, 29. Quae affirmatio in textu hebr. ironice ab-

---

1. Habet enim ו ante אשר saepe significationem *et quidem,* ita ut quae antecedunt magis declarentur et determinentur; cf. *Ges.* Thes. p. 394 et *Naeg.*

2. Cum *S. Hier.* vertat *formatorem* יוצר legisse videtur; LXX hoc membro carent; *Syrus* et *Chald.* exprimunt *fortem* vel potentem.

solvitur : equidem talem non novi. In *vulg.* sententia concluditur eo modo quo supra : operabor et quis avertet illud? vel « an forsitan creator est alius quem ego non noverim » (*S. Hier.*)? qui me scil. impedire posset vel opera mea maioribus suis destruere? « aut praeter hunc alter est mundus qui ignoti dei monstret potentiam » (*S. Hier.*)?

f) Contra idololatras 44, 9-23.

Cum igitur gloria Dei eiusque administratio rerum humanarum probata sit et magnalia illa ostensa quae Deus pro suis est facturus, apte sequitur, uti 40, 18 et 41, 24. 29, reprehensio idololatrarum qui Deo vivo relicto vana idola de salute et prosperitate rogant. Confusionem et ignominiam eorum iam 42, 17 breviter tetigerat vates; eam gloria Dei declarata et salute magnificentissime descripta quo clarius et efficacius exhibeat, denuo pluribus prosequitur. Atque cum adeo fuse contra cultores idolorum agat, multos eiusmodi adesse in ipso populo theocratico omnino supponi videtur; vates ergo sui temporis necessitatibus consultum esse vult (cf. 2, 8. 9. 20), late autem idololatriam serpsisse tempore Achaz et eam ab Ezechia oppressam denuo maiore vi invaluisse sub Manasse, s. literis satis proditur (4 Reg. 21, 2 seq. 2 Par. 33, 2 seq.). Luctuosa autem illa et repentina sub Manasse ad malum conversione ostenditur tempore quoque Ezechiae fatalem idololatriam animis multorum inhaesisse et in occulto omnino perdurasse (cf. 29, 15) quamvis publicus cultus a rege pio esset impeditus; immo quandoque iterum in publicum prorupisse videtur (cf. 31, 7), dum cultus Dei languebat et solum externo quodam modo perageretur; cf. 29, 13. Quare quocumque demum tempore Isaias haec oracula fudit, utrum sub Ezechia an sub Manasse, disceptatio contra idololatras ex conditione temporis utilis, immo necessaria erat. Hac admonitione oracula de rebus futuris proficua reddit suis aequalibus ostendens hoc quoque modo se munere suo fungi pro aequalibus neque unquam sui temporis oblivisci.

Deo uni asseruit maiestatem divinam et ei soli potentiam iuvandi et salvandi homines v. 8 (hebr.); iam antithesi efficaci et oratoria idola docet prorsus inania esse, nullamque utilitatem, sed confusionem cultoribus afferre ; idque prius sententia enuntiatur generali (v. 9) dein per singula latius probatur et explicatur. Prius igitur in universum argumentum proponitur v. 9 « *Plastae idoli omnes nihil sunt et amantissima eorum non proderunt eis ; ipsi sunt testes eorum quia non vident neque intelligunt, ut confundantur* » ; — *nihil* hebr. תֹּהוּ inane, vanum, maxima quaedam vastitas et desolatio ; animo igitur et intelligentia

plane sunt vacui et totus eorum labor ad inane redigetur iisque summam afferet perniciem et desolationem. Illa autem quae tanto studio tamquam carissima et pretiosissima prosecuti sunt nihil utilitatis eis dabunt; hebr. *et testes eorum ipsi non vident ;* fabricatores idolorum simul sunt testes eorum, idolis dant testimonium ; sed quales testes ? qui scil. ipsi nihil plane intelligunt (id quod in subsequentibus probatur) et animorum stupiditate et tenebris id solum sibi ipsi procurant, *ut confundantur,* ut demum ignominia obruti misere pereant. Iahve sibi formavit populum qui est testis ipsius ; isti sibi formant idola et quae formaverunt ipsi cultu donant iis vim et operationem attribuentes et potentiam adscribentes; eo modo testes sunt pro idolis; at testificatio haec est summe stupida, et sua ipsorum stultitia interitui involventur. Dum Deus eiusque populus gloria et beatitate felices sunt, idololatrae confusione peribunt. Nervose dicitur *ut* confundantur ; cum enim eorum caecitas culpa minime careat, interitum qui ex ea necessario consequitur, iuremerito voluisse et intendisse dicuntur. In *vulg.* id potius efferri videtur : fabricatores idolorum si vera testari velint fateri debere idolis nihil sensus aut mentis inesse (cf. *Osor.*).

Alii *testes* referunt ad ipsa idola quae contra se ipsa testentur : ipsi dii testantur se non esse deos quia non vident et non cognoscunt quidquam; ita *Mar. Malv. I. Troch.* qui ultimum quoque membrum de idolis accipit. Verum plerique verba de fabricatoribus idolorum exponunt, uti iam LXX et *vulg.* ; et profecto in priore explicatione *testes contra se* magis debuit efferri, cum עֵדֵיהֶם hanc notionem habere nequeat ; attamen עֵדֵיהֶם posset intelligi idola ipsa testes esse pro iis scil. cultoribus, suam ipsorum illis testificari inanitatem ; qui sensus vi et efficacia non caret. Sed cum v. 8 dictum sit *vos estis testes mei* et in v. 9 antithetica quaedam ratio ad antecedentia latere videatur, praeplacet plurimorum interpretationi acquiescere.

Idola nihil esse et fabricatores eorum summa laborare stupiditate ex ipso modo quo idola fiunt demonstratur. Interrogatio ponitur, ut ad recogitandum excitentur idololatrae v. 10 « *quis formavit Deum et sculptile conflavit ad nihil utile* » ? — efficacius verti potest hebr. *ut nihil prosit* (cf. *Kn. Del. Net. Rohl.*), ut statim stultitia fabricatoris notetur, qui nihil prodesse posse idolum intelligere debeat et facile possit. Et quantopere nihil prosit statim subditur v. 11 « *ecce omnes participes eius confundentur ; fabri enim sunt ex hominibus ; convenient omnes, stabunt et pavebunt et confundentur simul* » ! — participes i. e. cultores idoli vel socii qui foedere quodam coniuncti sunt cum idolis (cf. *Sanct. Mar. Rohl. Kn. Del. Hahn*), non socii artificum, de

quibus nihil h. l. neque interest, utrum artifices simul cum sociis laborent necne, neque solum qui admovent manum ad idolum fabricandum (*Mald. Men. Malv. Ges.*) intelliguntur. Cur pudefiant, ratio redditur, quia fabri idolorum homines sunt qui ipsi valde debiles et infirmi esse noscuntur (cf. 40, 17; 41, 24). Ergo nihil posse idolum prodesse debebant colligere; quod cum culpa sua non viderent, omnes demum ad debitas poenas luendas congregabuntur, se sistent terrore perculsi et ignominia offundentur. Alii ita quoque sententias iungunt: etsi (omnes, ut confusionem illam avertant) conveniant, tamen pavebunt et confundentur (*Naeg.*) vel verba per modum optantis efferunt (*Del.*), sed certa praedictio magis est ad rem: etsi omnes idololatrae conveniant — ingens sane turba, exercitus innumerabilis — et simul adstent, tamen pavore contremiscent et cum summis opprobriis ruent in interitum (*S. Cyr.*).

Ut vates probet quae dixit de culpa idololatrarum et poena inde debita, iam « per hypotyposin rem prout gerebatur exponit » (*For.*); nam « describit idoloplastarum studium atque consilium in dolandis, cudendis atque conflandis idolis adhibita mimesi adeo vivida atque acri, ut nihil excogitari possit aut illustrius aut significantius » (*Sanct.*). In officinam enim idolorum nos introducit v. 12 « *faber ferrarius lima operatus est; in prunis et in malleis formavit illud et operatus est in brachio fortitudinis suae; esuriet et deficiet, non bibet aquam et lassescet* »; — en, quanti sudoris opus est idolum *inutile*! lima et malleis et igne et fortissimo opus est brachio, ita quidem ut artifex esuriat et vires eum deficiant; ergo labor isque diuturnus et cum damno virium et opum coniunctus; ad vires exhaustas enim reficiendas lautioribus indigebit cibis — et tam parum idolum sui ipsius efformationem iuvat, ut faber si non se cibo potuque reficiat tempore opportuno viribus destitutus lassetur; « fame et siti artificis artis vilitas demonstratur » (*S. Hier.*).

In hebr. primum membrum difficultate non una laborat; deest enim verbum et quid מַעֲצָד significet incertum est. Verbum nobis suggerunt LXX ὤξυνε τέκτων σίδηρον σκεπάρνῳ εἰργάσατο et *Syrus* praebet לטש *exacuit*, uti verbum explicatur in Thesauro syriaco a Payne Smith edito (Oxonii 1883, col. 1935); quare dubium vix erit quin tale verbum suppleri debeat. Cum in textu hebr. praecedat יחד, fieri potuit, ut ob literarum similitudinem excideret verbum חִדֵּד vel quod *Cheyne* ex Prov. 27, 17 praefert הֵחַד (cf. *Sein. Del. Or.*); *Naeg.* nihil excidisse censet, verum יָחֵד imperf. hiphil a verbo חדד ex sententia antecedenti esse huc trahendum. Sed contra hoc dici potest יחד in sententiae antecedentis fine firmum habere fulcrum in LXX ἅμα et apud *Syrum* qui יחד una *et* verbum subsequens *exacuit* legerunt; praeterea cum in subsequentibus solum tempus perfectum occurrat, vix credi potest ab imperfecto esse sen-

tentiam inceptam. מַעֲצָד explicant *securim* (*Mald. Mar. Rohl. Hitz. Ges. Sein. Or.*), dolabram, securim, forcipem (*Mald.*), instrumentum (*Naeg.*); *securim* commendant LXX σκέπάρνῳ et *Chald.* uti videtur, cum eo in loco praebeat חֲצִינָא i. e. ἀξίνη (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. I p. 277). Sed sensus certe non est planus. Ad quid enim faber ferrarius acuit securim? In subsequenti opere quid securi opus sit plane non cernitur. An forte pro artifice lignario v. 13 eam acuit, ut ille possit arborem caedere? Sed de hac re nihil est in textu. *Chald.* sententiam hanc praebet : ex ferro bipennim facit sufflator; sed quid haec sententia sibi velit hoc loco cum de idolis fabricandis agi debeat, non intelligitur. Recentiores textum *mas.* varie vertunt : faber ferrarius fabricatur securim (*Ges.*), ita ut verbum fabricari חָרַשׁ ex substantivo חָרָשׁ suppleri debeat; vel supplendo לוֹ : faber habet dolabram, qua scil. partem ferri ad idolum faciendum in incude a maiore ferri massa separet (cf. *Del.*); vel omittendo ו ante פָעַל vel id negligendo et verba tria ad subsequentia trahendo : faber securim in igne carbonum (in idolum) transformat (*Hitz.*) vel faber (qui in *ferro securis* operatur) — laborat (*Hahn*) i. e. qui in ferro operatur, quod securi vel ascia ex fodinis secatur (?) — etc. Vides quantopere pauca haec verba torserint ingenia multorum. Quid demum erit statuendum? Ex Ier. 10, 3 mihi sequi videtur מַעֲצָד non esse securim vel asciam, sed instrumentum quo ex ligno sculpitur idolum; nam eo in loco vox non refertur ad lignum in saltu caedendum, verum ad artificis laborem qui ex illo ligno efformat idolum. Tale igitur instrumentum *acuit* (quod verbum ex LXX et Syro erit supplendum) faber ferrarius, quo scil. vel partem ferri qua uti velit secet a ferri massa, vel quo postmodum utatur ad ferrum poliendum vel ad ferrum igne subactum in eam quam vult formam et imaginem redigendum et expoliendum. Unde si genus *limae* cum *S. Hier.* intellexeris, forte a vero non multum erraveris. Hoc instrumentum parare oportet antea, ut ferro igne subacto statim ad manum sit, quo ferrum secetur, formetur, expoliatur ad iustam imaginem et nitidam formam. Unde explicatur, cur id primo loco ponatur. Explicatio eadem erit, etsi fabrum ferrarium non idolum fabricari dixeris, sed solum aliqua praeparare ad idolum vel laminis vestiendum vel catenis firmandum et statuendum. Nam ad haec quoque opus erit instrumento quodam acuto vel specie quadam limae, qua omnia laevia et complanata et polita reddantur. — *Syrus* versum hunc in modum reddit : et acuit ferrum faber et dolabra complanat illud et scalpro sculpit illud et operatur illud in fortitudine brachii sui; etiam fame et siti laborat, et non bibit aquam et lassatur.

Iam ad aliam fabricam deorum nos invitat propheta v. 13 « *artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina, fecit illud in angularibus et in circino tornavit illud et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo* » ; — verba *vulg.* bene explanat *Sanct.* : « qui autem ex ligno simulacrum formare studet, norma prius et regula qualis futura sit imago describit ; deinde runcina et scalpro quod in ligno descriptum est informat et polit ; perficit illud angulari mensura et circino prius delineatum rotundat et tornat et tandem exprimit hominis imaginem ». Hebr. ita : *faber lignarius extendit normam* vel lineam, funem scil. mensorium vel filum, regulam qua in ligni trunco metiatur longitudinem et ambitum imaginis quam exsculpere intendit, *delineat illud rubrica* vel minio (ita *Osor. Mald. Mar.*

Malv. Rohl. Sein. Naeg.) : alii : *delineat illud stilo* (ἐν παραγραφίδι *Aq.; ita Ges. Kn. Hahn. Del. Or.)* vel ut fortasse optime cum *Malv.* utrumque coniungamus, designari scil. voce שֶׂרֶד instrumentum quo fabri lignarii utuntur rubrica infectum quod supra ligna ducunt ad formae vel imaginis lineamenta describenda ; postquam id factum est, *efformat illud runcinis ;* nominatur enim instrumentum, quo aliquid defricatur aut abraditur seu dedolatur vel decorticatur (*Malv. Rohl. Sein. Del. Naeg. Or.*) vel efformat illud scalpro (*Osor. Ges.*); dein *et circino delineat illud* vel pressius definit circinum circumducens (*Osor.*) *et efformat* vel perficit *illud sicut viri effigiem, sicut pulchritudinem hominis* i. e. sicut pulcherrimum hominem *ad sedendum domi ;* ut domi collocetur : fortasse cum ironia id additur, valere scil. effigiem ad nihil aliud nisi ut domi locum occupet quasi in carcere inclusa (cf. *S. Hier.*) vel in aedibus et in fano includatur.

Regreditur vates ad primam dei originem, ad causam materialem (*S. Thom.*); statuitur enim in domo vel in templo lignum quod de silva excidit (*S. Cyr.*), quod longo tempore crevit in saltibus et pro varietate arborum cedrus et ilex et quercus vel pinus fuit (*S. Hier.*), ita ut non solum opus quo deus e ligno fingitur sit humano artificio factum, verum etiam ipsa materia humana industria comparata et rerum naturalium viribus effecta (cf. *Osor.*). Unde v. 14 « *succidit cedros, tulit ilicem et quercum quae steterat inter ligna saltus; plantavit pinum quam pluvia nutrivit* v. 15 *et facta est hominibus in focum ; sumpsit ex eis et calefactus est, et succendit et coxit panes ; de reliquo autem operatus est deum et adoravit, fecit sculptile et curvatus est ante illud* » ; — homo pro arbitrio prorsus agit et rerum opportunitate : cedrum, ilicem, quercum caedit *et deligit inter ligna saltus* (hebr. cf. *Mald. Mar. Del. Naeg. Or.*) vel pinum adhibet quam ipse plantavit et pluvia nutrivit. Ipsa igitur materia deorum hominis debetur industriae et pluviae copiae et beneficio. Eadem autem materia porro homo pro lubitu utitur ; inservit ei ad comburendum, ad cibos coquendos, ad furnum succendendum ; etiam de residuo deum fabricatur quem supplex adorat. Lignum ergo quod ipse plantavit, pro lubitu seligit, caedit, ad usus domesticos adhibet, idem lignum ad numinis dignitatem ipse quoque quando lubet elevat idque supplex veneratur. Quanta vero cum stupiditate haec fiant, magis etiam ad oculum proponit v. 16 « *medium eius combussit igni et de medio eius carnes comedit ; coxit pulmentum et saturatus est et calefactus est et dixit : vah, calefactus sum, vidi focum !* v. 17 *reliquum autem eius deum fecit et sculptile sibi, curvatur ante illud et adorat illud et obsecrat dicens : libera me, quia deus meus es tu* » ! — idem quod ad suum servitium

pro lubitu et ad suos usus adhibet, humi prostratus adorat, ab eodem opem et salutem efflagitat, eandem rem vilem pro summo numine et omnipotente rerum omnium gubernatore ac domino compellat! « pars altera formatur in deum, ut opere completo adoret illam factor suus et operis sui imprecetur auxilium » (*S. Hier.*). Hisce ostendit, ut *S. Cyr.* advertit, illos materiam ex qua fierent dei minime ignorasse, ne scil. possent aliqui dicere iuxta graecae nationis opinionem, quae in adytis erant reposita ac dedicata, a Iove delapsa vel coelitus demissa aut sua sponte nata et ex se genita fuisse; eo ergo insipientiae reciderunt, ut sui usus reliquias adorarent. *Videre* focum, *ignem* (hebr.), calorem i. e. sentire, percipere, uti similiter Hebraei dicunt videre mortem, vitam, somnum, famem etc. (cf. Ps. 89, 49. Eccl. 9, 9; 8, 16. Ier. 5, 12 etc.), ergo experiri, ita ut unius sensus perceptio ad omnem corporis animique sensum transferatur. Cum v. 16 dicatur medium esse combustum et altera media parte carnes esse coctas, id quod v. 17 *reliquum* dicitur, vilissimam partem et minimam quoque sufficere dicit ad deum fabricandum, neque requiri partes arboris principales verum plane sufficere ramenta.

Hebr. v. 14 legitur לכרת ad caedendum; sed quid sibi velit : ut caedat cedros, tulit ilicem, nemo dixerit. *Naeg.* vult cedros poni synecdochice pro omni arborum genere tamquam speciem nobilem : ut ligna caedere possit, plantat arbores; sed id gratis asseritur. *Kn.* vult verbum referri ad antecedens, ad notionem *formandi*, quae ratio formandi in eo consistat, ut quis sibi caedat cedros etc. — verum quam coacte id fiat, non eget explanatione. Alii recurrunt ad grammaticam aramaicam, ut notionem *caesurus est* extundant (cf. *Del.*). LXX simpliciter praebent ἔκοψεν; *vulg.* succidit; ergo falso ל esse scriptum pro ו probabilissimum est (cf. *Rohl.*), uti iam *Houbig.* censet. — Alii in v. 14 verbum אמץ non in notione *deligendi* usurpari censent, sed vel *sibi constituere*, signo quodam determinare illas arbores quas caedere vult (*Kn.*) vel quas arbores sibi roboraverat, ad talem magnitudinem educaverat (*For. Rohl. Sein.*); etiam LXX notionem roborandi exprimunt ἐκαρτέρωσεν ἑαυτῷ ξύλον. Notionem *deligendi* iam praefert *Mald.* et eadem notio etiam subesse videtur Ps. 80, 16. 18. Nostro loco sane bene quadrat; nam *crescere facere* (*For. Rohl. Sein.*) non videtur convenire, quia ilices et quercus non peculiari curae hominum substare solent sicut flores in horto et hoc loco lignorum silvae mentio fit, dein etiam quia cum satis lente crescant non idem qui eas caedit easdem e teneris plantis educasse censeri potest.

Vocem תִּרְזָה plerique explicant ilicem; aliam explicationem proponit *Schegg*, bibl. Archaeologie (ed. Wirthmüller, 1886) p. 252; תרז enim non significare *firmum esse*, verum potius *durum esse, aridum, insipidum*; unde vocem esse explicandam de *cerotonia siliqua* — cf. κεράτια Luc. 15, 16 — cuius fructus quidem praeclari non sint, sed lignum ad opera fabrilia quam maxime aptum, quae arbor ab Hebron usque ad Libanum satis frequenter inveniebatur.

Eo autem agendi modo satis patet, quantopere ignorantiae tenebris involvantur idololatrae v. 18 « *nescierunt neque intellexerunt, obliti enim sunt ne videant oculi eorum et ne intelligant corde suo* » ; — i. e. oculi eorum obducti et obstructi sunt, ita ut res quae coram adsunt non videant; media in luce caecutiunt. Verum quomodo ad talem mentis conditionem pervenerint, propheta statim declarat : noluerunt enim sana sua uti ratione et id quod facile cognoscere potuerunt, tamen repudiarunt ; quare illis accidit idem quod S. Paulus de gentibus affirmat : evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum (Rom. 1, 21). Via autem ad summam illam stupiditatem erat haec : v. 19 « *non recogitant in mente sua neque cognoscunt neque sentiunt ut dicant : medietatem eius combussi igni et coxi super carbones eius panes, coxi carnes et comedi et de reliquo eius idolum faciam ? ante truncum ligni procidam* » ? — sana igitur ratione uti debebant et eo ratiocinio quod vates affert. Hebr. *et reliquum eius in abominationem faciam;* abominandum, detestabile, stipites vocabantur idola (cf. Deut. 27, 15. 4 Reg. 23, 13) ; *et ante proventum ligni procidam* i. e. coram eo quod arbore productum est (בוּל cf. Iob 40, 20). Bene ait *S. Hier.* : «nec intelligit vel recogitat, immo nec carnis nec mentis aspicit oculis, quod non possit esse Deus, cuius pars igne combusta est nec hominis manu fieri divina maiestas ; pleniusque super irrisione idolorum propheticus sermo contexitur ».

Concludit propheta irrisionem hanc et reprehensionem per modum epiphonematis v. 20 « *pars eius cinis est ; cor insipiens adoravit illud et non liberabit animam suam neque dicet : forte mendacium est in dextera mea* » ; — hebr. *cinerem prosequitur* [1], *cor delusum est, eum seduxit et non eripiet animam suam et non dicit : nonne mendacium est in dextera mea ?* rem igitur maxime inanem et vanam appetit, ea se animumque suum nutrit ; corde suo stulto seductus est i. e. mente culpa sua obcaecata ; ergo quantopere sint inexcusabiles, propheta urget, uti similiter Sap. 13, 1 et Rom. 1, 20 ; unde simul docet recto usu rationis hominem posse ad veri Dei notionem pervenire. — Eodem modo explica *pars eius cinis est* i. e. talis pro sua parte ac hereditatis sorte cinerem sibi elegit ; videtur *S. Hier.* legisse רֵעֶה *socius* est cinis; LXX : scito cor eius esse cinerem et errant. *Chald.* prius membrum ad idolum

1. Vel ut alii vertunt : qui cinerem prosequitur, cum cor stultum in errorem induxit (cf. *Del. Or.*) vel . qui cinere vescitur, cum seduxit cor deceptum (*Naeg.*) i. e. cinere nutriri, ergo re vana et inani vesci, dum quis putat se frui magno bono. At prior loquendi modus per membra brevia et concisa incedens magis efficax est.

retulit et ita multi verba quoque *vulg.* intelligunt : annon pars altera trunci ex quo simulacrum istud dolatum est in favillam et cinerem extabuit (*Sanct.*) ? pars ligni vel idoli in cinerem conversa est per ignem et tamen cum videat unam partem in cinerem redactam, alteram insipiens adorat (*Mald.*). Dicitur idolum *mendacium* quia id non est quod idololatrae opinantur et quia cultores idoli quam maxime falluntur, decipiuntur, spe excidunt quam miserrime; « omnia quippe in idolis sunt falsa et nomina et gloria » (*S. Cyr.*); *in dextera* est idolum, quia tamquam fulcrum et baculus, cui quis innititur et quo se sustentat consideratur. Aliqui referunt ad dexteram qua idolum fecit (*Mald. Men. Tir.*) vel quoniam in adoratione manum ad os admovemus (Iob 31, 27. *Mar.*).

Idololatriam in ipso populo Dei increbruisse non solum ea quae antecedit irrisione eius patefit, verum etiam adhortatione quam vates subiungit; proinde denuo patet oracula haec edita fuisse eo tempore quo iniquitas haec in regno Iuda longe lateque invaluit; id quod ad Isaiae tempus, non vero ad exsilii finem pertinet; v. 21 « *memento horum Iacob et Israel quoniam servus meus es tu; formavi te, servus meus es tu Israel, ne obliviscaris mei* » ! — memento idolum esse mendacium; similiter Ieremias resipiscentes facit orantes : vere mendaces erant colles et multitudo montium (Ier. 3, 23), ubi scil. cultum idolorum celebraverant; brevi omnes tituli colliguntur quibus populus Deo est obstrictus a tempore patriarcharum, a speciali electione a Deo facta, a cura sibi constanter a Deo impensa; sim. 1, 2 : filios enutrivi et exaltavi; cf. 43, 1; 44, 2; et demum a fidelitate et caritate et misericordia Dei, qua firmo consilio apud se statuit : *non traderis a me oblivioni;* ita ultimum membrum ex hebr. (cf. *Vat. Mald. Malv. Osor.* et plerique recentiorum) dum LXX, *Syrus, Chald.* sicut *vulg.* et ex recentioribus *Hitz. Or.* admonitionem exhibent ne Israel Dei obliviscatur; sed cum in hebr. legatur לא et non אל et cum efficax habeatur oppositio ad initium « memento » et versus quoque subsequens optime adiungatur exhibens documentum amoris et misericordiae Dei, prior versio videtur praeferenda (de suffixo *mihi* cf. 65, 5. Ez. 29, 3. Iob 31, 18).

Veteres legerunt et explicarunt לֹא תִנְשֵׁנִי ; textus *mas.* fert niphal id quod plerique voce passiva exprimunt; pauci tamen etiam niphal esse vertendum censent *ne obliviscaris mei*, uti revera aramaicum אִתְנְשִׁי etiam sensum activum habet; comparant isti niphal verbi cum ἐπιλανθάνεσθαι et deponenti latinorum (cf. *Ros. Hitz.*); at tunc potius אל exspectares; suffixum pro לי positum est, uti quandoque occurrit (cf. *Ges. Umbreit, Ewald, Kn. Stier, Del. Naeg.*).

Atque Deum non oblivioni traditurum esse praeclare ex deletione delictorum ostenditur, in qua remissione quam maxime amor Dei elucet,

cui proprium est misereri semper et parcere; qui enim inimicos in gratiam recipit venia concessa, quomodo amicos derelinqueret vel oblivisceretur? Unde promissionem 43, 25 datam iterat v. 22 « *delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua ; revertere ad me, quoniam redemi te* » ! — denuo tamquam beneficium praecipuum quo instauratio consistat et inauguretur deletio declaratur peccatorum ; ergo effertur indoles spiritualis; *delere* penitus auferre, non solum tegere se dicit peccata « velut caligine quadam et nube depulsa » (*S. Cyr.*); « sicut nubes et caligo et nebula vel solis calore dissolvitur vel vento raptante tenuatur, ita iniquitates tuas dissolvi faciam » (*S. Hier.*). Verum populus quoque huic gratiae oblatae cooperari debet sincero ad Deum reditu, cuius ratio affertur magnum illud *redemptionis* beneficium ; hebr. גאל i. e. Deus quasi propinquus et vindex populi iura populi tuetur et vindicat, eius causam suscipit et ad victoriam perducit, uti fecit in liberatione ex Aegypto, uti promisit se facturum in liberatione ex exsilio unde *redemi te* omnia beneficia praestita complectitur et simul novam de promissis iam datis sponsionem continet et Deum unicum salutis largitorem declarat.

Voce illa « redemi te » cuncta quae hucusque promissa sunt summatim colliguntur; quare recensitis Dei magnalibus et caritate eius ac misericordia in populum demonstrata vates earum rerum excellentiam optime perspiciens et laudes hominum iis celebrandis prorsus esse impares intelligens iam coelos et terram omnesque creaturas invitat, ut Deo maxima cum iubilatione laudis encomia concinant v. 23 « *laudate coeli, quoniam misericordiam fecit Dominus, iubilate extrema terrae, resonate montes laudationem, saltus et omne lignum eius, quoniam redemit Dominus Iacob et Israel gloriabitur* » ! — hebr. *et in Isräel gloriosum se exhibet ;* cf. 43, 7 in gloriam meam creavi eum. Simile canticum laudis subiunxit vates servo Domini et opere eius declarato 42, 10 seq., uti in parte priore cap. 12. 25. 26. 35 ; quo cantico illud a seraphim annuntiatum « plena est omnis terra gloria eius » in opus deducitur. Compellatio coeli et terrae rerumque inanimatarum et ingentem affectum vatis declarat et maximum desiderium ad vivum exhibet quo infinitas Deo laudes ab omnibus reddi exoptat ita, ut universa creatura toto conatu unice se in Dei praeconia impendat. Neque talis invitatio solum figura quadam poetica consistit. Nam Dei redemptio etiam in ipsius creaturae glorificationem redundabit (cf. 11, 6; 30, 23; 35, 1; 41, 18; 43, 20); ergo revera in ea gloria Dei et laus resplendebit. Ea dein loquendi forma, ut *Sanct.* adnotat, optima continetur captandae et acuendae attentionis ratio, est rei amplificandae modus prophetis familiaris, ut si quando res est magna, sive ad gratulationem et laudem, sive ad offensionem seu

commiserationem quasi non satis sit rationalis natura ad exsolvendas laudes aut ad deplorandum infortunium aut ad amplificandum scelus, creaturae quoque quae sensu et vita carent ad laudem sive ad luctum et querelam advocentur. Exempla habemus in Scriptura obvia in hoc propheta 1, 1 et Deut. 32, 1 et in psalmis quamplurima et illustre illud trium puerorum apud Danielem cap. 3. Ita ille. Harum vero laudum et argumentum et ratio constituitur in Dei misericordia, in redemptione ab ipso facta et in gloria illa qua in Israel, in medio populo suo se reddit conspicuum, ex qua gloria splendor quidam et beatitas in ipsum populum redundet necesse est; quare quod LXX et *vulg.* habent : *Israel glorificabitur* consequitur ex textu hebr. quem *Syrus, Chald.* et secundum *Procop.* reliqui quoque interpretes exprimunt : *in* Israel glorificabitur. In hebr. pulchre coelis opponuntur *infima terrae,* profunda terrae, תַּחְתִּיּוֹת quae vox cum saepius de orco vel de scheol (limbo) adhibeatur (cf. Ez. 26, 20; 32, 18. 24. Ps. 63, 10 hebr.), etiam optime hoc loco ita intelligitur usurpata (cum *Sanct. Lap. Kn. Hahn*). Ita enim oppositio adest ad coelos, ut laus Dei revera dicatur penetrare summos coelos et ad ima quoque loca, in quibus animae patrum congregatae sunt pervadat; ita quod praecipuum est, redemptionem illam et salutem quam Deus promittit, etiam pertinere ad pios iam vita functos declaratur iisque vita nova et in Dei laudibus beata indicitur; uti supra 24, 23 et 26, 19 Dei lucem ad mortuos usque penetraturam eosque nova vita illustraturam dixit, ita hoc loco qui iam versantur in scheol opus Dei celebraturos esse innuit. Unde elucet perperam obiicere *Sein.* alias orcum describi locum tristem (Ps. 6, 6).

Cum Isaias saepe oracula cantico quodam laudis et gratiarum actionis concludere soleat (cf. cap. 12. 35) et cum 42, 10-12 similis legatur ad laudem Dei adhortatio et quae dicuntur v. 23 optime beneficia eousque recensita concludant, hoc loco finem sermonis esse ponendum censeo. Ita sermo iste optime conformatur ad priorem 42, 1-12 et simili clauditur cantico. Aliqui tamen v. 21 et seq. ad sequentia trahunt. At ab ista gratiarum actione sermonem inchoari vix credibile videtur; adde quod « memento horum » vix aptum sit sermonis initium, adde quod v. 23 *laudate coeli quia fecit Iahve* (hebr.) absolute dicitur, id quod in fine sermonis maximis beneficiis recensitis apte, immo cum emphasi dicitur, num eodem modo in initio? Canticum demum gaudii, exsultationis, iubilationis tale adeoque amplum, ut coeli et abyssus et quae in terra sunt, montes, silvae, arbores ad Deo laudes summa laetitia concinendas invitentur, optime fluit postquam beneficia insignia sunt explicata, uti fit a 42, 13 seq., sed nonne potius mirandum esset ab eo carmine sumi initium? In nostra autem divisione consideratio haec libe-

rationis utriusque qua Deus eius auctor primarius celebratur optime absolvitur carmine laudis, quod ipsum propterea decantari dicitur, quia Dominus *redemit* Iacob et quia in Israel *glorificabitur*. In priore quidem liberatione Deus glorificatus est in Israel per Cyrum, qui traduxit vocem in omni regno etiam per scripturam dicens : omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli et ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ierusalem etc. (Esdr. 1, 1. 2); et de liberatione messianica ipse annuntiat Messias : Pater, ego te clarificavi super terram (Ioan. 17, 5).

Uti Isaias h. l. ita similiter quoque alii auctores sacri de idololatrarum stupiditate loquuntur ; cf. Ier. 10, 3. Ps. 95, 5 ; 113, 3 ; 134, 15. Baruch 6, 3. Sap. 13, 10. Erantne igitur gentes revera adeo stupidae, ut aurum, argentum, saxum, lignum adorarent? Certum est accusationem illam veritate nixam fuisse ; alias enim prophetis facile responderi potuit rem se aliter habere, et tota illorum disceptatio potius in contemptum prophetarum versa esset. Deinde bene dignum est quod notetur, apologetas primorum saeculorum qui contra gentiles scripserint, eodem modo loqui neque minus eandem gentibus stultitiam exprobrare. Ita v. g. legitur in epistola ad Diognetum, quam saeculo p. Ch. secundo plerique attribuunt (cf. *Funk*, Opera patrum apost. I p. CI) : « age, non solum oculis sed et mente conspicias, cuius substantiae aut cuius formae sint, quos vocatis et existimatis deos. Nonne alius lapis est ei similis qui calcatur ; alius est aes, non melius quam quae in usum nostrum fabricata sunt vasa ; alius lignum, iam etiam putridum ; alius argentum, cui opus est homine custodiente, ne furto auferatur ; alius ferrum rubigine corruptum ; alius testa nihil praestantior ea quae ad abiectissimum ministerium facta est? Nonne ex materia corruptibili sunt haec omnia? Nonne ferri et ignis ope fabricata? Nonne eorum aliud sculptor lapidum, aliud faber aerarius, aliud argentarius faber, aliud figulus finxit? Nonne, priusquam artibus horum in formas istorum effecta sunt, unumquodque eorum ab unoquoque, idque etiam nunc, transformabatur? Nonne quae nunc ex eadem materia sunt vasa, si eosdem artifices nanciscerentur, similia talibus reddi possent? Nonne haec rursus quae nunc a vobis adorantur, possent ab hominibus vasa fieri reliquis similia? Nonne surda sunt omnia? nonne caeca?... Haec deos vocatis, his servitis, haec adoratis ; idcirco odistis christianos qui hos esse deos non arbitrantur » (cap. 2; *Funk* l. c. p. 312. 313). Similia prosequitur *Tertullianus* (Apologet. 12 ; *M.* 1, 339 seq.), *Theophilus* (ad Autol. 2, 2) ; plura de ea re vide collecta ex apologetis in dissertationibus scriptis a *Nourry* ad Apologeticum Tertulliani (*M.* 1, 1128 seq.) et de Minucii Octavio (*M.* 3, 626), vel vide *von Haneberg* (Religioese Alterthümer der Bibel p. 76 seq.), *Brück* (Lehrbuch der Kirchengeschichte, 3 ed. p. 133).

Verum quidem est huiusmodi accusationibus etiam a gentibus oppositum esse illud : deos per simulacra veneramur (cf. *Arnobius*, adversus gentes 6, 9 ; *M.* 5, 1180) ; idem opposuit *Iulianus* (cf. ep. fragm. apud *Spanh.* I, 293 seq.). Sed nihilominus ex iis quae *Arnobius* de sua sentiendi ratione nos docet, disci-

mus quomodo iure merito illa gentibus sint obiecta : « venerabar, o caecitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus taenias; si quando conspexeram lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis praesens, adulabar, affabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco, et eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram afficiebam contumeliis gravibus, cum eos esse credebam ligna, lapides atque ossa aut in huiusmodi rerum habitare materia » (1, 39; *M.* 5, 767). Censebantur ergo dii habitare in simulacris et simulacris ipsis consecratione facta quando in templo vel in aedibus collocabantur vis quaedam divina vel numen inesse credebatur (cf. *Tertull.* l. c; ep. ad Diognet. l. c.). De qua re nos ii quoque docent qui apud Ciceronem de Verre talia queruntur : sese iam ne deos quidem in suis urbibus ad quos confugerent habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris sustulisset (orat. 4 in Verr.); similia apud senatum romanum querelarum in loco dicta fuisse Livius refert (38, 43) : templa spoliata, simulacra deorum, deos immo ipsos convulsos ex sedibus suis; quos adorarent, ad quos precentur et supplicent, Ambraciensibus non superesse (cf. *Nourry,* de Minucii Octavio dissert. cap. 21; *M.* 5, 625 seq.). Idem nobis testimonio Minucii proditur, qui in Octavio cap. 23 (*M.* 5, 311) ita loquitur : « deus ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio suspenditur, caeditur, dolatur, runcinatur, et deus aureus vel argenteus de immundo vasculo saepius.... conflatur, tunditur malleis et incudibus figuratur et lapideus caeditur, scalpitur et ab impurato homine laevigatur; nec sentit suae nativitatis iniuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione culturam, nisi forte nondum deus saxum est vel lignum vel argentum. Quando igitur hic nascitur? ecce funditur, fabricatur, sculpitur; nondum deus est; ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc deus est; ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremo deus est, cum homo illum voluit et dedicavit ».

5. *Oratio quinta* 44, 24-45, 26.

Arg. — Deus maiestatem suam ac potentiam professus confutatis divinationibus se vaticinia data de instauratione urbis et oppidorum Iuda et templi edicit esse impleturum, ad quod opus elegit Cyrum (44, 24-28). Huic autem subiicit regna et gentes praeclaris victoriis propter populum suum electum et ut gloria Dei omnibus innotescat. Hoc opus Dei maximis desideriis exspectatur a piis; vae illis qui illud impedire vel ei obsistere audent (45, 1-10). Deo potentissimo ita disponente Cyrus permittet, ut populus redeat ad sedes patrias; qua in re consilium Dei in id tendit, ut omnes gentes gloriam Dei et bona regni Dei agnoscentes et salutem praeclaram desiderantes abiecta idololatria cultum Dei profiteantur (45, 11-17). Tale vero consilium Deus iam olim et palam annuntiavit; quare aequum est, ut omnes divinam eius venerentur maiestatem eique plane adhaereant, a quo solo salus et beatitas est exspectanda, qui

cultum adorationis exigit, inimicos delebit, suos glorificabit (45, 18-26).

Postquam vates cap. 41, 1-42, 12 duos descripsit quos Deus ad opus suum peragendum elegit et 42, 13-44, 23 hoc opus Dei in se et in suis effectibus consideravit, iam in hac oratione ad priorem illum redit heroem, de quo 41, 2 sermonem instituit et quae ibi lineamentis generalibus adumbrata sunt, iam accuratius et per singula prosequitur. Quare in libro prophetico optimus cernitur nexus et progressus in rerum singularum explicatione. Iam enim nobis describitur ille liberator magisque determinatur, immo nomine designatur; quale opus sit perfecturus ope Dei adiutus discimus et ad quem demum finem haec omnia benignissimo Dei consilio sint dirigenda edocemur; Deum cernimus rerum omnium moderatorem supremum qui populo suo liberationem ex exsilio molitur, eam vero initium esse vult et praeparationem quandam ad regnum Dei universale constituendum et ad gloriam suam et salutem omnibus manifestandam. Uti in priore parte (34, 16) et in hac altera frequentius, iterum vates admonet oracula data esse diu ante impletionem et inde praeclare illustrari maiestatem divinam.

a) Ad quale opus Cyrus eligatur 44, 24-28.

Annuntiationem de opere liberationis futuro propheta ita praeparat et introducit, ut prius ex altissimis rationibus progressus describat, qualis sit Deus quoad populum suum et qualis eius maiestas ac potentia in omnium rerum ordine; v. 24 « *Haec dicit Dominus redemptor tuus et formator tuus ex utero : ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram et nullus mecum* » ! — hebr. *goel* i. e. qui tamquam cognatus et propinquus vindex est iurium tuorum et redemptor tuus iam olim erat ex Aegypto ; cf. 41, 14 ; 43, 1. 14 ; 44, 6. 22. 23 ; qui a primo initio hunc sibi populum peculiari suo interventu creavit et per varios rerum eventus eum formavit, duxit, educavit ; cf. 43, 1. 21 ; 44, 2. 21 ; ab *utero* vide 44, 2. Hisce ergo titulis *Iahve*, Deus foederis, quam maxime profitetur ex rerum gestarum serie quantae sibi curae sit populus. Dein ostendit se summa praeditum esse potentia ad consilia sua exsequenda ; primo summatim cuncta complectens sese vocat perficientem et operantem omnia ; dein haec per singula declarans rerum illarum effectionem commemorat quae maxime potentiam sensibus exhibent, coelorum expansionem et terrae firmam stabilitatem; ex summis et infimis par eius elucet potentia ; eaque *solus* effecit ; hebr. (kethib) *quis mecum* ? quam lectionem iure merito complures praeferunt (cf.

Malv. IV. Rohl. Kn. Hahn, Naeg.) prae alia *ex me* i. e. mea virtute et fortitudine, uti *Chald.* explicat, vel *solus* ea praestitit, uti habent LXX et *Syrus*; ceterum cf. 40, 13. 14. 22.

Uti in effectione mundi adspectabilis se potentissimum declarat, ita quoque sapientia et potentia omnes vincit et longissime superat, quicumque demum inter homines suam iactant sapientiam v. 25 « *irrita faciens signa divinorum et ariolos in furorem vertens ; convertens sapientes retrorsum et scientiam eorum stultam faciens* » ; — primo commemoratur sapientia magicis artibus debita, quae utpote humanam longe excedens et a diis profecta maiori est admirationi et timori apud gentes ; deinde aliam quamcumque confusum iri et superatum indicatur. Proinde iam opus indicatur, quod incantatores quibus Chaldaei abundabant (cf. 47, 9) nec suspicari nec avertere poterunt, ita ut omnia eorum signa, indicia, ex quibus augurari solent et quibus sibi fidem et auctoritatem conciliant, penitus evanida ostendantur ; unde cum res aliter plane cesserit, arioli tamquam stulti et mente capti et insania abrepti ab omnibus habebuntur. Signa illa et auguria in hebr. dicuntur signa בַּדִּים i. e. auguria mendacia vel auguria hominum mendacium [1]. Reliquam quoque prudentiam confundit ; ergo a nullo opus eius impediri posse praeclare ostendit.

Incantatoribus gentilium et sapientibus pudefactis Deus quae praedixerat opere complebit v. 26 « *suscitans verbum servi sui et consilium nuntiorum suorum complens ; qui dico Ierusalem : habitaberis, et civitatibus Iudae : aedificamini, et deserta eius suscitabo* » ! — dum reliqua, idola scil. cum suis divinationibus et humanae prudentiae subsidia pudefiunt, Deus suum *statuit* verbum quod servo suo Israeli miserat et quod per suos nuntios annuntiaverat consilium perficit et opere exsequitur. Hoc autem verbum et consilium iam determinatur, cum Deus dicat ad Ierusalem : *habitetur* (hebr.) et ad urbes Iuda : *aedificentur* (hebr.) et Deus ruinas se erecturum esse promittit. Iam determinata prorsus vaticinia proponuntur. Hisce declaratur instaurationem hanc veluti primum esse gradum ad ea perficienda quae a cap. 42 dicta sunt. Forma loquendi brevi suo et conciso modo divinam victoriam optime describit ; « dixit et facta sunt ; mandavit et creata sunt » ; uti olim dixit « fiat lux et facta est lux », ita in nova rerum instauratione verbum suum non minus efficax fore ostendit.

1. LXX praebent σημεῖα ἐγγαστριμύθων. Quantopere artes magicae apud Chaldaeos in usu fuerint, cf. *Lenormant*, la magie chez les Chaldéens.

Quis h. l. nominetur *servus*, non apud omnes et inter omnes constat. Cum Israel iam saepius servus Domini vocatus sit et cum 42, 19 eodem modo et servi et nuntiorum mentio fiat, probabilissimum videtur intelligi populum, ad quem verbum illud mittitur. Praeterea non consultum videtur nomine hoc quod in hisce orationibus toties occurrit et quod certissime iam duplici significatione usurpatum est (de servo Domini 42, 1 et de populo) iam tertiam quandam notionem exprimi. Uti ergo consilium Dei per prophetas annuntiatum dicitur *consilium nuntiorum*, eodem modo verbum ad Israel factum et pro Israel promulgatum dicitur *verbum servi* i. e. quod est servi, ad eum quam maxime spectat et pertinet. Quare loquendi modus huic acceptioni minime obstat. Eam tamen a paucis video proponi (*Rohl. Del. Or.*). Plerique ipsum intelligunt Isaiam (*Theod. For. Mar. Men. Tir. Osor. Calm. Hahn, Naeg.*), qui utique 20, 3 servus dicitur, attamen nomine apposito et qui hoc loco clarius debuit designari, quia in istis orationibus populus eo nomine appellatur. Alii generatim prophetas dici volunt (*Pint. Mald. Troch. Sein.*), sed tunc molesta creatur tautologia; alii Messiam vocari censent (*S. Cyr. Euseb. Sasb. Sanct. Net. — S. Thom.* Moysen vel Christum —), qui quamvis 42, 1 servus vocetur, tamen hoc loco cum *verbum* vix aliter quam de opere a Cyro complendo intelligi debeat, non videtur ita posse nominari; nam de expugnatione Babylonis sermonem institui, etiam divinorum et ariolorum mentione facta suadetur (cf. 47, 12). Demum *Lap.* Cyrum ita appellari opinatur; Moysen *S. Ephr. Barh.*, cum praedixerit illos usque ad fines terrae iri dispersum.

Sed ut Ierusalem habitetur et civitates Iudae aedificentur et deserta erigantur, opus est ut impedimenta removeantur; unde v. 27 « *qui dico profundo : desolare ; et flumina tua arefaciam* »! — proxime divina designatur potentia ad impedimenta liberationis removenda, uti 11, 15; 37, 25, cum allusione ad priorem liberationem ex Aegypto et ad maris transitum sicco vestigio factum (cf. 51, 10; 43, 16). Unde *Mald.* : « solo iussu profundissimas aquas arefacio i. e. qui facio quaecumque videntur fieri non posse » et *Osor.* : « qui profundo mari ut exarescat praecipio ; qui fluminum alveos ut exsiccentur et meis tutum transitum praebeant imperio cogo » neque abludit *S. Hier.* : « arefaciam omnem regum potentiam ». Atque ipse propheta iam saepius declaravit profunda aquarum non fore impedimento ; cf. 42, 15 ; 43, 2. 16, ubi transitum per mare rubrum respicit 43, 17. Sed cum reditum e Babylone ob oculos habeat, praeter generalem illam explicationem facile deprehenditur aquas et flumina etiam propterea rite poni quia, ut *Malv.* bene notat, Babylonem palustrem in qua Iudaei demersi quodammodo et sepulti erant futuri, ita comparabit, ut commode ex ea liberentur Iudaei. Immo cum teste Herodoto (1, 189. 191) Cyrus Euphratem fluvium magnam partem in lacum ad Sepharvaim deduceret et ita alveo fere exsiccato

milites in urbem subintrarent [1], plerique interpretes verba illa de hoc quoque eventu dici censent. Id sane certum est verba ita seligi, ut haec quoque expugnationis ratio in tanta verborum amplitudine videatur apte comprehendi (cf. *For. Lap. Sanct. Men. Tir. Calm. Troch. Rohl. Del. Naeg. Or.*). Alii tamen solum vastationem urbis clademque declarari volunt, ita « ut Babylon non ultra consistat sed neque flumina eius vi multitudinis multum valentia » (*Euseb.* sim *Mar.*) vel ut *Theod.* et *S. Cyr.* explicant : « abyssum hoc loco dicit Babylonem (id quoque *S. Hier.* —), flumina eius habitatorum frequentiam » (*Theod.*); *S. Ephr* : « elevabit manum suam super Euphratem ».

Denique opere determinato (v. 26) et assignato modo quo erit exsequendum (v. 27) iam ipse ille nominatur qui futurus sit instrumentum Dei (*Malv.*) v. 28 « *qui dico Cyro : pastor meus es et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Ierusalem : aedificaberis, et templo : fundaberis* » ! — cum populus Dei saepe gregis nomine et symbolo appelletur et cum iam 40, 11 reditus populi tamquam reductio gregis descriptus sit et Dominus ipse tamquam pastor, is quoque quo Deus usurus est ad priorem liberationem efficiendam apte compellatur pastor, « quia populum iudaicum ita suscipiet deducetque in patrias sedes et antiqua septa sicut pastor in pascua nota et magis opportuna gregem reducet » (*Sanct.*). Quare hac appellatione ipsa Cyrus declaratur instrumentum et minister eius qui « sicut pastor gregem suum pascit, in brachio suo congregabit agnos « (40, 11); praeterea iudices et reges theocratici dicebantur et iubebantur populum pascere (cf. 1 Par. 17, 6; 11, 2. 2 Reg. 5, 7; 7, 7 etc.); pastores populi populum afflixerunt, disperserunt, occiderunt (cf. Ier. 10, 11; 12, 10; 23, 1. Ez. 34, 2. Zach. 11, 5 etc.) et periodus instaurationis per unum efficietur pastorem et tum Deus dabit gregi suo pastores iuxta cor suum (cf. Ier. 3, 15; 23, 4. Ez. 34, 23; 37, 24. Mich. 5, 5).Quare Cyrus qui tamquam prior liberator redemptori messianico comparatur apte quoque ut eius quasi prodromus et typus pastor appellatur; qui tamquam talis, ut advertit *S. Ephr.*, magno cum honore Iudaeos redire facit iisque magna adimplet bona, cuius cum Messia similitudo in eo quoque cernitur, quia Cyrus pastor templum aedificare iubetur, sicut de pastore messianico dicitur : « et ipse exstruet templum Domino » (cf. ad Zach. 6, 13) qui ut alter Salomon rex pacificus templum Domini fundavit i. e. Ecclesiam. Hac igitur appellatione Cyro munus quoddam assignatur theocraticum, id quod statim accuratius determinatur : *et omnem voluntatem meam*

---

1. De qua re vide quae late exponuntur in Civiltà cattolica, 1883, XII, 4 p. 668 seq.

complebit (hebr.) i. e. qui consilium Dei de populo exsequitur; qua in re statim additur in hebr. : *et quidem dum dicit* Cyrus vel pastor *ad Ierusalem : aedificabitur et ad templum : fundaberis.* Ita hebr. rite intelligitur (cf. infra) et ita verba quam optime ipsi eventui respondent. Cum allocutio fiat ad templum hoc opus tamquam primarium declaratur et revera directe et per se in Cyri decreto solum mentio fit templi : « et ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ierusalem quae est in Iudaea » (Esdr. 1, 2); in hac autem permissione etiam urbis aedificandae veniam contineri et res ipsa suadet et addito illo *in Ierusalem* satis indicatur. Etiamsi haec omnia Cyri tempore minime sunt ad exitum perducta, tamen Cyri decretum instaurationis efficax dedit initium.

Oraculum hoc quam maxime insigne est eo quod ipsum Cyri nomen effertur. Non desunt tamen et pauci quidam etiam e catholicis qui nomen hoc additum esse contendant tempore posteriore tamquam glossema. Verum haec sententia omnino est repudianda; rationes autem quibus nomen hoc huic oraculo esse genuinum ostendi potest potissimum hae sunt : in ipso oraculo 45, 3. 4 bis cum emphasi effertur : *qui voco nomen tuum, vocavi te nomine tuo* i. e. nominatim te vocavi, vel appello te nomine tuo, qui te nominatim designo (cf. *Ros. Ges.* Thes. p. 1231. *Naeg.*). Ipsa sententia uti est h. l. conformata nomen exigit; omitte enim nomen et statim mancam esse enuntiationem et hiulcam senties; nam : *qui dicit : pastor meus et omnem voluntatem meam implebit,* sed statim lacuna deprehenditur; nam cui dicit? quis demum est pastor meus? nemo in antecedentibus ita erat designatus; modus loquendi *qui dicit* in v. 26. 27. 28 occurrit saepius et semper additur *cui* dicatur : qui dico Ierusalem, civitatibus Iuda, profundo, Ierusalem (templo); ergo etiam nostro loco eo ipso iam exspectatur, ut is cui dicatur *pastor meus* etiam designetur. Neque legere poteris : qui dico pastori meo; nam quaestio recurrit : quis est pastor? dein sententia non cohaeret : qui dico pastori meo *et* omnem voluntatem complebit; illud *et* ostendit antea quid dicatur fuisse revera expressum, ut sententiae prorsus parallelae in hoc eodem loco manifestum reddunt; compara enim : qui dico civitatibus Iudae : aedificabuntur *et* deserta eius... qui dico profundo : exsiccare *et* flumina tua arefaciam. Neque omittendum est quod Iosephus narrat (Antiq. 11, 1, 2) et ipso decreto Cyri, uti apud Esdram legitur valide confirmatur, Cyro hunc prophetiae locum fuisse ostensum et nomen eius ab Isaia praedictum, qua re motus fuerit, ut faceret imperata : ταῦτ᾽ οὖν ἀναγνόντα καὶ θαυμάσαντα τὸ θεῖον ὁρμή τις ἔλαβε καὶ φιλοτιμία ποιῆσαι τὰ γεγραμμένα; et si in eius decreto legitur *praecepit mihi* (Esdr. 1, 2), id facillime explicatur, si revera nomen erat appositum. Iam si Cyro nomen est ostensum, Cyrus sane non est censendus potuisse

decipi recentissima nominis in textum insertione, cum facillima esset inquisitio et maxime obvia, utrum hoc oraculum tali forma enuntiatum iam antea fuerit notum necne. Demum adde tale glossema hoc loco additum non futurum fuisse explicationem alicuius rei, verum fraudem manifestam et mendacium turpe; nam tali glossemate necessario ingesta fuisset legentibus sententia ipsum nomen fuisse a propheta praedictum; proinde Deum ipsum hoc nomen voluisse manifestare per prophetam quo eius praescientia et numen divinum illustrius appareret. Iam vero cum in hisce orationibus toties ad vaticinia vera provocetur ut maiestas divina probetur contra idola, quis censendus est ausus fuisse falsum confingere oraculum et ita Domini maiestati hanc inferre iniuriam et blasphemiam, ut videatur verus Deus oraculis post eventum fictis suam probare divinitatem? Nonne talis « glossator » maiestatem Domini in eodem cum idolis et sacrificulorum gentilium fraudibus ordine et censu collocasset? An credi potest talem unius glossatoris fraudem ita invaluisse, ut omnia prophetiae exemplaria occuparet indeque in omnes veterum versiones irreperet?

Neque verum est quod aliqui urgent, nomen particulare praedici adeo esse singulare, ut iam ea de causa suspicio interpolationis oriatur. Nam non est adeo singulare; iam *Barh. Malv.* aliique monent 3 Reg. 13, 2 narrari praedictum esse nomen Iosiae; praedicta sunt nomina Ioannis, Iesu, dum mandatum datur, ut ea nomina imponantur; sed etsi esset plane singulare, quid inde? Etiam reditus ex Babylone rege favente eventus est sat singularis, neque cernitur quare Deus ut se manifestaret Cyro et gentibus non uti potuerit tali vaticinio vel etiam velle, ut hoc vaticinio Cyrus moveretur ad reditum concedendum. Si aliqui censent versum hunc 28 iam non pertinere ad contextum et nihil aliud esse quam repetitionem ex v. 26 petitam cui res illa particularis de Cyro ex eventu addita sit, falsum asserunt; nam opere Dei annuntiato v. 26 subditur in v. 27 remotio impedimentorum vel si malueris modus quo opus illud inaugurandum et in v. 28 designatur ille quo Deus usurus est; ergo nexus adest et optimus quoque orationis progressus et simul apta prolusio ad subsequentia, in quibus Cyrus eiusque victoriae secundum lineamenta 41, 2 data describuntur. Immo si subsequentia attente consideraveris, versum nostrum v. 28 plane dixeris necessarium; etenim *quid* unctus ille quem Dominus apprehendit etc. pro Israel facturus sit, in subsequentibus non dicitur; ergo 45, 4. 6, quid sibi velit *propter servum meum,* etiam quid sibi velit *ut sciant hi...* et cur 45, 8 tanto desiderio iste victor qui omnia conculcat expetatur, non commode explicare poteris si v. 28 a textu abesse tibi finxeris. Denique nomen Cyri esse genuinum et pertinere ad versum etiam ex eo confirmatur, quia,

uti *Gietmann* demonstravit (de re metrica Hebr. p. 60. 61), altera haec Isaiae pars versibus constat heptasyllabis; iam vero ut id habeatur etiam pro v. 28 necessario Koresch requiritur; ergo immerito suspicio movetur de glossemate. Haec ratio, uti nullius erit momenti pro illis qui omne metrum Hebraeis negant, ita aliis qui metricam rationem eandem quae apud Syros etiam Hebraeis usui fuisse censent haud spernenda esse videbitur.

Nomen Koresch, Κῦρος in inscriptionibus persicis legitur Kurusch, in medicis Kuras, in assyriacis Kura (cf. *Vigouroux* l. c. IV p. 509). Ktesias nomen notione solis explicat, quae tamen explicatio a recentioribus viris doctis, uti Westergaard, Lassen, Spiegel, repudiata hodie communiter tamquam falsa et ficta relinquitur.

Ultimum versus membrum aliqui cum *Sym.* vertunt : et templum fundabitur (*Rohl. Sein. Del. Or.*). At iure merito alii (cf. *Net. Ges. Hahn, Kn. Naeg.*). retinent alterum *et ad templum : fundaberis* (*Net :* et tu templum fundaberis); nam cum הֵיכָל ubique masc. gen. esse appareat תִּוָּסֵד debet explicari per secundam pers. et prorsus arbitrarium est pro hoc uno loco statuere vocem esse iunctam cum gen. fem. ; ex membro antecedente facile repetitur לְ *ad.* LXX exprimunt in verbo primam personam : et domum meam sanctam θεμελιώσω ; *Syrus, Chald.* et teste Procopio *Sym.* quoque exprimunt tertiam pers. : templum fundabitur. LXX Cyrum non vocant pastorem, sed praebent ὁ λέγων Κύρῳ φρονεῖν, « *ut sapiat ;* cuius differentiae causa manifesta est. Verbum enim hebr. *roi* si per *res* literam legamus intelligitur *pastor meus,* si per *daleth sciens* vel *intelligens meus,* quarum similitudo parvo apice distinguitur ac per hoc saepe confunditur » (*S. Hier.*) ; teste Procopio *Sym.* vertit ποιμήν μου. Idem habet *Syrus; Chald.* vero sensum et vocem circumloquitur : dico de Cyro ei dandum esse regnum.

b) Gloria Dei per Cyrum 45, 1-10.

Postquam 44, 28 Cyrus brevi modo ut Dei instrumentum designatus est ad opus Dei exsequendum, iam accuratius describitur quomodo liberationem per Cyrum efficiendam Deus sit curaturus : Deus enim Cyrum egregiis victoriis et thesauris regem reddet potentissimum. Verba ita conformantur, ut facile appareat ea quae 41, 2 seq. dicta sunt iam ad Cyrum applicari magisque determinari ; v. 1 « *Haec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes et dorsa regum vertam et aperiam coram eo ianuas et portae non claudentur* » ; — hebr. *uncto suo Cyro,* uti *Syrus* quoque et *Chald.* habent. Cyrus insignitur titulo regis theocratici : unctus vel christus Domini, similiter ut 44, 28 *pastor meus* erat appellatus. Dei

enim voluntatem de populo theocratico exsequitur, peculiari modo a Deo vocatur, eligitur, iuvatur, bellica fortitudine instruitur, per eum gloria Domini innotescere debet gentibus; ergo iure eo titulo salutatur (cf. *S. Cyr. Theod. Procop. Mald.*). Ille enim quem Deus eligit et sua virtute induit, *unctus* dicitur. Adde quod liberatio ex Babylone praeludium quoddam erat et typus liberationis messianicae; quare uti alter liberator Unctus, Christus κατ' ἐξοχὴν dicitur, ita consentaneum quoque est, ut prior liberator ipso nomine typicam illam rationem exprimat; imago enim sortitur nomen eius cuius est imago, ait *Men.* et sim. *S. Hier. Mald. For. Sanct. Lap.* Dextera aliquem prehendere (41, 13; 42, 6) est eum iuvare, corroborare, secure ducere, ut operi iniuncto plene satisfaciat; hic ergo *ad prosternendum coram eo gentes* (hebr.). Reges quoque coram eo a Domino virtute et robore spoliantur: *lumbos regum aperiam* (hebr.) vel *dissolvam* scil. prae metu, ita ut omni robore careant; in lumbis enim robur declaratur, unde lumbos aperire vel cingulum solvere est eos reddere inermes, elumbes, infirmos, uti bene exprimunt LXX ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω; significat itaque *discingere,* contrarium τῷ lumbos accingere vel robur et agilitatem dare (cf. *For.*). Reges autem devictos ei dat Deus *ad aperiendas coram eo fores* (hebr.), ut eorum palatia et arces occupet; neque urbes munitae poterunt ei resistere, quas Dominus aperuerit coram eo portas nemo iam poterit claudere, nemo poterit eas ei eripere vel eum ab expugnatione arcere (cf. de modo loquendi quo assertio gravis exprimitur Is. 22, 22. Iob 12, 14. Apoc. 3, 7). Eodem modo legimus 41, 2: dabit in conspectu eius gentes et reges obtinebit etc.; unde de quo 41, 2 sermo sit, hoc loco clare ostenditur.

Notat *S. Hier.*: « scio in hoc capitulo non solum Latinorum sed Graecorum plurimos vehementer errare existimantes scriptum esse: sic dicit Dominus Christo meo Domino, ut intelligatur iuxta illud: pluit Dominus a Domino (Gen. 19, 24) et: dixit Dominus Domino meo; neque enim κυρίῳ quod Dominum sonat, sed (Κύρῳ) *Cyro* dicitur qui hebr. appellatur *Chores* ». Ad hos quos h. l. ob falsam lectionem reprehendit adnumerandi sunt Tertullianus (adv. Iud. 7 et adv. Praxeam), item Novatianus, Arnobius iun. Cyprianus, Vigilius taps. et iam auctor epistolae Barnabae aliique quorum verba vide apud *Sabatier,* Bibliorum sacrorum lat. vers. antiq. II p. 592 et partim etiam apud *Sanct.*; immo *Galatinus* opinatur catholice asseverandum esse Deum hoc loco non Cyro quidem Persarum regi, sed vero Messiae esse locutum (de arcanis cath. verit. lib. 4 cap. 17 p. 244, Basil. 1550). Sed sufficit advertere quae statim v. 4.5 dicuntur bis: non cognovisti me; ad quae verba contra illos interpretes iam monet *S. Hier.*: « in quo loco satis mirari nequeo, quae stultitia sit legentium, ut haec ad Christum referant ».

Quam facile sit victurus et quam secure (« transibit in pace » 41, 3) Deo quasi duce et imperatore coram eo ingrediente declaratur v. 2 « *ego ante te ibo et gloriosos terrae humiliabo; portas aereas conteram et vectes ferreos confringam* » ; — i. e. « ante te ibo quasi dux et antesignanus, ut praeivi olim castra Hebraeorum in deserto » (*Tir.*) ; verba hebr. eodem fere modo leguntur Deut. 31, 8 (hebr.) et similiter Iud. 4, 14. Deus igitur ei parat viam ; sequitur enim post te anteibo : *et tumida complanabo* vel tortuosa, inflexa, anfractuosa faciam recta et plana (hebr.), uti hebr. iam explicant *Mald. Mar. Malv.* et recentiores. Impedimenta igitur quae a regione, montibus, collibus, anfractibus et asperitatibus viarum (*Osor.*) obiiciuntur, Deus removebit, « velut praecursor qui an tutus sit progressus considerat et si quid sit periculi antevertit » (*For.*) ; cf. 42, 16. Praeter haec obstacula ea quoque Deus amovet quae industria hominum opponuntur, etsi sint fortissima ; erit scil. Deus effractor vel perruptor, uti de Israelitarum reditu Michaeas loquitur (2, 13) ; portae aereae et vectes ferrei optime dicuntur, cum Babylonem centum portis aereis munitam esse narret Herodotus : πύλαι δὲ ἐνεστᾶσι πέριξ τοῦ τείχεος ἑκατὸν, χάλκεαι πᾶσαι, καὶ σταθμοί τε καὶ ὑπέρθυρα ὡσαύτως (1, 179). Ergo hic quoque, uti 44, 27, verba ita sunt conformata ut et omnium impedimentorum amotionem dicant et simul peculiari modo ad victoriam de Babylone reportatam conveniant. Ceterum verum est quod *Sanct.* dicit, in portis ferreis et vectibus omnia impedimenta significari quae retardare potuerint Cyri victorias, et *S. Hier.* monet : « legamus Xenophontis octo librorum Cyri maioris historiam et prophetiam Isaiae cernemus expletam ; quae enim civitas illi non patuit ? quae non regum terga subiecit ? qui muri prius inexpugnabiles non illius obsidione subversi sunt » ?

Hisce autem expeditionibus Cyrus etiam ditabitur ; Deus enim thesauros ei dabit quos frustra solertia et prudentia hominum abscondere conabatur v. 3 « *et dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus Israel* » ; — hebr. *thesauros caliginis et recondita latebrarum* (cf. *Mald. Vat. Malv.*) i. e. thesauros in latibulis et locis absconditis asservatos. Plenae sunt veterum historiae narrationes de immensis thesauris [1] a Cyro ac-

---

1. Eos locos referunt interpretes ; v. g. ex Plinio (33, 3) *Malv.* et *Sanct.* : « Midas et Croesus in infinitum possederunt. Iam Cyrus devicta Asia pondo triginta quattuor millia invenenerat praeter vasa aurea aurumque factum et in eo folia ac platanum vitemque. Qua victoria argenti quinquaginta millia talentorum reportavit et craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem aegyptium pondo octoginta capere Varro tradit ». Et ex Diodoro Siculo (lib. 3 rer. antiq. cap. 4) inter ea quae reges Persarum surripuerunt haec affert *Sanct.* : « in summo templi tres ingentes aureas statuas Iovis, Iunonis,

quisitis Asia devicta. Magnos sane thesauros invenisse censendus est Babylone (cf. Ier. 50, 37; 51, 13) et Sardibus Croeso devicto, cum Sardes urbs censeretur opulentissima secunda a Babylone (cf. Cyropaed. 7, 2, 11. *Del. Rohl.*). Tales autem fore ait vates rerum earum cursus, itaque a Deo iri dispositum, ut cognoscat peculiarem Dei interventum et Dominum ipsum nomine vocasse et sibi auxilium praestitisse tamquam Deum Israel qui haec omnia ita ordinavit ut demum consilium suum de Israel exsequeretur. Haec quoque ad amussim conveniunt cum iis quae Cyrus in decreto dicit: omnia regna terrae dedit mihi Iahve Deus coeli (2 Par. 36, 23. Esdr. 1, 2). *Nomine vocare* eo aptius dicitur propter 44, 28 et 45, 1 et nisi nomen esset revera praedictum, vix apte posset dici, id quod inter recentiores praesertim *Naeg.* pluribus prosequitur; inter veteres explicat *S. Hier.*: « ut beneficiis unum sentires Deum, praesertim cum scias, multo antequam nascereris tuum nomen esse praedictum »; sim. *Euseb.*: « reconditos thesauros aperiam tibi, ut ipsis operibus ediscas, quis ego sim, qui ante tot annos ipsissimum nomen tuum propheticis Scripturis meis quasi cippis aeternis insculpsi ».

Iam alius finis cur Deus eas victorias Cyro concedat exprimitur et simul declaratur cur Deus modo se Deum Israel nominaverit v. 4 « *propter servum meum Iacob et Israel electum meum et vocavi te nomine tuo; assimilavi te et non cognovisti me* »; — cur propter servum meum Iacob habemus explicatum 44, 28, unde simul elucet versum istum necessario requiri. Inde simule docemur quomodo Deus rerum humanarum eventus et maximorum etiam regnorum vel casus vel ortum ad providentiae suae ordinem et rationem dirigat atque disponat. Primum enim locum ac praecipuum in Dei dispositione obtinet theocratia; id hoc loco clare enuntiatur; quare dicitur Cyrus a Deo nomine vocatus (cf. v. 3)

Opisque erexit Semiramis, quarum Iovis adhuc exstat longitudine pedum quadraginta mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere in sella aurea residet, ad cuius genua duo adstant leones, iuxtaque serpentes argentei ingentis magnitudinis; ponderis quilibet est talentorum triginta. Iunonis stans signum ponderis est talentorum octingentorum. His omnibus communis erat mensa aurea longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quinquaginta. Duo praeterea carchesia talentorum triginta erant totidemque vasa vaporibus apta, utrumque talentorum triginta; crateres ex auro tres, quorum Iovi dicatus talenta mille et ducenta babylonia pendebat, aliorum quilibet sexcenta ». Ita ille. Praeterea refert *Sanct.*: « codices chaldaei qui sunt in complutensi bibliotheca manuscripti, in principio libri Esther haec tradunt de thesauris a Cyro repertis: Cyrus quando vastavit Babyloniam fodit in latere Euphratis et invenit ibi sexcentas et octoginta hydrias aeneas plenas auro optimo et lapidibus pretiosis et margaritis et gemmis ». Quae supra ex Plinio relata sunt *Brerewood* computavit aequivalere nummis anglicis 126 244 000 pondo sterling (vel c. 2524 880 000 Mark vel . 3156 100 000 francs — cf. *Del. Naeg. Or. Rohl*).

et cognominatus propter populum electum; hebr. *cognominavi te* (cf. *Mald. Vat. Malv. Mar. For.*) i. e. de te locutus sum per prophetas meos nomen tuum et munus tuum annuntians, te pastorem etc. nominando et unctum meum et quae peracturus esses praedicens; simili modo etiam *assimilavi te* explicari potest : quia longe antequam nasceretur, iis a Deo descriptus est coloribus, his notatus est characteribus et signis, ut facile a quolibet cognosci potuerit (*Sanct.*) vel ut alii exponunt, in typum et imaginem Messiae, veri illius Christi praecessit, cum liberatoris munus gereret et uncti nomine insignitus esset (cf. *S. Hier. Est. Lap. Men. Tir.*). Cyrus autem iis a Deo praeventus est beneficiis, cum verum Deum non cognosceret. Vere dicit *S. Hier.* : « tu autem non cognovisti me, id est, simulacra coluisti, non Deum ». Id quam vere dictum est, monumenta recenti tempore inventa satis superque produnt. Cyrus enim, uti ex inscriptionibus eius nomine factis aperte colligitur, eodem modo quo Iahve mentionem fecit in edicto ab Esdra relato, etiam veneratur Bel, Nebo, Marduk deum magnum, dominum iisque templa vel erigit vel instaurat (cf. *Vigouroux* l. c. IV p. 510 seq. Civiltà cattolica, serie 12, 3 p. 526 ; 5 p. 165; 8 p. 405). Cyrus in suis inscriptionibus se deorum babylonicorum cultorem eximium profitetur et templa eorum sedulo instaurat. Unde facile conciliantur duo illa effata : v. 3 *ut scias....* et v. 4 *non cognovisti me;* agnovit Deum Israel, uti ex decreto eius elucet; at cum similem honorem etiam diis conferret, immerito dicitur non cognovisse Deum, quem si vere cognovisset, iam nulla ratione loqui potuit, uti locutus esse aperte perhibetur in monumentis. Quare reipsa ostenditur non esse cum *Del.* ad illam explicationem confugiendum : non cognovisti me i. e. antequam nascereris; nam id per se apertissime patet neque tali indiget asseveratione.

Deus opus illud constituit propter Cyrum, propter populum Israel (לְמַעַן v. 3. 4) et demum etiam propter gentes; in ea autem rerum dispositione suum manifestat numen divinum; quare v. 5 « *ego Dominus et non est amplius; extra me non est Deus; accinxi te et non cognovisti me;* v. 6 *ut sciant hi qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est; ego Dominus et non est alter* » ; — « quia enim volui, inquit, meos eripi, etiam per eos qui gloriam meam non norunt hanc rem conficiam, ut manifeste videant qui in universa terra sunt Deum praeter me non esse » (*S. Cyr.*) Atque peculiarem quandam opem divinam reluxisse in Cyro etiam ex iis colligi potest quae Herodotus tradit; ei enim illo referente hoc ponitur quasi futuri temporis augurium : o fili Cambysis, te enim dii respiciunt (1, 124); et alio in loco causas exponens cur Cyrus bellum susceperit adversus Massagetas has affert rationes : primum quidem natales eius quod videretur quid maius

esse homine, secundo fortuna qua usus fuerat in bello; quocumque enim belli expeditionem susciperet, fieri non potuisse ut ea gens evaderet (1, 204). Ex quibus satis elucet ipsas gentes divinum quid in Cyro agnovisse; id autem a multis Deo Israel esse attributum iam eo patet quia hunc Deum ipse Cyrus in suo decreto confitetur quod traduxit in omni regno suo (Esdr. 1, 1). Immo si Iosepho fides est adhibenda, palam professus est se illum esse credere Deum quem Israelitarum adoret populus (Antiq. 11, 1). Attende quomodo hic iam id praeparetur, quod in regno messianico sollemne est, simul cum populi Dei liberatione gentium quoque ad Dei cognitionem adductionem indicari. Quare v. 6 liberatione Israelitarum effectum iri dicitur, ut ab ortu solis ad occasum usque i. e. in universo orbe quem sol perlustrat cognitioni Dei via pandatur (cf. *S. Hier. Cyr. Euseb.*).

Deum agnoscendum esse unum rerum omnium moderatorem, a quo et bona cuncta proveniunt et mala quoque permittuntur, vates praeprimis urget contra varia gentilium opinamenta, et quam apte id moneatur contra opinionem Persarum duo esse suprema rerum principia, bonum unum alterum malum, per se intelligitur; unde quantum differat Iahve ab Ahura-mazda et aliis gentilium figmentis declaratur ulterius v. 7 *formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, ego Dominus faciens omnia haec* »; — omnia igitur et prospera et adversa ab uno eius pendere nutu asseritur; lux metaphora est satis frequens pro rebus secundis, tenebrae pro adversis; idem cernis in pace, rerum omnium prosperarum cumulo cum abundantia, et in malo, rerum omnium calamitosarum compendio quodam proponi; « ego Dominus ad cuius voluntatem haec omnia administrantur, ut vel beneficiis mortales alliciam vel propositis minis absterream, vel pios homines praemiis amplissimis ornem vel impios extremo exitio atque clade conficiam » (*Osor.*).

Itaque opus Cyri et Israelitis commodum afferet (v. 4) et ad id quoque ordinatur, ut Dei cognitio per orbem diffundatur (v. 6). Cernit igitur vates opus Cyri tamquam illud ex quo salus pro Iudaeis et illuminatio quoque gentium quasi ex suo germine vel fonte initium capit. Unde pro eo quo flagrat desiderio, ut salus promissa et magnificis oraculis eousque descripta et populo suo et orbi universo demum exoriatur, preces effundit inflammato studio et ardenti cupiditate pandit quibusnam suspiriis pectus propheticum incaluerit, dum Deus talia de rebus futuris servo suo revelare dignatus est; v. 8 « *rorate coeli desuper et nubes pluant iustum; aperiatur terra et germinet salvatorem et iustitia oriatur simul* »! — hebr. *rorate coeli desuper et nubes pluant iustitiam, aperiat se terra et proferant salutem et germinare iubeat iustitiam simul;* similiter LXX quorum verba ita reddit *S. Hier.*: laetetur coelum

desuper et nubes spargant iustitiam ; germinet terra et oriatur misericordia et iustitiam [1] (vel iustitia) germinet simul. Efflagitat igitur propheta et suo exemplo suisque suspiriis edocet populum, quali desiderio continuo debeant a Domino efflagitare salutem promissam. Quam ardens sit desiderium, efficaciter exprimitur in compellatione coelorum nubiumque, ut sicut rorem pluviamque salutarem terris demittere solent, iam quasi rorem spiritualem et iustitiae imbrem effundant ; ut terra quae tot beneficia hominibus sinu suo fecundissimo offert, iam praeclariorem edat fructum. Cum igitur pluviae fecundantes coelitus descendant et aperto quasi terrae sinu recipiantur, et ea ratione et homini innumera beneficia ad vitam necessaria multaque iucunda obveniant et ipsi terrae suus detur ornatus et maxima concilietur amoenitas, facile intelligitur quomodo ad maximum rerum sublimium desiderium exprimendum vates eo usus sit symbolo et ea compellatione. Quae loquendi figura etiam eo apte adhiberi censenda est, quia bona illa salutis et iustitiae cum a terra exsulent, revera coelitus descendere ac donari debeant et tum demum terra sacrum illud germen divinitus receptum fovere atque incolentibus communicare debeat.

Quod a vate tantis votis expetitur est *iustitia, salus,* i. e. conditio illa quam Deus adesse vult sanctitatis et summae pro hominibus felicitatis ; ita enim omnia promissa divinitus data summatim comprehenduntur ; *iustitia* nominat novam illam conditionem respectu habito ad Deum, ad eius sanctitatem et gloriam, quae in iustitia ubique terrarum regnante relucet ; *salus* homines respicit qui opere illo divino et vera illa iustitia ad beatitatem adduci debent. Unde simul elucet vatem hisce suspiriis toto animo expetere *opus messianicum* ; nam quaecumque demum apud ipsum et apud alios prophetas de Messia eiusque opere legimus, *iustitia* et *salu'e* quasi tessera quadam continentur (cf. 4, 3-6 ; 9, 7 ; 11, 1 seq. 16, 5 ; 19, 25. Ier. 3, 17 ; 23, 5 ; 33, 15 etc. Os. 2, 18 etc.). Ad tale autem desiderium excitatur proxime quidem vaticinio de Cyro facto ; attamen non *solo* hoc oraculo, sed potius fine illo ostenso quem ex opere Cyri et pro Israel et pro gentibus Deus obtinere vult. Qui finis (v. 4. 6) cum iam operis Cyri per se spectati limites excedat et ad altius quiddam et sublimius feratur, necessario inferre debebimus prophetam cum iustitiam et salutem tanto ardore et iis dicendi luminibus exposcat, non debile quoddam iustitiae et salutis initium, non umbratilem salutem, sed iustitiae et salutis perfectionem et veram exhibitionem et perpetuam eius durationem efflagitare ; aliis verbis, eum a desiderio liberationis

1. Adest in graecis lectio duplex δικαιοσύνην ἀνατειλάτω et δικαιοσύνη ; prior legitur in editione comment. *Euseb. S. Cyr.* et apud *Tischendorf.*

prioris ascendere ad desiderium liberationis et salutis messianicae. Quae cum ita sint, ex hac petitione salutis messianicae quae opus a Cyro praestandum subsequitur iuremerito alia consideratione adhibita colliges statui inter Cyrum eiusque opus et Messiam opusque eius nexum quendam symbolicum et typicum, ut id quod in priore debili quodam et infirmo fiat initio, id in altero perficiatur multo sublimius, perfectius in ordine multo altiore magisque universale; eundem nexum iam innui iure existimaveris nomine *uncti* vel *christi* Cyro indito.

Ex qua explicatione id quoque colligitur verbis *vulg.* sensum textus originalis reddi, sed ita ut quod hebr. de *opere* messianico, de iustitia et salute messianica explicite et unice dicitur, hic de ipso Messia salutis et iustitiae auctore, effectore, largitore enuntietur. Si verba vatis spectaveris, interpretem *S. Hier.* excessisse dices limites versionis; at si consideraveris apud Isaiam ipsum Messiam saepe ut auctorem illorum bonorum exhiberi et opus messianicum per unum aliquem salvatorem praestandum describi, interpres *S. Hier.* minime contra mentem prophetae aliis ex locis sibi notam hanc versionem instituit. Unde simul patet iuremerito pulcherrimam hanc precationem sacro Adventus tempore ab Ecclesia usurpari, ut exprimatur quanto cum desiderio adventus Messiae sit olim exspectatus et etiamnum a singulis debeat exoptari maior eius iustitiae ac salutis participatio. Cum in *vulg.* 41, 2 Cyrus vocetur iustus neque obscure tamquam liberator ac salvator populi describatur (cf. 44, 26-28; 45, 4), omnino possumus verba *vulg.* uti textum hebr. ita explanare, ut a Cyri persona et opere gressus fiat ad expetendum illum qui κατ' ἐξοχὴν iustus est et salvator.

Ad huius loci interpretationem bene advertit *S. Cyr.* : « sollemne ac familiare est divinitus inspiratae Scripturae saepenumero sermonem ab his quae singillatim et particulatim de aliquibus facta sunt ad genus universum et ad omnes producere et velut a luculenta rerum historice gestarum imagine mentem eorum qui instituuntur ad considerationes magis arcanas et mysticas scite traducere.... longa oratio in superioribus consumpta est de Cyro... erat autem haec narratio particularis ;... deinceps vero sententiarum vim transfert iam ad ipsum Emmanuelem, qui exhibitus est a Deo et Patre, ut captivis remissionem praedicaret » etc. *Euseb.* non Messiae mentionem facit, sed solum iustitiae quam Deus per rationales nubes coelitus infundat terrae incolis. Duplicis interpretationis meminit *S. Hier.* : « quidam enim putant haerere superioribus quae dicuntur, et Cyro rege laxante captivos coelum terramque laetari.... alii a superioribus separant et proprium capituli huius volunt esse principium ac de adventu Domini prophetari ». Alii locum hunc sensu literali de Cyro, mystico de Christo accipiunt. Ita *S. Thom.* : « hic describit nativitatem Cyri sub metaphora fructus arboris ad cuius generationem requiritur humor terrae et pluvia

et ros de coelo ; ita in nativitate Cyri concurrit divina misericordia, intendens populum suum per eum liberare, et inferior natura quae significatur in terra ; unde tria facit : describit enim ortum *rorate,* nativitatis fructum *et iustitia oriatur*, et primum nativitatis principium *ego Dominus* ». Ita *S. Thom.* in ipsa explanatione ; ad capitis finem autem adiecit : « mystice *rorate coeli* de Christi nativitate ; in quo tria facit, scil. nativitatis principium, nascentis ortum et nativitatis fructum » etc. Ad Cyri ortum verba *For.* quoque refert, sed ita ut de Cyro tamquam typo, de Christo tamquam de veritate intelligenda sint. Plerique latini interpretes verba directe et unice de Christo explanant (cf. *Osor. Mald. Sa, Mar. Sasb. Pint. Lap. Men. Tir.*), attamen plerumque etiam advertunt ex vaticinio de Cyro liberatore mentem vatis elevatam fuisse ad excellentiorem liberatorem vel oblata Cyri et babylonicae captivitatis occasione sermonem induci de Messia (cf. *Osor. Pint. Sanct. Lap. Calm.*).

De textu hebr. haec nota : aliqui vertunt : *aperiat terra* scil. effundat aquas, fontes, flumina, symbola scil. benedictionis et salutis, uti 41, 18; ita *Hahn*; sed bene plerique retinent *aperiat se terra* (cf. *Kn. Sein. Del. Naeg. Or. Rohl.*) et ex Ps. 106, 17 omnino recte. In sequenti membro vertendo maior adest varietas, in verbis scil. וְיִפְרוּ יֶשַׁע; sunt qui vertant *efflorescat salus* vel fructuosae sint salutes, et pluralem in verbo eo explicant quia *salus* quasi nomen collectivum plurima in se complectens bona numero iungi possit plurali, pro qua re provocari potest ad Ps. 119, 103. Ier. 48, 36. Prov. 1, 11. 12. Is. 16, 4 (cf. *Ges. Umbreit, Kn.*). Sed minime opus est ad talem exceptionem confugere. Alii eam evitant vertentes : *et efflorescant salus et iustitia;* ita *Malv.* iam affert et *Sein. Del. Rohl.;* at neque hoc probari potest, quia dein verbum subsequens *iubeat germinare* plane absolute et nude poneretur. Nam quod *Del. Or.* volunt צְדָקָה poni primo tamquam subiectum, sed statim iterum tamquam obiectum esse considerandum, talis functio duplex grammaticalis in una eademque voce semel posita est plane inauditum quid. Ut ergo ad veram explanationem perveniamus, adverte in hac sententia in membro primo et ultimo iustitiam poni ut obiectum quod nubes pluant, terra iubeat germinare; ergo consequens est, ut etiam *salus* consideretur ut obiectum. Id quoque verbo פָּרָה omnino aptum est, quod significat ferre, proferre; cf. Deut. 29, 17; unde tria illa quae antecedunt : coeli, nubes, terra iam implorantur, ut afferant vel proferant salutem (cf. *Mar. Malv.* — sim. *Hahn* qui supplet : aquae, fontes afferant, dum terram reddant frugiferam). Ultimum membrum תַּצְמִיחַ ex usu alias obvio non potest significare nisi *facere germinare* vel *iubere germinare* i. e. producere (cf. Gen. 2, 9; 3, 18) et adhibetur de Deo iubente et creante et de terra producente. Haec notio potest etiam hic retineri idque fit eo melius quia sic et usui consulitur et sicut in primo membro iustitia locum obiecti tenet. Subiectum terra facile ex antecedenti suppletur et cum de germinis productione sermo sit facile per se intelligitur. Vel potestne tamquam Dei compellatio ex magnitudine affectus concipi, pro qua vates ordines rerum creatarum percurrat et demum Deum ipsum alloquatur : produces? qui statim respondet : ego Dominus creo illud? Alii vocem accipiunt : *germen facere,* iustitia germen faciat (cf. *Naeg.*), uti sim. vertunt *Syrus* egerminet, *Chald.* reveletur, nisi forte תִּצְמַח legerint, quod etiam *vulg. oriatur iustitia* suadere videtur. — Cum veteres versiones de illo plurali יִפְרוּ nihil prodant — nam quod *Chald.* habet : aperiatur terra et reviviscant mortui, vix poterit in considerationem venire — merito suspicio oriri potest de aliqua textus hebr. cor-

ruptione. Certe maior adesset concinnitas, si uti in priore versus parte coeli et nubes, ita in altera terra compellaretur ad fructum illum praeclarum producendum; primo quidem ut sese aperiat ad coelestem imbrem suscipiendum, dein ut salutem proferat coelesti rore gravidata et iustitiam faciat germinare. Quare valde probabile videtur יפרו esse corrigendum.

Petitioni prophetae et ardenti desiderio quod ad exemplum quoque et eruditionem populi expressit, statim Deus approbans illud et quam sibi gratum sit ostendens respondet : « *ego Dominus creavi eum* »; — hebr. verte *creavi illud* vel *creo illud* (cf. *Malv.* et recentiores). Ita Deus annuit petitioni, promissionem confirmat, consolationem dat afflictis; verum hac fide et fiducia contenti sint; quando creaturus sit, ne inquirant; sufficiat ad solamen certa promissio. Haec vero promissio confirmatur eo quod si quis auderet Deo eiusque voluntati et operi sese opponere, id res esse declaratur summae stultitiae quae in maximum eius detrimentum non posset non converti. Quare eum in modum Deus responsum confirmat quo supra dixerat : operabor et quis avertet illud (43, 13)? et sim. 40, 6—8. 12; v. 9 « *vae qui contradicit fictori suo, testa de samiis terrae; numquid dicet lutum figulo suo : quid facis, et opus tuum : absque manibus est* »? — duo excluduntur : ne quis Deo operanti se opponat; ne modum et rationem, conditionem vel tempus quando et quomodo Domino placuerit promissa in opus deducere quis audeat ad crisin revocare. Prius excluditur minaci illo *vae,* excluditur ostensa hominis fragilitate et vilitate (cf. 40, 6. 15. 22); nam quis est? est testa una ex innumeris ac vilibus testis terrae; quasi testa contenderet contra figulum! « quasi lutum et testa de testis contradicat figulo suo » (*S. Hier.*)*; de samiis* « samia vasa fictilia apud veteres auctores celebrata sunt; posuit interpres nomen proprium pro communi » (*Mald.* cf. *Plinius* 35, 12. 16. *Sanct. Malv.*). Alterum ne quis Deum inertiae aut imprudentiae arguat vel de modo exsequendi promissa sibi arroget iudicium, excluditur ostensa summa eius accusationis stupiditate, quasi lutum figuli artem reprehenderet vel *opus tuum* diceret : *non sunt ei manus* (hebr.), opus iudicium ferret de artifice eumque argueret quod agendo et laborando impar sit nec manus habeat ad aliquid perficiendum. Ita homo se gerit, qui providentiam et consilia Dei suo iudicio subiicit vel de Dei potentia dubitat. Comparationibus res illustratur simili modo quo 10, 15; 29, 16. Illa comparatio eo magis est ad rem quia homo de limo formatus est a Domino (Gen. 2, 7), quia est ergo testa de testis terrae, ex terrena materia concretus. Dicitur *opus tuum*, ut argumentum ad hominem efficacius efferatur : quid homo diceret si ei ab opere quod fabricavit ignorantia, inscitia, impotentia obiiceretur vel exprobraretur?

Pariter ad impietatem et proiectam audaciam et impudentiam esset referendum, si qui in opere salutis et iustitiae Deo limites praescribere eiusque liberalitatem ita vellent restringere, ut eam ad omnes gentes extendi minime optarent, vel si aegre ferrent, quod gentes demum eodem in censu apud Deum haberentur atque iisdem fruerentur beneficiis. Eam mentem qua Iudaei se solos esse populum Dei electum opinari poterant, vates excludit minaci annuntiatione v. 10 « *vae qui dicit patri : quid generas? et mulieri : quid parturis* »? — quae verba id dicere videntur : « quidnam tibi est quod rursum generas? quasi doleat filius ob fratrum multitudinem, nimirum propter hereditatem aut aliquam aliam causam » (*For.*). Impium esset atque impudens et diris suppliciis dignum, si filius iura parentum infringere et cohibere vellet; aeque si populus Israel, filius primogenitus Dei (Ex. 4, 22. Ier. 31, 9) non aequo animo ferret gentes quoque in adoptionem filiorum assumptum iri iisdemque secum donis ac gratiis insigniri (sim. *Theod.* heracl.). Monentur ergo Iudaei ne superba quadam aestimatione nimium sibi arrogent et Deo, ut sibi ipsis cuncta beneficia aliis exclusis obveniant, quasi interdicant gentes quoque in filiorum censum referre. Cum enim v. 6 opus Dei in id tendere dicatur, ut sciant gentes Dominum et proinde opus Dei in beneficium gentium fieri asseratur, invidia quadam animi Iudaeorum occupari poterant. Quam opportuna, immo necessaria eiusmodi fuerit admonitio, ex superba Iudaeorum de origine abrahamitica elatione et ex odio colligitur quo postmodum regnum messianicum propterea prosecuti sunt, quia gentes eodem censu et eadem cum Iudaeis dignitate in illud admitterentur (cf. Act. 13, 45 : videntes autem turbas Iudaei repleti sunt zelo et contradicebant his quae a Paulo dicebantur blasphemantes; Act. 22, 21 audiunt Paulum disserentem donec dicit se missum ad gentibus praedicandum; quo audito statim vociferantur : tolle de terra huiusmodi, non enim fas est eum vivere).

Verba haec varie explicantur; alii id solum exprimi censent, uti indignum esset si filii moleste ferrent se esse in lucem susceptos et ea de re de parentibus conquererentur, ita impudentissimum esse, si homines a Deo formati auderent invehi in Deum (cf. *Osor. Sasb. Mar.*); at id nimis generale dicitur neque satis est ad rem de qua h. l. agitur. Alii : si filius non debet dicere patri aut matri : cur me genuisti? multo minus vilis creatura summo creatori (*Pint.*); hoc quidem verissimum est, sed quorsum hic dicitur? Alii : nemini licere suae nativitati maledicere et ita Deum reprehendere (*Kn. Naeg.*); at quid hoc sibi vult in hoc contextu? Alii : fieri non posse ut quis Deo resistat; nam « nascendus numquid interrogavit patrem unde generaret » (*S. Cyr.*)? vel : si Israel cum Deo disceptans contenderet fieri non posse, ut ex miseria exsilii ad novam vitam instaura-

tus prodiret, idem faceret ac si infans nondum conceptus et natus negaret fieri posse, ut pater gigneret (*Hahn*); at quis non videt satis absurda hic supponi? nam ille qui nondum exsistit fingitur quaerere ex parentibus et suam ipsius futuram exsistentiam in dubium vocare! Mira sane fictio, qua ostendatur Deum posse consilia sua exsequi! Melius alii : ut indignum est queri de parentibus quod genuerint, ita de Deo quod fecerit aut tali loco, tempore (*Men.*); sed uti in comparatione priore habitudo illa inter figulum et lutum non nude ponitur sed quae inter Deum et hominem ratio intercedat pariter illustrat, ita in hoc quoque membro comparatio ad id speciatim tendere debet, ut Dei patris et populi sui tamquam filii primogeniti conditio et habitudo spectetur, et ea quidem quae ad generationem referatur. Neque enim exemplum sumitur a filio qui generatim in parentes invehitur, sed qui parentes de generatione reprehendit. Huic ut satisfaciant, alii fingunt informem filium invehi in parentes, quia se talem et non pulchriorem genuerint (cf. *Sanct. For. Lap.*); sed de *informi* filio qui ita expostulet, nihil legitur. Neque sufficit dicere cum *Del.* talem expostulationem cum Deo a populo fieri, si de secretis providentiae consiliis cum Deo querulus contendat; neque cum *Rohl.* populum de divina ope desperantem eandem admittere proiectam impudentiam ac si quis diceret parentibus : qualem fetum omnibus bonis nobilem vos poteritis edere? Nam de fetu *tali* edendo aeque parum in textu legitur, quam de fetu informi. Itaque nihil aliud restat, quam ut verba accipiantur eo modo quo proferuntur : filius reprehendit parentes, eo quod generent; ergo alios filios in lucem edi iam non vult; haec ergo habitudo transferenda est ad populum et ad similem cum Deo expostulationem, ita ut ratio patris ac filii servetur, uti in membro antecedente servatur analogice inter figulum et lutum, inter Deum et populum. Quod si expenderis, non invenies aptam interpretationem aliam nisi quam supra dedi : vae si Israel aegre tulerit alios quoque populos ad adoptionem filiorum Dei admitti! Id utique aversati sunt Iudaei; sed *vae* illud eis evenit; longe maxima pars non accessit ad regnum messianicum. Alios autem populos in eodem cum Israel habitum iri censu et ordine cf. Is. 19, 24; 66, 21.

c) Quale sit Dei consilium in liberatione populi 45, 11-17.

Operi Dei non est obsistendum; verum Domino summo ac Parenti summa fiducia est adhaerendum. Quod ut populus in omni rerum difficultate faciat, denuo monet Deus, ut oraculis datis fidem adhibeant et Deo curam esse de populo suo confidant v. 11 « *Haec dicit Dominus Sanctus Israel, plastes eius : ventura interrogate me, super filios meos et super opus manuum mearum mandate mihi* »! — tituli quibus Deus et se et populum nominat iam continent certissimi auxilii documentum, idque confirmatur quia si ulteriora volunt documenta, ea se non negaturum esse spopondit : *ventura*... si qua trepidatio et anxietas animos occupaverit tempore calamitatis, si in rerum perturbatione et communi gentium terrore (cf. 41, 5; 45, 1. 2. 7) ipse populus iamiam timere vel

dubitare incipiat de rerum eventu, paratum se esse declarat ad lumen et solatium subministrandum. Adest scil. in theocratia munus propheticum ; adeant ergo prophetas legitimos neque Deus responsa et consolationem denegabit; quis enim *filiorum*-curam abiiciet vel opus manuum suarum petulanter destruet? Habent ergo in ipsa theocratia a Deo instituta et conservata et variis subsidiis[1] instructa, quibus Deus se rerum administratorem et moderatorem probat, pignus certissimum auxilii divini simul cum variis modis sese certiores reddendi de consiliis Dei et rerum eventus rite aestimandi. Deum autem potentia excellere qua valeat eadem praestare, ex opere divino in mundi hominumque creatione et conservatione satis conspicuo firmiter sibi persuadeant v. 12 « *ego feci terram et hominem super eam creavi ego ; manus meae tetenderunt coelos et omni militiae eorum mandavi* » ; — agminibus stellarum ipse imperat ; terra igitur eiusque incolae, coeli eorumque agmina potentiae Dei et imperio testimonium dicunt ; tali Deo ergo tuto curam unius populi committere possunt ; non eum deficiet potentia ; cf. 40, 15. 26; 42, 5; 44, 24.

Atque statim subdit insigne illius curae documentum qua opus manuum suarum, populum suum, complectatur, quo exemplo simul declarat se revera ventura annuntiasse (v. 11) ; quare ad antecedentium confirmationem repetit v. 13 « *ego suscitavi eum ad iustitiam et omnes vias eius dirigam ; ipse aedificabit civitatem meam et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum* » ; — iustitia est status ille rectus quem Deus vult, qui secundum Dei promissa, sanctitatem, divinam providentiam adesse vel effici debet; dicitur de tota ea conditione vel etiam de uno opere Dei efficiendo. Bene *Mald.* : « Cyrum faciam in hac re ministrum iustitiae meae, ut populum in libertatem dimittat » ; cf. 41, 2 ; 44, 28 ; 45, 1. Est a Deo suscitatus, ut opus divinitus iniunctum perficiat ; ad id Deus eum diriget et ducet ; quomodo, iam 45, 1-3 dictum est. Insuper novum additur oraculum, Cyrum gratuito, non accepto pretio neque favore largis muneribus conciliato, populo daturum esse redeundi veniam (cf. Esdr. 1, 7) ; pretium datur venditori rei aequivalens ; munus datur ad favorem conciliandum gratiamque habendam; ergo non opus erit λύτρον solvere, nec gratiam Cyri operose sibi acquirere, nec pro beneficio praestito pretiosa munera dare ; Cyrus e contra reducibus necessaria subministranda curavit (Esdr. 1, 4. 7 seq). Tali autem

1. Praeter prophetas voluntas Dei etiam quandoque exquirebatur a sacerdote ; oracula dabantur per ephod, urim et tummim. Ergo vario modo se Deus moderatorem rerum praebuit.

favore praestito omnino credibile est aliorum admirationem esse excitatam eosque Dei Israelis potentiam numenque agnovisse qui eam mentem Cyro indiderit et tam insignem triumphum reditumque adeo honorificum populo suo procurarit, id quod ideo facilius et vehementius mentes aliorum perculisse censendum est, quia Cyrus in decreto suo palam se a Domino ita agere iussum esse profitetur. Quo sensu Cyrus urbem aedificare dici possit, vide ad 44, 26. 28. Ex quibus locis et ex 41, 2. 24 patet de Cyro esse sermonem ; aliqui tamen immediate de Christo explicant (cf. *S. Hier. Cyr. Osor. Sasb.*) ; urgent enim quidam Cyrum non aedificasse Ierusalem ; ergo ad eum non spectare. Sed ne Christus quidem aedificavit Ierusalem ; ceterum iam bene responsum est ab *Euseb.* : « hic quadam ratione civitatem Hierosolymam aedificavit quia volentem quemque permisit Babylone proficisci et locum restaurare ». *S. Ephr.* de Cyro explicat.

Liberatio ex captivitate, instauratio urbis initium est theocratiae innovatae. Huic autem omnes gentes subdentur. Unde hoc quoque loco propheta a prima instaurationis inchoatione statim transit ad eius culmen et fastigium, quod in gentium ad Deum conversione cernitur. Ostendit enim Deus, ut *Malv.* dicit, consilium suum se non alium ad finem ista effecturum esse quam ut promoveat hoc pacto et instauret regnum suum tempore suo per Christum qui fundamentum est et finis omnium prophetiarum. Ierusalem instaurata iam describitur ut centrum illud ad quod gentes properabunt (cf. 2, 2). Occasio autem ex eo depromitur, quia uti iam 43, 3 dictum est, Aegyptus, Aethiopia et Saba dabitur propitiatio pro Israel ; regno persico regiones illae adiungentur quasi in pretium pro redemptione Israel; unde v. 14 « *haec dicit Dominus : labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae et Sabaim viri sublimes ad te transibunt et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent et te adorabunt teque deprecabuntur : tantum in te est Deus et non est absque te Deus* » ; — Deus alloquitur Israel, populum e captivitate reducem ; uti olim Israel spoliis Aegyptiorum ditatus est, ita theocratiam instauratam illustrem fore opibus quas Aegyptii labore pepererunt et opibus partis commercio Aethiopum dicitur et etiam, ut hebr. iungi potest, commercio Sabaim, Sabaeorum, qui sunt *viri mensurae* (hebr.) i. e. staturae procerae (uti eam phrasin vertit *S. Hier.* Num 13, 32 ; cf. Ier. 22, 14). De regione Saba cf. 43, 3. Opes et divitias gentium instauratae theocratiae obventuras esse, etiam 23, 18 ; 60, 6. Agg. 2, 8 (hebr.) dicitur. Quanto autem studio populo Dei adiungant sese et adhaereant, sequentibus declaratur : sese totos mancipatos vinctosque tradere gestiunt, se prosternunt, magna devotione orant et profitentur, in Israel, in ea familia Deum adesse, ibi se manifestasse neque alibi

inveniri posse neque alium exsistere Deum. Uti ergo in Cyro eiusque opere divina elucet providentia (45, 6), ita multo magis in plena instauratione; agnoscent gentes bona Dei reponi in theocratia, in regno Dei (cf. 2, 3; 19, 23: 44, 5).

Sermonem fieri ad *captivitatem* (v. 13), ad Israel certum est; id enim elucet ex suffixo femin. quod *Syrus* quoque constanter expressit; id ex eo quod *in te est Deus* dicitur et statim v. 15 Deus *Israel* dicitur. Iam *S. Thom.* ab hoc versu liberatorum exaltationem describi recte vidit; at eum ex interpretibus latinis pauci secuti sunt; nam solum *Mald.* et *Calm.* de Ierusalem explicant, sicut recentiores quoque; plerique Cyrum (*Osor. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord.*) vel Christum (*S. Cyr. Hier. Pint. Sasb. Sa*) appellari censent. *S. Hier.* propter v. 15 de solo Christo posse intelligi censet; quae ratio tamen rem non evincit. Nam ab allocutione ad Ierusalem facta post nomen Dei introductum facilis est transitus ad ipsius Dei compellationem, cuius mirabiliter gesta in Israel admirantur.

Ab agnitione qua confitentur in Israel sese Deum gloriose manifestare ad huius Dei compellationem admirabundi progrediuntur, brevi formula quasi tessera enuntiantes quid ex theocratia coram proposita didicerint; v. 15 « *vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, salvator* » ! — Deus qui modo hominibus ignoto et abscondito agit, qui diu ignotus et absconditus erat gentibus et tandem ut Deus in familia Israel se omnibus revelat et salutis largitorem se omnibus praestat. Admirantur ergo miram divini consilii providentiam, quae ratione ab hominum sapientia occulta singulorum sortes gubernat; antea enim quasi latere videbatur Deus Israel et tamen in abscondito ille omnium regnorum sortibus praesidebat et regnum suum a parvis initiis ad perfectionem adducebat, ita ut ad hoc regnum iam magno desiderio accedant. Unde hac tessera etiam ratio redditur, cur v. 14 tanta cum subiectione et devotione gentes sese adiungere gestiant ad populum Dei, atque id quod v. 6 de scientia Dei diffundenda dictum est hac tessera optime exprimitur. Quare haec verba neque ab Isaia dici neque a populo Dei quasi responsionis loco enuntiari censenda sunt (ut volunt *Kn. Sein. Del. Or. Rohl.*). Optime enim ea formula utuntur gentes qua declarent, cur Deo Israel nomen dandum sit; et in tali gentium cognitione et laude Dei optime id exhibetur, ad quod efficiendum Cyri opere quasi primus factus est gressus (v. 6).

Verum vae illis qui Deum absconditum agnoscere et venerari nolunt v. 16 « *confusi sunt et erubuerunt omnes; simul abierunt in confusionem fabricatores errorum* »; — hebr. *fabricatores simulacrorum* (*Mald. Mar. Malv. Osor.*); cf. 41, 24 etc. Regnum enim Dei ideo fundatur, ut idola corruant. Quare hoc versu et sequenti norma illa universalis pro-

ponitur qua rerum humanarum administratio a Deo regitur : confusio et ignominia impiis, piis vero salus et beatitas ; v. 17 « *Israel salvatus est in Domino salute aeterna; non confundemini et non erubescetis usque in saeculum saeculi* » ; — instauratio praedicatur talis quae nullo unquam tempore deficiet, quae igitur instauratio est sanctitatis stabilis. Quoties enim eousque Israel cladibus et subiectione et vastatione terrae est ignominia affectus ab hostibus et ludibrio habitus ? Confusionem autem portavit propter peccata, sicut Ieremias eos facit confitentes : dormiemus in confusione nostra et operies nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos (Ier. 3, 25). Ita quidem in vetere theocratia. At instauratio prorsus alia erit; ut non adsit opprobrium et confusio, abesse debet iniquitas, florere debet pietas et morum integritas. Hanc consequetur Israel per Dominum et in hac simul felicitate fruetur. Proinde qui ad populum Dei accedunt stabili salute potientur. — Haec autem instaurationis conditio salute aeterna et perpetua sanctitate conspicua quam hoc loco vates effert nobis denuo ostendit opus Cyri (v. 13) non considerari a propheta solum ut in se est, sed prout est prolusio et inchoatio et quasi primus gradus instaurationis sublimioris atque spiritualis. Ad oppositionem v. 16 et v. 17 confer cap. 34 et 35; 48, 21. 22; 57, 19. 20; 66, 22. 24.

d) **Ex vaticiniis noscitur numen divinum 45, 18-26.**

Talem salutem aeternam iri concessum probatur primo ratione generali ex Dei creatoris voluntate deprompta, dein ex vaticiniis et promissis divinis publice datis. Atque in priore quidem argumentatione spectatur salutis inchoatio quae in reditu populi consistit, in altera ab hoc initio gradus fit ad salutem in universum. Cernitur itaque hoc quoque loco progressus a re particulari ad annuntiationem universalem, cernitur nexus ille arctus qui in visione prophetica adest inter theocratiae instaurationem primam imperfectamque et eius innovationis perfectionem. Deus ergo populo suo auxiliator assistet et deserta regionis palaestinensis eriget (44, 26), quia qui res creavit etiam res illas ad suum perduci finem perfectionemque vult v. 18 « *Quia haec dicit Dominus creans coelos, ipse Deus formans terram et faciens eam, ipse plastes eius : non in vanum creavit eam ; ut habitaretur formavit eam; ego Dominus et non est alius* » ; — quem laborem et quam sedulitatem posuerit Deus *formans* terram, eam *perficiens* et ad suum finem *aptans* vel disponens (hebr.), explicite enarratur, ut in aptatione adeo sedulo facta finis Dei quem frustrari nolit agnoscatur. Sententia haec de terra palaestinensi dicitur, quam Deus singulari ratione ube-

rem reddidit atque amoenam et theocratiae veteri aptam et consentaneam ipso suo situ et conformatione. Hanc ergo regionem iacere desertam, derelictam ab illis quibus praeparata fuerit, et iam non consilio divino inservire Deus certe non vult ; aliam enim voluntatem in opere illo formationis ac dispositionis declaravit. Talem autem voluntatem neque retractavit neque ab alio quodam eludi aut frustrari permittet ; id quod sollemni illa declaratione : *ego Iahve et non est amplius,* se solum esse Deum absolute perfectum, unum et unicum, corroborat. Debebit ergo terra palaestinensis iterum inservire illi consilio Dei ad quod fuerat selecta, i. e. theocratiae formandae et populo Dei educando ; unde hisce verbis promissio continetur in Dei voluntate et opere clare manifestata, « redituros esse in illam ex eorum genere qui abducti fuerant, qui illam postliminio incolerent » (*Sanct.* sim. *Lap.*). Atque ad rem advertit *Sanct.* esse in Scriptura frequens, ut cum sermo significare videatur universam terram ad illam tamen provinciam coarctetur, de qua accommodate naturae rerum de quibus agitur actum oportuit.

Voluntatem hanc in rebus a Deo paratis ac gestis declaratam amplius et illustrius manifestavit et explicavit publicis suis ad populum annuntiationibus et propositis atque datis praemiis ; v. 19 « *non in abscondito locutus sum, in loco terrae tenebroso ; non dixi semini Iacob : frustra quaerite me ; ego Dominus loquens iustitiam, annuntians recta* » ! — non secrete, modo paucissimis noto, non in loco terrae caliginoso, in antris, speluncis, cavernis, uti apud gentiles oracula dari et mysteria celebrari solebant coram paucis initiatis, Iahve sua dedit oracula ; neque postulavit a posteris Iacob, ut se frustra, inaniter, sine praemio proposito colerent, sed cultui suo largissima annexuit praemia eaque cultoribus fideliter ac liberaliter distribuit. Haec in eum finem dici, ut idololatria et superstitio traducatur et reprehendatur, in aperto est positum ; modum plane diversum ab idolis quo Deus utatur et ea ipsa quae in rebus gestis et sortibus Israelitarum coram omnibus in luce apertissima collocata cernuntur, propheta affert sui temporis necessitatibus consulens, ut contribules ab idolis et vana observantia ad Dei cultum traducat. Quem in finem ut totam populi electi historiam ab initio perlustrent, monet ; invenient ubique Deum qui se vivum praestitit, continuo per suos prophetas palam et publice ad totum populum loquens et qui in terrae ubertate concessa, in cladibus hostibus inflictis, in regni splendore piis regibus dato perpetuo demonstravit se posse et velle suis cultoribus praemia largissima donare. Clarissime igitur in omnibus rebus israeliticis eminet et agnoscendus est Iahve tamquam *loquens iustitiam, annuntians*

recta, qui scil, optimum ac felicissimum rerum statum qui divinae sanctitati plane respondeat in terris efficere vult eumque in finem illam *iustitiam* per legem, prophetas loquitur et ideo ea praedicanda et perpetuo inculcanda curat quae *recta* sunt, quae illi iustitiae ad amussim consentanea et ab hominibus opere sunt exprimenda, ergo id quod ius fasque est (cf. מישרים Prov. 1, 3; 8, 6; 23, 16. Is. 33, 15).

Cum Deus talem se praestiterit palam et diu, simili ratione, uti supra 41, 1, gentes convocat, ut iudicio illo per Cyrum facto testimonium dicant, cuiusnam vis et potentia ibi facta sit conspicua v. 20 « *congregamini et venite et accedite simul qui salvati estis ex gentibus : nescierunt qui levant lignum sculpturae suae et rogant deum non salvantem* »; — *salvati* i. e. qui evaserunt ex gentibus, qui reliqui a communi calamitate facti sunt; Deus enim « dabit in conspectu eius gentes » (41, 2) et cum Cyrus descriptus sit conculcans magistratus ut lutum (41, 25), gentes subiiciens, reges reddens elumbes, iure ii qui post tale iudicium divinitus exercitum (cf. 13, 3) residui sunt appellantur : *qui evaserunt;* hi non intelliguntur Iudaei ex captivitate babylonica liberati (*For. Mar. Tir. Naeg.*), nam ii non sunt *gentes* neque tales qui quasi profugi evaserint periculum, cum Iudaeis Cyrus nihil periculi afferre dicatur (41, 14; 45, 4), sed intelliguntur gentes ex iudicio illo residuae, quae, ut bene notat *Men.*, si idolorum causam defendere volunt, afferant si quid habeant pro causa eorum. Verum fateri debebunt, carere intelligentia et nihil sapere eos qui lignea simulacra portant (46, 1) et plane stupidos esse qui tali deo supplicent qui non possit opem ferre. Id didicerunt, id elucet ex victoriis quibus Cyrus gentes et earum idola prostravit (41, 6 seq. 45, 6. 16; 42, 17). Ita ergo ex rerum eventu de idolis iudicandum erit et de cultoribus idolorum. — Cum emphasi dicitur *lignum*, id scil. et non numen quoddam inhabitans sollemni pompa et supplicatione venerantes portant, sane ridendi et ridiculi qui graviter et sollemniter truncum gestant et honorant (cf. Baruch 6, 3).

Verum aliter de Deo iudicium ferent, qui res et praedixit et in opus deduxit. Cum enim diu ante impletionem oracula dederit certissima, clara, nota, iuremerito omnes testes potest provocare, ut consultatione inter se habita edicant et palam annuntient quis talia praedixerit; v. 21 « *annuntiate et venite et consiliamini simul, quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc praedixit illud? numquid non ego Dominus et non est ultra Deus absque me? Deus iustus et salvans non est praeter me* »; — uti supra 41, 23. 26; 42, 9; 43, 9. 10; 44, 7, ita denuo Deus provocat triumphantis in modum ad oracula data : *quis audire fecit hoc ab olim*

vel a priore tempore; *ex tunc* i. e. antiquitus, a longo inde tempore praedixit (cf. 44, 8; 48, 3. 5. 7)? Cum igitur denuo gentes convocatae admoneantur, ut si quid habeant pro idolis proferant, ut *in medium afferant* (hebr.) scil. sua argumenta (cf. de locutione 41, 21. 22), ut *consultent simul* (hebr.), sapientissimos quosque consulant et collatis inter se consiliis mature dispiciant, ergo rem exactissime examinent et ad trutinam revocent, sane proiectissimae audaciae, impudentiae, immo et stultitiae esset, si oracula in fine exsilii vel Cyri tempore conficta ita proponerentur : quis hoc auditum fecit מִקֶּדֶם ab olim, antiquo iam tempore? *nonne ego Dominus*? et si tale oraculum afferretur uti hoc loco revera affertur, ut invicte ostenderetur Iahve esse Deum et *praeter eum* (hebr.) non esse Deum, fraus illa a blasphemiae crimine nullatenus excusaretur. Oraculum illud ostendens et ad rerum gestarum testimonium provocans Iahve se esse unicum Deum gentibus probat, se solum esse Deum iustum, sanctum et sanctitatem efficientem et salutem praebentem. Quis tam sollemnem provocationem et attestationem fraudi et mendacio superstructam esse ab eo asserere ausus fuerit, qui tanta cum indignatione in fraudes et mendacia incantatorum invehitur? Et si solum Cyri tempore oraculum in medium proferretur, quam facile potuit et debuit fraus detegi; ergo simul stultissime egisset pseudovates talia fingens. Praeterea adverte, quam serio in subsequentibus admoneantur omnes, ut ad talem Deum qui se probavit Deum totis animis convertantur. Sed si ipsa illa probatio ex oraculis proposita mendacio innititur, nonne Deo ludibria offeruntur?

Cum ergo Iahve suam divinitatem oraculis olim editis manifestaverit clare et invicte, cum ipse solus sit Deus salutem praebens, restat ut id fiat ad quod efficiendum oracula illa et opus Cyro divinitus datum tendunt; quare sequitur v.22 « *convertimini ad me et salvi eritis omnes fines terrae, quia ego Deus et non est alius* » ; — Deus qui est *unicus* salvator, vult revera omnibus esse salvator; inde disceptationem illam forensem instituit (41, 1) et hoc loco omnes invitat, ut ex opere Dei in rerum gubernatione conspicuo ipsum agnoscant. En, iste demum est finis et terminus totius providentiae divinae, ad quem omnia in generis humani rebus et sortibus tendunt. Hoc autem Dei consilium frustrari nequit. Quia ipse solus est Deus etiam necessario postulare debet, ut omnes ipsum agnoscant et relictis idolis colant adoratione perfecta. Quare v. 23 « *in memetipso iuravi, egredietur de ore meo iustitiae verbum et non revertetur : v. 24 quia mihi curvabitur omne genu et iurabit omnis lingua* » ! — gravissima subditur ratio, cur omnes ad Deum convertantur; Dei scil. iusiurandum i. e. voluntas eius quam maxime determinata, sollemnis, et maximo cum pondere manife-

stata, qua edicit fore id certissimum quod iuramento stabilitur. Est enim iste modus asseverandi quam maxime certus et omnis controversiae finis apud homines; Deus iurat per semetipsum, quia altiorem se non habet, « ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum » (Hebr. 6, 18) certissimum habeamus rei documentum; additur asseveratio duplex : *egressum est ex ore meo in iustitia verbum et non revertetur* (hebr.) i. e. est irrevocabile, non vacuum et inane reddetur, sed fiet certissime (cf. 55, 11). Verbum hoc egreditur ex ore Dei i. e. Deus id vult et mandat *in iustitia,* iustissime ; debet id mandare et imperare vi suae sanctitatis et infinitae perfectionis qua ut ab omnibus sibi honor et gloria reddatur summa necessitate exigere debet; quare istud Dei mandatum quam maxime datur *iuste* i. e. recto ordini quam maxime est conforme et consentaneum; « vere dignum et iustum est, aequum et salutare »! Talis Dei voluntas non poterit frustrari; mandatum Dei non carebit successu. Quae sit tam determinata voluntas, explicatur v. 24 *quia mihi curvabitur*... signum effertur externum adorationis, cui iungitur confessio linguae, index animi; iurare actus est cultus divini (cf. 19, 18; 44, 5), quia in iuramento per Deum facto Deus publice ac sollemniter agnoscitur tamquam numen omniscium, vindex mali, veritatis amans, potentissimum, curam habens rerum humanarum, iustitiae tenax etc. Una itaque cultus divini species synecdochice ponitur pro quovis Dei cultu (cf. *Sasb. Sanct. Lap. Men.*). Ergo dicit Deus fore ut omnes se ipsum colant et maiestati divinae debitum subiectionis tributum solvant. Atque revera omnes etsi hisce in terris eius misericordiam adorare et honorare noluerint, in aeternitate iustitiam divinam honorare cogentur.

Varie vertunt v. 23 מִפִּי צְדָקָה; alii : egredietur ex ore meo iustitia, verbum (*Mar. Malv. For.*), quod concipiunt : verbum quod verissima est iustitia; vel egredietur ex ore iustitiae verbum (*Net. Rohl. Hahn, Del.*); sed non placet iustitiam subito per prosopopoeiam quandam inusitatam pro Deo poni; praeplacet צְדָקָה explicare accusativum adverbialem, qui non raro invenitur in vocibus similibus (cf. Ier. 23, 28; 31, 7. Iob 21, 34. Ps. 75, 3; 119, 78 etc. *Naeg.*); ita quoque intellexit *Chald.* : egredietur in iustitia verbum. *Syrus* habet sicut *vulg.*; LXX : egredietur de ore meo iustitia, sermones mei non avertentur; sim. hebr. explicant *Kn.* et alii : egredietur veritas, verbum, quod non revertetur. — Aliquos *iustitiae verbum* interpretatos esse de Christo, vide apud *Salmeronem* in cap. 14 ep. ad Romanos et apud *Sanct.* Locum hunc allegat S. Paulus ad Rom. 14, 11 afferens iurandi formulam pro affirmatione iuramenti : *vivo ego quoniam mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur Deo* magis ex LXX; « pro religionis specie quae iuramentum est, genus ipsum adhibuit i. e. confessionem et laudem » *(Sanct.).*

Quali autem cognitione Dei imbuti adorationis cultum ei sint exhibituri declaratur v. 25 « *ergo in Domino, dicet, meae sunt iustitiae et imperium, ad eum venient; et confundentur omnes qui repugnant ei* » ; — hebr. *solum in Iahve, de me dicent, iustitiae sunt et robur;* agnoscitur Dominus tamquam unicus fons iustitiarum i. e. plenitudinis iustitiae et sanctitatis, ex quo recta vitae totius ratio singulis debeat provenire; apud ipsum est imperium i. e. fortitudo, potentia, robur (*Sanct. Mald. Mar. Malv.*), quo adiuti et confortati singuli et iustitiam virtutemque constanter sequantur et omni infestatione hostili evadant superiores. Aliis verbis : apud Dominum invenient veram doctrinam qua ratione tota vita sit ordinanda, et reperient robur animique vires ab eo haurient, ut quae cognoverint vita exprimant ab hostium insidiis tuti. Sed qui se separant ab hoc fonte vitae et salutis, qui *succensi sunt contra eum* (hebr.), ei se opponunt, confusione et ignominia obruti interibunt.

S. Hier. vertens *meae iustitiae* לִי quod in textu hebr. arcte adnectitur ad אָמַר ab hac voce separavit et ad sequentem traxit. Plerumque vertunt : *mihi dicet* scil. unusquisque de me, quoad me dicet (cf. *Malv. III. Net. Rohl. Ges. Sein. Kn. Del. Naeg. Or.*). LXX לִי omittunt et verba aliter iungunt : « iurabit (et confitebitur) omnis lingua Deo dicens : iustitia et gloria ad eum veniet » (ita vertit *S. Hier.*). Aliter quoque *Syrus* : et dicent : in Domino est iustitia et potentes ad eum venient; *Chald.* : in Verbo (Memra) Domini ad me dixit, ut adduceret iustitiam et fortitudinem, in Verbo eius confitebuntur. — Ceterum etiam textum hebr. aliqui aliter iungunt : *in Domino* ut iurandi formulam capiunt : per Dominum iuro, mihi promisit salutem et fortitudinem; vel iungunt *per Dominum*, uti LXX cum superioribus : omnis lingua iurabit solum per Dominum; mihi, inquit (Dominus), sunt salus et fortitudo (cf. *For. Sanct. Ros.*). Sed modus supra propositus est magis obvius et ad contextum magis aptus, quo explicetur, qua animi habitudine Deum adorent et qua cognitione imbuti ad Deum veniant.

Demum per modum epiphonematis concluditur v. 26 « *in Domino iustificabitur et laudabitur omne semen Israel* » ; — hebr. *et gloriabitur omne semen Israel* (cf. *Sa, Mar. Malv.*); ad id enim ut populus Dei ad veram iustitiae normam evehatur et in illo statu reperiatur qui populum Dei electum ex voluntate Dei deceat, omnia quae Deus per Cyrum est operaturus tendunt. In hac autem iustitia simul continetur *gloria* Israel; ut Israel id agnoscat, ut omnes sibi persuadeant in Domino solo omnem salutem et gloriam concludi, ad id oratio quoque prophetae tendit; quare ad quid demum ex inchoata illa per Cyrum liberatione perveniendum sit, brevi hac formula complectitur, uti sequenti quoque oratione : dabo in Sion salutem et in Israel gloriam meam (46, 13).

6. *Oratio sexta* 46, 1-13.

Arg. — Idola Chaldaeorum cum ignominia et damno cultorum superata sunt et deiecta. Deus autem uti populo nascenti adiutor adstitit, ita nunquam teneram eius curam dimittet (46, 1-4.) Cum tantum igitur adsit inter Deum et idola discrimen, res est indignissima Deo relicto idolis adhaerere. Haec recordentur et pudefiant ; reducant in memoriam quae pro ipsis olim gesserit Deus, quae pro futuro tempore in ipsorum salutem gerenda annuntiet; adducet enim virum voluntatis suae et iustitiam et salutem in Israel constituet (46, 5-13).

Quae in antecedentibus de confusione idololatrarum exposita sunt, exemplo illustrantur; sculptile ad nihil utile (44, 10) esse Chaldaei experientur devicti a Cyro, a quo illa cultores suos servare nequaquam poterant. Contra idolorum impotentiam effertur Dei de populo suo cura quam olim praestitit et in futurum praestabit, quam vaticinio edito de Cyro iam demonstravit; quare firma fiducia opem divinam et salutem exspectare possunt. Denuo ergo et quidem clarius ruina regni babylonici praedicitur, cum idola praecipua Chaldaeorum penitus devictum et contritum iri annuntietur. Ex quo vaticinio statim pro aequalibus doctrina colligitur de idolorum vanitate et de Deo qui sui populi servatorem se eousque praestitit et opis ulterioris ferendae iam dedit pignus et documentum. Quare aequum est, ut huic Deo adhaereant idolis repudiatis et laetam spem pro futuro concipiant. Hac igitur ratione vates et suis aequalibus consulit et pro tempore oppressionis solamen exhibet.

a) **Quid valeant idola, quid Dominus 46, 1-4.**

Vates statim nos rapit in medias res ostendens idola turpiter victa et deiecta. Est autem Babyloniorum clades etiam clades idolorum quia deus patrius sui populi curam gerere ita censebatur, ut populi gloria esset ipsius dei gloria, in populo autem devicto dei quoque potentia deiceretur (cf. Ex. 12, 12. Ier. 46, 25 ; 48, 7 ; 49, 3; 50, 1. Am. 1, 15. Nah. 1, 14. Hab. 1, 16. Zach. 2, 8). Quare si casus deorum Babel annuntiatur opprobriis plenus, eo ipso excidium regni declaratur et ita vaticinia antecedentia magis magisque explicantur; v. 1 « *Confractus est Bel, contritus est Nabo; facta sunt simulacra eorum bestiis et iumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem* » ; — hebr. *concidit Bel, curvavit se Nebo.. gestamina vestra sunt imposita, onus ad lassitudinem* (cf. *For. Malv.* et recentiores) i. e. simulacra

camelis et asinis imponuntur, ut tamquam spolia et tropaea a victoribus asportentur ; quae antea pompis et sollemnibus supplicationibus circumferebantur magno cum honore et veneratione (*gestamina vestra* ; cf. v. 7 ; 45, 20. Ier. 10, 5. Baruch 6, 3), iam imponuntur bestiis portanda, quae onere tali fatigantur. Ita clades populi in ignominia diis illata cernitur et victores triumphum agunt eo quoque quod diis tutelaribus utpote victis opprobria inferunt. *Bel,* vel Bil apud Assyrios et Babylonios, saepe nominatur in antiquis inscriptionibus babylonicis, neque raro quoque nomen eius invenitur temporibus subsequentibus. Variis consalutatur appellationibus honorificis : sublimis, pater dei, creator, lumen deorum, pater deorum, dominus terrarum, princeps mundi etc. (cf. *Schrader,* Keilinschr. und A. T. ad h. l. ; Studien und Krit. 1874 p. 335. *Lenormant*, la magie chez les Chaldéens p. 16. 105. 115. *Vigouroux* l. c. IV p. 308). Ex quibus titulis quanto in honore sit habitus apparet. *Nebo* vel Nabo in formulis magicis invocatur tamquam mens sublimis Bel (cf. *Lenormant* l. c. 16. 127) ; in regno [1] chaldaico recentiore eius cultus valde floruisse censendus est, quia eius nomen frequenter a regibus geritur, v. g. Nabopolassar, Nabonidus, Nebucadnezar (Nabuchodonosor) se vocat cultorem Nebo eumque moderatorem appellat agminum coeli et terrae (cf. *Schrader* l. c.) ; apud Ssabios Nebo laudatur maximus deorum et omniscius (cf. *Fürst L.* s. v. *Schenkel*, Bibellex. s. v.). Ex numero ergo deorum duo nominantur, in quibus *potentia* et *sapientia* quam maxime residere credebatur, ut iis deiectis et despectui traditis quam inane sit idolorum auxilium ostendatur. Si *Nebo* rite explicatur vates, fatidicus, eo magis Chaldaeorum ridetur sapientia qui incantationibus ac divinationibus tam sedulam operam navasse noscuntur.

Cum hisce duobus reliqua quoque idola ignominiose conciderunt v. 2 « *contabuerunt et contrita sunt simul ; non potuerunt salvare portantem et anima eorum in captivitatem ibit* » ; — hebr. *curvaverunt se, conciderunt simul ;* emphasis gratia et ad vividam descriptionem verba eadem chiastice repetuntur ; *non potuerunt cripere onus* i. e. idola non potuerunt simulacra sua ab hostibus servare et eripere ; verum hoc non possunt quia numina vel idola non in alia re quam in ipsis simulacris consistunt ; hoc ultimo membro enuntiatur : *anima eorum in captivita-*

---

1. Etiam Sargon magna reverentia commemorat Bel et Nebo, praemittit tamen deum Assur ; cf. Records of the Past VII, 25 ; *Cheyne* II p. 208. Etiam in cylindro Cyri de occupatione Babylonis Bel et Nebo dicuntur regno eius favere ; cf. *Vigouroux* l. c. p. 512 ; *Sayce,* Alte Denkmaeler p. 186 ; sicuti inscriptionibus quoque Nabonidi saepius commemorantur ; cf. Civiltà cattolica, 1883, XII, 4 p. 298.

tem it i. e. dii ipsi, totum id quod vitae eorum fons et centrum et omnium actionum radix est et origo; sed haec anima quia nihil aliud est quam metallum quo simulacrum confectum est, abit in captivitatem; ergo clare indicatur totam idoli naturam in uno consistere metallo neque aliquid aliud vel altius simulacro inhabitare. Ponitur enim *anima* etiam, ut illud ipsum quod in se exsistat et per se subsistat efferatur; proinde totum idolorum *esse* in uno constitui metallo clare asseritur, vel ut *S. Thom.* explicat *animam* i. e. numen eorum, quod proinde nihil aliud esse dicitur nisi metallum, quod inter spolia ab hostibus asportatur, vel omnis eorum vis, tantum quantum sunt (cf. *Osor. Calm.*). Proinde animam non dicit daemonium inhabitans idolum (*Sasb.*), neque loquitur ex opinione gentilium qui animam tribuant idolis, neque animam ponit pro re dilecta a Chaldaeis : amasii, idola amata captiva ducuntur (cf. apud *Mald. Malv. Men. Sanct.*) neque *anima eorum* de ipsis cultoribus poterit explicari, id quod, ut bene notat *Sanct.*, contextu excluditur. Quod vates dicens : *non potuerunt eripere onus* concedere videbatur idolum a metallo distingui, id tertio membro tamen diserte negatur : non potuerunt simulacra, onus, eripere, quia ipsa idola tanta quanta sunt in captivitatem abducuntur.

Egregie descripsit quam inania sint idola. Regno babylonico devicto ipsa quoque conciderunt, curvaverunt se. Id omnino vere dicitur, etsi Cyrus idola babylonica non confregit neque destruxit. Nam ut saepius iam notatum est, cum clade et ruina regni illa quoque vinci ac superari censebantur; a victoribus autem saepius idola quoque in signum triumphi asportabantur (vide quae de Asarhaddon notavi ad Nah. 3, 4; Proph. min. II p. 37). Atque revera coluit Cyrus idola babylonica, uti ex inscriptionibus recenter inventis elucet, in quibus Cyrus Marduk, magnum deum babyloniorum laudibus celebrat, eius templum se restauraturum promittit et singulis diebus profitetur preces fundere ad Bel et Nebo qui priorem familiam regiam benigne sustinuerint, ut suos quoque dies prolongent etc. (cf. *Vigouroux* l. c. p. 512 seq.).

Idolorum impotentia et ignominia adeo vivide proposita vates iam praeclara antithesi magnifice explicat, quid Dominus in sui populi commodum egerit et agere perpetuo et constanter sit paratus. Omnium mentes ad rem hanc attentas reddit, ut tandem idolorum opprobrio intellecto ad unum Deum vivum, ad patrem populi potentissimum aeque ac benignissimum convertantur. En quantopere vati cordi est idololatriam omni ex parte convellere! quale ergo tempus horum oraculorum supponi debet ? num exsilii finis? v. 3 « *audite me domus Iacob et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva* »! — ipsa compellatio optime ad Isaiae tempus con-

venit : domus Iacob vocatur simpliciter, sed de domo Israel, de regno israelitico reliquias quasdam adhuc superesse, quas alloquitur, supponitur; id quod regno israelitico destructo plurimisque in captivitatem abductis post sextum Ezechiae annum optime fiebat; per modum antithesis non portat Israel Deum suum, uti gentiles, verum totus populus a Deo sustentatur et quidem eo sensu, ut populum hunc Deus dicatur a primo ortu suo fovisse et portasse. Hebr. *qui portamini ex utero;* verbum hebr. עֲמֻסִים simul innuit, eos Domino oneri et molestiae fuisse, qui tamen longanimiter et patienter onus hoc quod sibi ipse imposuit sustinuit. Cum origo populi ascendat ad Abraham, *ex utero, ex vulva* intellige de prima illa epocha (cf. *For. Sanct. Lap.)*, non solum de eductione ex Aegypto (*S. Hier. Barh.* ; cf. 43, 1 ; 44, 2). Consideratur populus tamquam una persona moralis, cuius infantia, pueritia, adolescentia variis epochis distinguitur. Haec consideratio etiam hoc loco subest; sed consequens est alia quam alii hoc loco sequi videntur : vos cura mea fovi ex quo nati estis, vel inde ab eo tempore quo vos mater alvo continebat (cf. *Osor. Mald. Mar.*). In textu hebr. non legitur illud a *meo* utero, a *mea* vulva [1], neque apud LXX : qui portamini de utero ἐκ κοιλίας, qui erudimini a parvulo ἀπὸ παιδίου, neque apud *Syrum* legitur. Censet *Mar.* matris uterum vocari a *vulg.* Dei uterum quod Deo auctore concipiant ac pariant ; communiter in *vulg.* summam Dei sollicitudinem et tenerrimum amorem declarari asserunt; verum ad hoc illud a *meo* utero non est necessarium; sufficit ea meminisse quae Ex. 19, 4. Deut. 1, 31; 32, 11 dicuntur de Deo qui portaverit populum suum super alas aquilarum, vel uti gestare solet pater parvulum suum filium ; vel quod Is. 1, 2 : filios enutrivi et exaltavi. Recolant igitur tempora anteacta atque in singulis Domini curam et sollicitudinem agnoscant.

Neque in hac cura Deus unquam erit segnis neque populum senescentem fastidiet ; ergo usque ad ultimam aetatem, perpetuo, eius curam habebit v. 4 « *usque ad senectam ego ipse et usque ad canos ego portabo ; ego feci et ego feram, ego portabo et salvabo* » ! — en quanta asseveratione, quanta epitasi loquitur! est scil. amantis et persuadere volentis, ut pluribus idem efferatur. Vim sententiae bene declarat *Osor.* : « nec hoc studium mihi omittendum puto; idem enim sum eademque benignitate vos ad extremam usque aetatem amplectar atque sempiterna clementia fovebo; ego qui vos feci et effinxi, vos feram; ego vos

1. Cur ita *S. Hier.* verterit, ipse explicat ex מִנִּי, quae forma pro מִן frequenter legitur in Iob et Psalmis.

meis humeris impositos sustinebo, ego vos ab omni mole impendentis calamitatis eripiam »; et *Sanct.* : « quos teneros in infantia gestabat, eosdem aetate graves non minore studio atque indulgentia amplectitur et fovet, cum tamen longe maiora afferant fastidia et ad iracundiam provocent Deum multo gravius atque frequentius, quam filii matrem ». Deus enim ut est immutabilis (*ego ipse* i. e. ego idem), ita consilii amoris sui tenax. Senectam et canos, canitiem intellige populi, aliis verbis, quamdiu populus exsistet; neque tamen desunt qui Dei senectam intelligant et peculiarem amorem in eo cernant, quod etiam aetate senili qua parentes a filiis sustententur eos portare dicit (cf. apud *Sanct.*). Itaque ex beneficiis quae hactenus experti sunt spem firmam eos concipere iubet de futuro ; « ego eos procreavi, editos in lucem levavi atque portavi; quare et evadere faciam, eripiam atque liberabo; unde sicut ex aliis infinitis locis habemus, optima spei seu fiduciae alendae fomenta sunt praeteritorum beneficiorum in nos a Deo nostri amantissimo collatorum recordationes » (*For.*).

b) **Unde soli Domino adhaerendum 46, 5-13.**

Cum igitur adeo inania sint idola et Dei cura adeo eximia et optima quaeque praestans, cum indignatione idololatras perstringit v. 5 « *Cui assimilastis me et adaequastis et comparastis me et fecistis similem* »? — hebr. *cui me assimilabitis et aequiparabitis et comparabitis et erimus similes* vel ut similes simus? ita ut vera intercedat et appareat similitudo? cumulus quaestionum ponitur, ut quam sedulo rem perpendi velit asseratur, et ut reprehensio acrius efferatur et animus indignatione commotus ostendatur. Quae omnia sequentibus quoque efficacius illustrantur v. 6 « *qui confertis aurum de sacculo et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem ut faciat deum, et procidunt et adorant* »; — quantas impensas debent pro deo facere? quem subire laborem? aurum effundere debent de loculo et argentum lance appendere, ut adsit res ex qua deus fiat; praeterea mercede conducere conflatorem (hebr.) ut demum deum faciat; in hebr. iam primum membrum in tertia persona effertur : *effundentes aurum... argentum appendunt.* Idola itaque suis cultoribus sumptui sunt duplici et omnia habent a suis cultoribus, qui tamen coram eis procidunt, sese prosternunt et ita se ab illis dependere et auxilium humillime efflagitare profitentur! Praeterea oneri sunt idola et curam de se agi perpetuo postulant; pro qua re quid tandem rependunt? v. 7 « *portant illum in humeris gestantes et ponentes in loco suo, et stabit ac de loco suo non movebitur; sed et cum clamaverint ad eum non audiet, de tribulatione*

non salvabit eos » ; — si ergo deus factus est ex liberalitate cultorum et arte conflatoris, debent eum tollere, humeris suis non sine labore baiulare eumque suo loco reponere ; iam itaque ibi. stat ; verum truncus sine vita, sine ulla actione moles ac stipes ; *etsi clamaverint ad eum non respondet* (hebr.) ; vide quomodo Elias irriserit sacerdotes Baal : clamate voce maiore, deus enim est et forsitan loquitur aut in diversorio est (3 Reg. 18, 27 seq.) vel cf. Baruch 6, 7 seq. Ps. 113, 5 seq. Proinde numen et simulacrum unum idemque est et utrumque pariter impotens ; vide quae dicta sunt 44, 9-20.

Quid ergo intersit inter Dominum et idola et quam stupida sit mens idololatrica perpendant v. 8 « *mementote istud et confundamini, redite praevaricatores ad cor* » ! — vertit *S. Hier.* ex hebr. : *mementote istud et fundamini* « ne rursum subitus idololatriae turbo vos subvertat » ; eos alloquitur qui aliqua ratione ad idololatriam inclinant, exhortans, ut horum memores iam non in utramque partem claudicent, sed ut ista consideratione se roborent ac confirment : « vos viros esse ostendite contra hanc vanitatem » (*Mar.* sim. *For. Malv. Osor. Vat. Loch, Rohl. Troch.*). Altero membro compellat eos qui sese iam dederunt cultui superstitioso et quos *apostatas* (פֹּשְׁעִים cf. 1, 2) vocat. Hos admonet, ut redeant « ad mentem, qui simulacra venerantes velut furiosi in ligna impingebant et lapides » (*S. Hier.*) ; cf. 44, 19 ; ut re perpensa resipiscant.

Lectio *vulg. confundamini* videtur esse correctio male intellecta pro *fundamini;* hoc enim in versione sua exhibet *S. Hier.* ; iam *Est.* notat : « Hieronymus legit *fundamini,* ut patet ex eius commentario, et vox hebr. non significat confundi sed fundari, seu roborari, quasi dicat : revocate in memoriam vanitatem idolorum et fundamini seu corroboramini i. e. praestate vos viros, estote fortes et fundati ; sic etiam legit glossa ordinaria ». Etiam *Pint.* solum *fundamini* novit, et *Sasb.* notat ita quoque legere Dionysium Carthusianum et pene certum esse alteram lectionem esse mendosam. Cum LXX verterint στενάξατε *ingemiscite, S. Hier.* in commentario, uti saepe facit, utramque lectionem coniungens scribit : « agite poenitentiam, ingemiscite pro errore qui vos tenuit, immo fundamini, ne rursum..... » etc. unde perperam aliqui concludunt ipsum legisse *confundamini,* uti *Naeg.* — Hebr. הִתְאֹשָׁשׁוּ ἁπ. λεγ. aliqui esse volunt denominativum ab אִישׁ, cf. *Ges.* Thes. p. 84. 166. *Fürst L.*, ita quoque *Vat. Mar.* etc. Alii praeferunt derivationem ex arabico אשׁשׁ *fundavit, stabilivit;* ita *Hitz. Kn. Sein. Del. Naeg. Or. Rohl.* — Iam *Chald.* vocem expressit *confortamini* אִתְקְפוּ ; *Syrus* vertit *considerate.* Aliis quoque visum est verbum derivare a אֵשׁ ignis i. e. inflammamini, incendimini scil. pudore ? ita aliqui rabbini et *Vitringa* et *Ros.* in altera scholiorum editione, qui censet versionem LXX ad idem esse referendam.

Iam quid perpendant et alte menti infixum gerere debeant, iis proponit v. 9 « *recordamini prioris saeculi quoniam ego sum Deus et non est ultra Deus et non est similis mei* v. 10 *annuntians ab exordio novissimum et ab initio quae necdum facta sunt; dicens : consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet* » ! — hebr. *mementote priorum rerum a saeculo;* recolant priorum rerum ab antiquitate remotissima historiam, in qua scil. Deus se rerum moderatorem ostendit et quae futura erant saepe praedixit : *annuntians ab initio finem* i. e. eventum et exitum rerum (hebr.); cogita v. g. de vaticiniis Noe datis et Abraham, quae saeculorum cursu impleta sunt, ita circa diluvium iam non oriturum, terrae palaestinensis occupationem, multiplicationem posterorum Abraham, reges ex eis orituros; ita ergo annuntiavit ab initio ea quae nondum contigerant et ea quidem firmitate, ut suam voluntatem tamquam mensuram rerum futurarum stabiliret. In qua re, ut bene explicat *S. Cyr.*, praeclare Dei potentia insuperabilis elucet. Quis enim hominum pro aliquo tempore asserere potest : consilium meum stabit etc. plurima enim incidunt, quae consilia hominum interturbant; Deus autem pro saeculorum cursu suam praefigit normam et cuncta secundum eam ad amussim fiunt. Atque inter talia insignia documenta divinitatis et oracula nota, quibus divinitas eius clare elucet et quibus ab initio annuntiaverit exitum rerum et ab initio, olim, ea quae nondum acciderant, recensetur iterum vaticinium de Cyro; est ergo oraculum, quo eodem modo ac priscis illis magnalibus sublimitas Dei egregia quadam ratione demonstratur (cf. v. 9); quare haec argumentatio novum est argumentum quo oraculum diu ante eventum editum esse clare comprobatur; pergit enim v. 11 « *vocans ab oriente avem et de terra longinqua virum voluntatis meae; et locutus sum et adducam illud; creavi et faciam illud* » ! — avem vel *aquilam* (hebr.) intelligi Cyrum patet, uti fere omnes quoque explicant [1]; aquila apte ponitur pro bellatore qui cursu celerrimo et praedae cupidus multas regiones pervolat (cf. Ier. 49, 22. Ez. 17, 3), ergo in aquila potenti, celere, rapace ea describuntur quae 41, 2. 3; 45, 1. 2 exhibentur. Eo aptior est haec appellatio pro Cyro, si verum est quod Xenophon refert (Cyrop. 7, 1, 4), Cyrum auream aquilam expansis alis in oblonga hasta sibi praefer-

1. *Euseb.* tamen ministros Dei et angelicas potestates interpretatur; *S. Cyr.* ob Ez. 17, 12 aquilam intelligit Nabuchodonosorem; *Theod.* celeritatem τῆς ἐπανόδου; *S. Thom.* Cyrum vel Christum; aliqui typice Christum designari volunt; unice Christum asserere videtur *S. Hier.*; ita autem scribit ad h. l. *S. Ephr.* : « aut avem Medos vocat qui vastabunt Babylonios, aut avem appellat Israelitas qui in reditu suo Aramaeos et Graecos et domum Gog vastarunt »; *virum consilii mei* explicat Zorobabelem. *Barh.* vero avem interpretatur Persas, virum voluntatis meae Cyrum.

ri iussisse, ut suae in castris praesentiae signum daret (cf. *Sanct. Lap. Tir. Calm. Rohl. Troch. Del.*), immo etiam tempore posteriore idem signum regium apud reges Persarum in usu fuisse (Xenoph. Anab. 1, 10. 12. *Nagg.*). Venit ab oriente cf. 41, 25. Vocatur *vir consilii mei* (hebr.), qui ad Dei consilium exsequendum eligitur (cf. 44, 26 seq.). Et quam certo oraculum de Cyro impleri debeat, duplici assertione quasi sigillo divino confirmatur : *locutus quoque sum, etiam adducam, formavi* (cogitavi, animo designavi *Mald.*, apud me constitui *Mar. Malv.*), *etiam faciam illud* (hebr), ergo prorsus ut animo praeformavit et finxit, ita perficiet. Qua affirmatione denuo oraculum diu ante impletionem datum esse asseritur ; in alia autem suppositione, oraculum fundi cum res iamiam fieri incipiunt, haec adeo graviter dicta risui essent ac potius contemptui exposita.

Vim argumenti huius aliqui ita eludere student, ut dicant v. 10 explicandum esse : ab exordio Cyri annuntiavi finem et exitum rerum. At frustra. Nam haec explicatio est prorsus falsa; רֵאשִׁית significare ortum Cyri vel primum eius exordium tamquam belli ducis prorsus gratuito fingitur, et usui vocis atque analogiae plane repugnat ; excluditur h. l. quoque membro altero : *ab initio quae necdum facta sunt dicens ;* קֶדֶם tempus diu praeteritum designat (cf. 19. 11 ; 23, 7 ; 37, 26. Deut. 33, 27. Prov. 8, 33. Ier. 30, 20. Lament. 5, 21. Ps. 44, 2 hebr. Mich. 5, 1 ; 7, 20). Etiam *Ges.* Thes. voci assignat notionem : a prisco tempore, antiquitus, olim. Et praeterea cum vates dicat: *quae non contigerunt*, quae non facta sunt, non potest intelligere tempus, quo ea iamiam fiunt. Deinde simul considerare oportet v. 9 fieri provocationem ad *priora a saeculo* et in arcto nexu ad hunc versum pergi in v. 10. Denique non erat omittendum saepius oracula haec dari diu ante eventum omnino clare proponi et affirmari (cf. 41, 26 ; 42, 9 ; 43, 9; seq. 44, 8 ; 45, 21).

Cum igitur Deus talia documenta afferre possit, quibus ostendat se summa potentia praeditum sedulo ac continuo populi sui curam gessisse et gerere et praeclara pro iis consilia volvere et exsequi, iuremerito compellat eos qui a tali Deo et tali salute adhuc alieni sunt v. 12 « *audite me duro corde qui longe estis a iustitia !* v. 13 *prope feci iustitiam meam, non elongabitur et salus mea non morabitur; dabo in Sion salutem et in Israel gloriam meam* » ; — *robusti corde* (hebr.), *Sym.* σκληροκάρδιοι dicuntur contumaces qui monitis divinis non cor molle, carneum, tractabile offerunt, sed impenetrabile, obtusum, in malo obfirmatum. Quo magis cultui idololatrico se dedunt (v. 5), eo longius absunt ab illa conditione, in qua Deus suos constitui vult, i. e. ab iustitia, quacum salus et felicitas iungitur. Et tamen hanc iustitiam et salutem

prope adiacentem habent, dummodo velint. Eo ipso enim quod sint fideles cives Sion et vere Israelitae, qui patris nomen et virtutem in se exprimant, etiam illius salutis erunt participes quae sollemni attestatione et sponsione inviolabili Sioni promittitur eique adnectitur; *Israeli gloriam suam* vel ornatum suum, splendorem, magnificentiam suam dabit (cf. 45, 26). Est enim Deus summa beatitas et gloria summa; quo magis ergo quis ad eum accesserit, eo magis illa beatitate et gloria circumfunditur (cf. 60, 2. 3). Praeclaro modo vanitate idolorum ostensa quid ipse pro suis cultoribus facturus sit, verbis *salutis et gloriae suae* declarat, bona complectens hisce in terris largienda et gloriae divinae communicationem sublimem innuens. Sion et Israel elegit, ubi reposuit salutem et gloriam suam; ergo maxima in verbis continetur adhortatio, ut qui mente vel corpore procul sint a populo electo et centro theocratico, illi se coniungant; quare admonitio apta iam ponitur pro fine exsilii (cf. 48, 20; 52, 11; 57, 14); sed praeterea quicumque velit salutis et gloriae divinae partem habere, se Sioni aliqua ratione consociare debere clare consequitur (cf. Is. 2, 2. Ps. 86; vide ad 44, 5. 6). Modo quodam inchoato atque imperfecto hanc salutem et gloriam Sioni et Israeli esse datam per Cyrum, qui vocatus a Deo Israelis et Ierusalem subversae ulcisceretur iniurias et Medis Persisque superantibus Babylonem Chaldaeosque deleret, recte adnotarunt (cf. *S. Hier. Osor. Sanct. Mar. Men. Tir.*); verum ibi non esse sistendum, sed normam enuntiari sublimiorem, universalem, salutem messianicam spectantem, ex verborum ambitu et sermonibus antecedentibus facile collegeris (cf. *S. Cyr. Lap. Tir. Calm.*).

7. *Oratio septima* 47, 1-15.

Arg. — Indicitur Babyloni maxima quaedam ignominia et humiliatio et opprobrium turpe; iam non erit domina regnorum. Ad illam vero vilitatem redigetur quia populum Dei nimia crudelitate oppressit et immensa superbia se extulit (47, 1-7). Propter elationem illam qua divinos honores sibi arrogavit, redigetur in solitudinem; quia gloriata est in multitudine divinationum et incantationum, cum magna sui confusione experietur illas vanas fuisse et mendaces et se ab omnibus destitui et cum incantatoribus puniri (47, 8-15).

Postquam deorum babyloniorum ruina et dedecus est propositum (46, 1. 2), apte subsequitur, ut prioris liberationis causae et Cyri opera absolvantur, ipsius urbis Babylonis, regni capitis, ruina et humiliatio et punitio. In ea enim clare et aperte deprehenditur, deos impares fuisse

saluti praestandae et manifestum habetur argumentum et palpabile pro clade deorum, de qua 46, 1 seq. agebatur. Porro in causis quae pro castigatione Babylonis afferuntur nobis divina panduntur consilia in rerum administratione et speciatim in gubernatione sui populi. Uti hactenus idola, ita nunc artes magicae quae cum idolis adeo arcte cohaerent quam inanes sint et futiles et nocivae demonstrantur. Unde cernitur, quomodo sacer vates idololatriae larvam detrahat et Dei normas sanctas et veram hominis dignitatem ubique sancte profiteatur, tueatur, doceat. Excelsam prophetarum mentem divinitus inspiratam, qui dum omnes gentes idololatriae et divinationibus sunt immersae, uni sanctam Dei legem et normam veritatis praedicant!

a) **Ignominia Babyloni illata 47, 1-7.**

Quod supra 43, 14 indicaverat vates, iam exsequitur simul in exemplo Babylonis et eius subiectione illustrans ea quae de Cyri potentia invicta (41, 2; 45, 1 seq.) dicta sunt. Urbi enim florentissimae annuntiat ignominiam futuram et tamquam Dei legatus iubet urbem superbam relinquere pompam et ad infimam vilitatem descendere. Etiam hic sane magnificum tibi offertur spectaculum; dum enim Babylon sui nominis gloria, opum divitiarumque magnificentia et potentia orbem implet et gentium admirationem et invidiam excitat, sacer vates huic pompae et splendori larvam detrahit, potentiam quae insuperabilis videbatur inanem fore et plane evanidam praedicit, maximam superbiam maxima deiectione puniendam esse vaticinatur. Ipse modus enuntiandi mandatum urbique imperandi iam sublimem legati divini auctoritatem declarat v. 1 « *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon! sede in terra! non est solium filiae Chaldaeorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera* »; — expugnatio urbis a Cyro facta revera erat initium ruinae; ab eo enim tempore non solum ad pristinam dignitatem et dominationem non iam pertingere potuit, sed magis magisque potentia et auctoritate imminuta in contemptum abiit et oblivionem (vide ad cap. 13. 14). Unde propheta per expugnationem Cyri divinum illud imperium promulgari dicit: *descende* de fastigio gloriae, de sede et throno superbiae! et quo magis sese extulit et quo gloriosior fuit, eo magis deiicietur, unde *sede in pulvere,* habitum indue lugentium, servorum, abiectorum! *virgo* scil. hactenus urbs erat ab hoste tuta, nulli subiecta, a nullo vim et oppressionem passa (cf. 3, 26; 23, 12. *Osor. Pint. Sanct.*), verum iamiam libidini hostium tradetur. Humi sedere iubetur; iam non tamquam domina et iudex gentium in solio sedebit antiqua illa et inclita urbs Chaldaeorum prisco florens imperio. Adest enim finis mollitiei et

deliciarum, ita ut nemo iam urbem vocet vel vocare possit deliciis affluentem, luxu et mollitie plenam. Finis igitur indicitur imperii, gloriae, deliciarum voluptatumque ; de verbis cf. Deut. 28, 56 : « tenera mulier et delicata quae super terram ingredi non valebat nec pedis vestigium figere propter mollitiem et teneritudinem nimiam » ; de morum mollitie et corruptione cf. Baruch 6, 43. *Herod.* 1, 195 seq. ; *Curtius,* rerum Alex. 5, 1. *Rawlinson,* the five Monarchies III p. 21.

Delicatae et molli iam indicitur labor servilis isque molestissimus, superbae dominae ignominia et opprobrium servile et captivitas v. 2 « *tolle molam et mole farinam! denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina!* v. 3 *revelabitur ignominia tua et videbitur opprobrium tuum; ultionem capiam et non resistet mihi homo* » ! — *molere* labor erat et gravissimus et abiectissimus; abi ergo in pistrinum ut mancipium turpissimum et abiectissimum (*Malv.*); cf. Ex. 11, 5. Iob 31, 10. Tamquam vile mancipium omnium quoque ludibriis ac libidini est exposita et subiecta ; captiva ducitur ; « transibis autem flumina non ut antea ludibunda in lintribus sed ut captiva pedibus et cruribus ad illam miseram transmissionem ignominiose nudatis » (*Sanct.*). Hebr. post molae ministerium servile ita : *retege velamen tuum, eleva* (retege) *syrma,* peplum scil. defluens, *denuda crus, pervade flumina; reveletur nuditas tua et videatur ignominia tua;* velum mulieri detrahere maxima est ignominia ei illata ; ea recensentur quae maximo opprobrio sunt mulieri ; cf. Nah. 3, 5 ; sensus est : « omne flagitiorum dedecus et ignominia quam opes immanes operiebant detractis ornamentis et eversis opibus erit in oculis omnium mortalium posita » (*Osor.*) Familiaris est prophetis eiusmodi urbium et populorum personificatio ; exemplum conspicuum habes Ez. 16. 23. — Demum a quo auctore ista infligenda sit castigatio additur ; ultionem et vindictam capiet Dominus de illa scelerum colluvie et ita quidem, ut nulli qui sceleribus est constrictus velit parcere ; hebr. *et non parcam homini* (cf. *Rohl. Troch. Ewald, Kn. Fürst, Sein. Del. Or.*).

Vocem צַמָּה recentiores explicant *velum;* ita LXX h. l. κατακάλυμμα et *Syrus* et *Sym.* quoque Cant. 4, 3 et 6, 7 κάλυμμα; eam notionem praeter alias explicationes etiam norunt et afferunt *For. Lap.* etc. — Ceterum haec vox varie est explicata. *S. Hier.* de ea re haec affert : « LXX transtulerunt *revela operimentum,* Theodotio ipsum verbum hebr. posuit, Aquila *semmathech, Sym.* τὸ σιωπηλόν σου, quod nos exprimere possumus *taciturnitatem tuam* quod taceri debeat prae verecundia » ; atque LXX quoque Cant. 4, 1. 3. et 6, 7 verterunt σιώπησιν. Vocem retulisse videntur ad צמת quod Arabibus et Syris *conticuit* notat (*Ros.*). Alii explicarunt ex alia radice arabica, ut significaret comam in nodum collectam, capillos plexos, cincinnos (cf. *Malv.* I); ita quoque aliqui rabbini (cf. *Ros. Ges.* comment.). At optime hic et Cant. convenit significatio *veli ;* velum enim retegere vel auferre ignominiae est mulieri apud orientales.

Quid hoc loco crines vel cincinni sibi velint, non cernitur. — Etiam vox שֹׁבֶל varie accipitur; est ἀπ. λεγ.; voces eiusdem radicis cognatae, uti recte monet *For.*, fluxum vel protensionem denotant; quare vocem interpretantur vel de capillis, vel de vestibus defluentibus. Hoc posterius certe h. l. apte dicitur; quare recentiores communiter vestes defluentes, syrmata intelligunt vel partem vestis fluxam et prolixam, uti feminae nobiles habere solent. Verum num serva tali veste induta incedit? ita ut iuberi possit retegere syrma? Fortasse solum infima pars vestis cuiuscumque intelligitur, fimbria vel huiusmodi, ita ut sensus sit idem qui Ier. 13, 26. Nah. 3, 5 exprimitur. Veteres versiones mire variant in huius vocis versione. LXX crines canos exprimunt, item *Syrus;* ita etiam aliqui rabbini de crine descendente explicant (cf. apud *Mald. Malv. Ros. Ges.*); alii membrum aliquod intelligunt : humerum *S. Hier.* (propter סבל?); alii brachium, coxam, plantam pedis etc. — Quid *Chald.* intellexerit, detegi nequit, quia totum versum maiore vertit libertate : suscipe infirmitatem, ingredere in servitutem, revela gloriam regni tui; contriti sunt principes tui, dispersus est populus exercitus tui, migraverunt sicut aquae fluminis.

Ultimum in v. 3 membrum varie concipiunt. *S. Hier.* in comment. exponit : nullum pro ea vult audire precatorem qui iram Domini suo lenire conetur occursu. Pro significatione : non admittam intercessorem, hiphil vel piel verbi פגע requireretur. *S. Hier.* secutus esse videtur versionem *Sym.* οὐκ ἀντιστήσεταί μοι ἄνθρωπος. Recentiores plerumque vertunt : *non parcam ulli* (cf. *Ges.* com. *Hitz. Ewald, Kn. Fürst, Del. Rohl.*); *non inveniam ullum (Hahn)* i. e. ita perdam, ut iam nullus fere reperiatur. Potest *vulg.* explicari : non obviam habebo hominem, vindictam autem capere sine occurrente est modis omnibus irae atque animo satisfacere (cf. *For.*).

Sed dum Babylon e sede deiicitur, proxime iam instat liberatio pro Israel; unde nexus talis hac piorum apostrophe declaratur qui non possunt se continere neque spiritum cohibere quin Deum laudent cum audiant ultionem de Babylonia (*For.*); v. 4 « *redemptor noster Dominus exercituum nomen illius, Sanctus Israel* »! -- ruinam enim Babylonis initium esse salutis, iam patet ex 14, 1. 3 et vide 43, 12; unde facile explicatur, cur pii respondeant Domino qui dixit se ultionem capturum v. 3 eum laudando ut vindicem, iuris reparatorem et liberatorem, eius potentiam extollendo, cui omnia agmina subserviant et qui Sanctus Israel populo suo conditionem restituat eam quae talem Deum deceat (cf. 6, 3). Hisce titulis simul efficax continetur precatio, ut quae dicta sint in opus deducantur, et firma piorum spes atque fiducia.

Huic piorum desiderio respondet Deus sententiam in Babylonem latam confirmans (v. 5) et ulteriores rationes ruinae et causas afferens (v. 6 seq.) v. 5 « *sede tacens et intra in tenebras filia Chaldaeorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum* »! — pro tumultu et strepitu bellico quo antea orbem implevit, pro gloriatione et fastu quo sui nominis pompam ubique celebrem habere voluit, iam silentio et oblivione obruetur; olim extulit vocem omnibusque terrorem incussit, iam tacet, neminem habens cui imperet, tacet pudore offusa, ita ut tenebris igno-

miniam suam abdere studeat; iubetur tenebras et latebras quaerere, ut oculis omnium subducta penitus oblivioni tradatur. Extremam illam ruinam et vastitatem vates denotat quam pluribus cap. 13 et 14 est prosecutus. Atque minime urbem ad pristinum splendorem esse redituram, indicat vates *non vocaberis ultra domina regnorum;* titulus hic correspondet regi regum cf. 10, 8; 13, 19. Ez. 26, 7. Post expugnationem a Cyro factam iam non, uti antea saepius, pristinam recuperabit florem; ergo ne Chaldaei se solentur: refloruit civitas regnumque saepius post variam oppugnationem Assyriorum; talem spem iri praecisum vates asserit; ergo lucem illam, qua mane oriebatur (13, 12) terramque collustravit, iam sequentur tenebrae densissimae; unde *intra in tenebras,* neque ullus erit a caligine exitus, quia nomen illustre iam non reddetur ei (cf. 14, 22. 23).

Cur tenebris sit obruenda et eiicienda ab hominibus (cf. 14, 19) eodem modo explicatur quo in priore parte 14, 4 seq.; v. 6 « *iratus sum super populum meum, contaminavi hereditatem meam et dedi eos in manu tua; non posuisti eis misericordiam, super senem aggravasti iugum tuum valde* »; — Deus populum suum, hereditatem suam, gentibus commisit castigationis gratia; ita populum tradens gentibus eum sacra sua dignitate theocratica quasi exuit, profanum reddidit (cf. 43, 28. Ez. 21, 25). Verum Babylon iustam poenae mensuram excessit, uti Assur quoque 10, 7; unum ponitur crudelitatis exemplum in aetate senili et infirma, quam sine misericordia oneribus servitiisque durioribus oppresserint; de qua re vide Lament. 4, 16; 5, 12. Ita plerique (cf. *S. Hier. Osor. For. Sanct. Mald. Lap. Men. Tir. Rohl. Sein. Del. Naeg. Or.*); aliqui (*Ges. Hitz.*) *senem* ipsum intelligunt populum attritum; at cum in priore membro numerus pluralis ponatur, populus non tamquam una persona consideratur; insuper sententia careret apta gradatione et quis sibi persuaserit, populum cui sortes adeo felices pro futuro annuntiantur nunc a vate vocari senem decrepitum et ea appellatione quidem cum de periodo instaurationis sermo vertatur?

Alia ruinae causa est elatio Babylonis v. 7 « *et dixisti: in sempiternum ero domina; non posuisti haec super cor tuum neque recordata es novissimi tui* »; — hebr. *adeo ut non poneres hoc super cor;* ita ergo superbia elata erat, ut sempiternum sibi dominium promitteret neque unquam in mentem sibi induceret fieri posse ut ab eo excideret, neque consideraret quis tandem futurus esset exitus vel ad quem finem suo ipsorum pondere scelera et iniquitates tenderent. « Existimabat ergo Babylon adeo se aliis esse superiorem, adeo formidabilem, ut contra se nulla vis aut potestas quidquam auderet; atque ideo sempiternum sibi imperium arrogabat » (*Sanct.*). Verba sunt consona illis quae 14, 13.

14 superbe iactantur. « Sed et hoc signum superbiae quod praesenti felicitate decepta futurorum non cogitarit ambigua » (*S. Hier.*).

b) **Quam inanes sint Chaldaeorum divinationes 47, 8-15.**

Cum Chaldaei magicis artibus essent celebres consentaneum omnino est, ut cum idolorum impotentia (46, 1. 2) et regni potentissimi ruina (47, 1 seq.) etiam clades demonstretur et vanitas divinationis. Quare ostendit vates propter artes magicas poenam instare et simul artium earum declaratur stultitia, quia ex iis Babylon neque rerum futurarum notitiam hausit neque subsidia ad mala avertenda; e contra illis insigniter est decepta. Exprobrationem orditur vates similiter uti 47, 1 et arcte illam ad antecedentem elationem adiungit v. 8 « *Et nunc audi haec delicata et habitans confidenter quae dicis in corde tuo : ego sum et non est praeter me amplius; non sedebo vidua et ignorabo sterilitatem,* v. 9 *venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas; universa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem* »; — prius effertur quibus titulis ex norma divina Babylon debeat interitui devoveri; est dedita voluptatibus, superbe suis viribus confisa nullum malum sibi esse subeundum existimat, demum simili forma loquendi utitur, qua verus Deus infinitam suam perfectionem et divinitatem enuntiat (cf. 45, 5. 6. 18. 22; 46, 9); quare ad arrogantiae fastigium evecta numen sibi divinum attribuit eodem modo quo 14, 13. 14; ex tali autem dignitate divina consequi ait se nunquam regia dignitate iri exspoliatum, nunquam destitutum iri populorum concursu vel gentis propriae frequentia. Babylon effato illo *ego sum...* sibi talem vindicat excellentiam ut nihil iam exsistat quod secum possit in ullam comparationem venire, ergo ut in se quasi omnia quae sint et valeant concludantur. Unde infertur stabilitas regni et splendoris; viduitatem multi intelligunt urbem a rege suo derelictam vel regno viduatam (cf. *S. Ephr. Cyr. Hier. Theod. Osor. Sanct.*) sed cum rex nullibi tamquam vir, maritus urbis vel populi consideretur, explicatio vix probari poterit. Analogia a populo theocratico desumpta (cf. 50, 1) numen urbis vel idolum praecipuum posset eo nomine designari; proinde numen sibi perpetuo adfore neque id unquam esse permissurum, ut urbs deseratur et cadat. Haec explicatio sane probabilis est; attamen ex Lament. 1, 1 alia suggeritur. Ibi enim viduam esse idem dicit quod solam esse, derelictam esse ab incolis, iam non esse plenam populo. Cum sterilitas certe dicatur de interitu Babyloniorum ipsorum, viduitas apte refertur ad alias gentes quae commercii causa

urbem frequentare solebant; tale commercium etiam fornicationis nomine designatur (cf. 23, 17. Nah. 3, 4), quare urbs ab eiusmodi amasiis derelicta *vidua* appellari potest. Habes ergo v. 9 idem quod 13, 14 : unusquisque ad populum suum convertetur et singuli ad terram suam fugient.

Verum repente et inexspectato duplici illa obruetur calamitate et quidem *universa*, hebr. *secundum perfectionem suam* i. e. plenissime, summo gradu (cf. *Mald. For. Malv. Mar.*); idque *cum multitudine incantationum tuarum et cum vi* (robore) *praestigiarum vehementi* (hebr.) i. e. non obstante copia praestigiarum, quamvis plurimas adhibuerit incantationes; ita hebr. בְּ h. l. plerumque intelligunt (cf. *Loch, Net. Rohl. Troch. Sein. Kn. Del. Naeg. Or.*), quamvis etiam notione *propter* vel *pro* accipi possit, uti *vulg.* habet; de quo usu vide *Ges.* Thes. p. 173. Ruinam eventuram esse propter maleficia et in poenam eorum, certe v. 10 exprimitur. Quaenam incantationum genera intelligantur, vix dici poterit; LXX vertunt ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου, ἐν τῇ ἰσχύι τῶν ἐπαοιδῶν σου; *Syrus et Chald.* explicant generatim de artibus magicis (חרשׁ), de magis, incantatoribus, veneficis (cf. Thes. syr. ed. *P. Smith* p. 1387). Quantopere vero iis artibus dediti fuerint Chaldaei, discere poteris ex libro supra allegato a Lenormant edito; quinque ordines recensentur apud Dan. 5, 11 (cf. 1, 20; 2, 2. 27) et iam *Sanct.* monet ipso nominis Chaldaeorum usu id demonstrari, quia communiter Chaldaei vel Babylonii pro astrologis, aruspicibus seu incantatoribus usurpantur « qui ut tradit Cicero l. 2 de divinatione iactabant habere se disciplinam illam collectam per quadraginta et septuaginta annorum millia » (*Sanct.*). Artibus eiusmodi ipsos deos posse adigi ut faciant quod praestigiatores desiderent, a mente gentilium non erat alienum [1] opinari; quare illud *non obstante multitudine praestigiarum* non sine emphasi effertur.

Hebr. v. 8 אֲנִי וְאַפְסִי עוֹד LXX verterunt ἐγώ εἰμι καὶ οὐκ ἔστιν ἑτέρα; *Syrus* : ego et non est iterum; *Chald.* ego sum et non est praeter me amplius; eodem modo *S. Hier.* Sensus certe rite exprimitur et formula ad illas proxime accedit, quibus Deus suam asserit divinitatem. Qua in re interpretes conveniunt. At differunt in voce אַפְסִי explicanda. Uti ostendi ad Soph. 2, 15 (Proph. min. II p. 152) ex usu vocis אֶפֶס potest verti : *ego et nihil amplius* i. e. ego sum et praeter me nihil iam exsistit quod sit consideratione dignum; ergo sibi ipsi omnem vim, virtutem, sufficientiam attribuit et ita se pro numine divino haberi vult. — Alii explicant אַפְסִי praeter me vel tantummodo ego; ergo : ego et num praeter me amplius? sed interrogatio esset sane in-

1. Vide *Lenormant,* la magie chez les Chaldéens p. 42. 53. 90. De qua re aliqua ex Porphyrii epistola refert *Eusebius,* praepar. evang. 5, 10 (*M.* 21, 341).

dicanda; alii etiam durius omissam esse volunt alteram negationem אין vel אֶפֶס : ego et praeter me *nihil*, *nemo* amplius; sed negationem omitti posse, est inauditum. *Hahn* additum י tamquam signum femin. accipit, ita ut *nulla alia* exprimatur : ego et nulla alia amplius. *Del.* et *Naeg.* exponunt אַפְסִי poni eodem sensu quo אֵינִי, אֵינֶנִּי, ergo : ego utique non sum amplius, ut Babylon asserat se esse et se amplius non esse i. e. alteram, secundam, quae sit sicut Babylon, iam non exsistere. Sensus quidem idem est; sed modus exprimendi eum : ego non sum amplius, vix placere potest; nam : ego altera vice iam non exsisto, vel in altera urbe simili ego iam non exsisto vel repraesentor iterum, videtur subtilius dictum. Item quod *Or.* explicat eodem sensu : ego et meum non-esse amplius.

Propter elationem illam nihil mali sibi timuit Babylon neque scelerum suorum poenam ullam formidavit v. 10 « *et fiduciam habuisti in malitia tua et dixisti : non est qui videat me ; sapientia tua et scientia tua haec decepit te ; et dixisti in corde tuo : ego sum et praeter me non est altera* » ; — *in* explica, uti in v. 9 בְּ i. e. quamvis multa patraret scelera, sibi optima quaeque magna fiducia et securitate promittebat, quia secum cogitabat et alta etiam voce iactabat, non adesse numen divinum quod videat scelera et ulciscatur (cf. *Sanct. For. Tir.*). Hic sensus optime cohaeret cum sequentibus. Alii explicant : confisa es in crudelitate, in tyrannide, ita ut crudelitas sit ratio fiduciae (cf. *Kn. Del. Rohl.*) ; sed quomodo sit malitia vel crudelitas ratio fiduciae et fulcrum, non perspicitur ; ratio assignaretur, si nomine malitiae intelligeretur superstitio divinationum ; neque id tamen admitti potest, quia statim scientiae et sapientiae Babyloniorum mentio infertur. Ad sapientiam et scientiam, qua decepta sit, numeranda sunt genera incantationum, sed etiam quod modo dictum est, stulta scil. opinio non adesse eum qui scelera videat et puniat. Repetit vates, ad quod elationis fastigium falsa illa sapientia sit evecta ; cf. v. 8. Verum quo magis fastus inanis deprimatur, calamitas eum in modum superveniet, quo quam maxime et arrogantia illa puniatur et incantatores pudore suffundantur v. 11 « *veniet super te malum et nescies ortum eius et irruet super te calamitas quam non poteris expiare, veniet super te repente miseria quam nescis* » ; — poena ita proponitur, ut quam inania sint divinationum genera appareat ; ingruet malum ita ut *ortum* i. e. originem eius vel causam omnino nesciant (*Mald. Malv.*) neque diem et tempus antea cognoverint (*Mar. Men.*), sed quo subito prorsus et inexspectato obruantur ; « videtur autem allusum ad artem astronomicam seu genethliacam, quae ex vario astrorum ortu seu aspectu futuros rerum eventus praesagit, quasi dicat Deus cum specie quadam irrisionis : qui in astris exortus rerum, incrementa et fines videre se putant, illi in astris quid sibi a Deo paratum sit mali et eius ortum seu auroram aut crepusculum non cognoverunt »

(*Sanct. For.*). Calamitas dein ea aderit, quae nulla expiatione poterit amoveri, quam nemo suspicari poterat, in qua igitur artes magicae et incantationes omnes prorsus inanes et inutiles evadent. Deinde Babylon cum magna sui confusione experietur, quantopere *decepta sit* (v. 10) illa magiae sapientia et quam falso per illam ad culmen superbiae evecta sit et in se una omnia concludi et contineri existimaverit (v. 10); tunc sentiet alium eumque potentissimum praeter se exsistere et vindictam exercere.

Hebr. שַׁחְרָהּ vertit *S. Hier.* ortum eius. Vox ex usu hebr. non potest aliter intelligi nisi *auroram eius*, ergo eius ortum, primum quasi crepusculum; vel intelligi posset *aurora* quae malum, noctem tribulationis subsequatur; qua in explicatione melius servatur usus metaphorae lucis vel aurorae faustus et felix, sed perit confusio divinatoribus inferenda. *Syrus* quoque exprimit *auroram*, diluculum : veniet tibi malum diluculo et nescies. LXX legisse videntur שַׁחַת; habent enim hanc sententiam : veniet super te perditio et nescies; *fovea* et incides in eam. *Chald.* eo in loco praebet : et nescies *deprecari* pro ea; poteritne haec versio declarari a verbo שִׁחֵר diligenter quaerere? Recentiores fere communiter non substantivum sed verbum ibi esse deprehendendum censent ex membro parallelo כַּפְּרָהּ scil. infin. piel; verbum autem שחר explicant ex arabico *incantatione amovere*, fascino averruncare (cf. *Kn. Del. Naeg. Or. Cheyne, Net. Rohl.*). Verum non placet formam accersere ex arabico; dein verbum arabicum significat fascinare, incantare, artes magicas tractare; num igitur adeo facile oritur notio : incantatione amovere malum? *Hahn* manet in voce hebr. sed intelligit שחר *nigrum esse*, quod in piel in significationem transeat : nigredinem removere; sed id subtilius est. Si verbum est assumendum, potius erit cogitandum de verbo satis frequenti שחר *diligenter quaerere*, quod fortasse notionem induere potest exquirere, diligenter praevidere; ergo malum quod nulla diligentia adhibita poteris exquirere. Haec explicatio forte est praeferenda. Habetur enim verbum quod ex membro parallelo desideratur; incommodum illud de *aurora* mali cessat; et usurpatur verbum apud Hebraeos revera usitatum, non aliunde accitum. — *S. Ephr.* explicat *in matutino* : in liberatione populi te attinget excidium.

Cum talem ergo calamitatem ad confusionem incantatorum aptissimam annuntiet, auget sermonem sarcasmo et ironia v. 12 « *sta cum incantatoribus tuis et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi aut si possis fieri fortior* »! — si magi nihil poterant praevidere et praecavere, saltem malo ingruenti et praesenti sese fortiter obiiciant et remedium vel levamen afferant; proinde *sta*, in medio consiste et palam et audacter procede et siste gradum, ne fugias pavida (cf. 13, 14 : et erit quasi damula fugiens et quasi ovis), educ iam praestigias. Cum ironia additur : a iuventute toto studio in eas artes incubuisti; ergo aliquem laboris ac studii tam diuturni fructum profer; aequum sane est ut labor a iuventute impensus non sit in rem plane inanem! Bene dicitur *a iuventute*; vetere enim in

regno chaldaico artes magicae iam maxime florebant, quare incantationes magicae plerumque in lingua accadica conscriptae inveniuntur. In ultimo membro magno cum sarcasmo dicitur in hebr. *fortasse terrebis*, terrorem incuties. En igitur, agedum, audacter artes tuas innumerabiles exsere, fortasse talem conatum Deus timebit! vel calamitas tanto apparatu demum fugabitur a te!

At frustra v. 13 « *defecisti in multitudine consiliorum tuorum; stent et salvent te augures coeli, qui contemplabantur sidera et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi* »! — *in* ב cf. v. 9. 10; 5, 25; quamvis Babyloni praesto essent omnis generis subsidia, consilia magorum, tamen *defecit,* infirma facta est et defatigata. Vel si de studio divinationibus impenso sermo texitur, sensus solum esse potest : quamdiu stat Babylon, hisce artibus diligens studium impendit, ita ut revera fatigata sit hac occupatione; nequit autem sensus esse, fatigatam esse consiliis capiendis ad hanc de qua agitur calamitatem avertendam; haec enim subito et inexspectato irruere dicitur. Ironia in eo potius consistit, quia Babylon semper artes illas magna cum sedulitate fovit iisque optime secum agere seque praeclare instructam et munitam esse censuit — at nunc, quando illis opus esset, omnia in nihilum rediguntur. Quare : prodeant tandem in medium et opem salutemque afferant augures coeli, LXX οἱ ἀστρολόγοι τοῦ οὐρανοῦ, « qui vulgo appellantur mathematici et ex astrorum cursu lapsuque siderum res humanas regi arbitrantur » (*S. Hier.*). Et magnam adesse horum sciolorum turbam qui varias artes iactent et multiplicem polliceantur scientiam triplici enumeratione ostenditur; « isti igitur qui supputant menses annosque dinumerant et horarum momenta librantes futurorum scientiam pollicentur, dicant tibi quid super te Dominus cogitaverit » (*S. Hier.*). Hanc enim scientiam profitentur; nam *indicantes ad novilunia* (singula) *ex iis quae ventura sunt super te* (hebr. cf. *For. Malv. Vat. Mar.* et recentiores) i. e. ad singulas lunationes vel initio mensis cuiusque astrologi annuntiant rerum vicissitudines, siderum ortus et cursus, solis lunaeve eclipses, aeris temperiem et eiusmodi; ad quam rem illustrandam inserviunt quae ex Porphyrio Eusebius refert (praepar. evang. 3, 4; *M.* 21, 169), ab astrologis aegyptiacis in almenichiacis referri morborum curationes et siderum ortus et occasus et futurorum significationes. Igitur illi astrologi calendarium edidisse singulis noviluniis videntur.

Hebr. הֹבְרֵו qeri, ἁπ. λεγ. plerumque explicatur *secantes coelum* vel sectores coeli, qui scil. coelum in certas quasdam partes vel segmenta dividebant ad observationes faciendas et ad auguria captanda. Attamen fateri oportet hanc explicationem non esse omnino certam. Unde alii coniectant esse legendum חברי; ita iam *For. Malv.* et ex

recentioribus *Kn.* qui *gnaros coelorum* ex arabico exponit. *Hahn* opinatur esse legendum הֹבְרֵי et explicandum a ברר hiph. in significatione *perscrutari;* cf. Eccl. 3, 18; 9, 1. Alii *qeri* retinentes censent notionem *secandi* transire in aliam cognatam *decernere, determinare;* similiter uti Chald. גְּזַר secare in גָּזְרִין *vates* (Dan. 2, 27; 4, 4; 5, 7. 11) eam notionem prae se fert; dein eadem habetur significatio quam exprimit *S. Hier.* Eundem sensum exprimit *Syrus :* stent et salvent te Chaldaei contemplantes coelum et sidera; sim. *Chald.* : salvent te qui intuentur planetas coeli (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. II p. 162). Alterum quod additur הַחֹזִים בּ' exponunt videntes stellas cum assiduitate et voluptate, uti dicitur רָאָה ב et etiam verbum חזה eodem sensu iungitur cum ב v. g. Ps. 27, 4. Cant. 7, 1. Mich. 4, 11 etc. (vide *Ges.* Thes. p. 460). Sed cum חזה vox sit sollemnis de visione prophetica, etiam explicari poterit : videntes (futura) in stellis, qui « praevidentes in stellis i. e. qui virtute stellarum inspecta futura praevident atque praedicunt » *(For.)*; sim. *Malv.* quam explicationem ex recentioribus *Naeg.* praefert.

Verum quam inanis et inutilis sit haec turba incantatorum et astrologorum, ostenditur comparatione instituta v. 14 « *ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos; non liberabunt animam suam de manu flammae; non sunt prunae quibus calefiant nec focus ut sedeant ad eum* »; — adeo erunt impotentes, adeo celeriter obruentur calamitate sine ulla salutis spe, ac si ignis incidat in stipulas aridas easque momento absumat; « tam ergo incantatores illi qui a se stare putant coeli militiam et astra contra hostiles acies coniurata resistent persico apparatui, quam arida stipula flammae vehementi » (*Sanct.*). Atque eo minus evadent incendium illud, quia ignis ille a Domino immissus est ignis plane devastans, non est ad hominum beneficium accensus, ut scil. frigus depellat, ut corpus modico tepore confoveat, cuius gratia ad focum assideas, ut cum voluptate concalescas, sed est ignis vindictae Domini. Ita ultimum membrum videtur concipiendum, quo igitur non sine sarcasmo quodam describitur vehementia irae divinae, cui nihil possit resistere et qua tota illa augurum multitudo [1] vehementi confusione prosternetur (cf. *Osor Pint. Tir. Calm. Rohl.*). ut scil. « qui salutem aliis promittebant, sua ignorarent supplicia » (*S. Hier.*). Iudicium Dei depingitur, uti saepius in parte priore, comparatione incendii; « quis poterit habitare de vobis cum igne devorante » (33, 14; cf. 30, 33). Cum *stipulae* mentio fiat, non poterit ultimum membrum ita concipi, ut dicatur ne prunas quidem ex illo incendio superfuturas esse; ergo incantatores illos ne vestigio quidem relicto plane esse interituros vel ex eorum interitu nullam fore utilitatem vel

1. Hoc sensu *S. Ephr.* concipit textum *syr.* : non habet carbones ignis eorum i. e. nullam habent virtutem oracula eorum.

opera eorum omnino iri destructum (*For. Mald. Sanct. Sasb. Mar. Lap. Men. Ges. Hahn*). Nam si stipulae comburuntur, nemo prunas vel carbones iri relictum exspectabit; et ipsa stipularum combustione iam declaratur abolitio perfecta.

Vates *sapientiam* Chaldaeorum perstrinxit qua non poterunt eripi; addit neque ex commercio neque ex populorum turbis quae Babylonem convenire solebant quidquam eis fore subsidii v. 15 « *sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras; negotiatores tui ab adolescentia tua unusquisque in via sua erraverunt; non est qui salvet te* »! — i. e. omnia quaecumque magno diuturnoque labore quaesieras, in cineres tibi, i. e. in nihilum abibunt (*Sanct.*) vel artes illae magicae in quibus tanta cum sedulitate laborasti ad id tandem reciderunt, ut maximum tibi incendium et interitum inferrent; haec erit ergo laboris tui merces, hoc praemium tibi persolvetur pro studiis maleficarum artium (*Osor.*). Neque minorem confusionem experietur Babylon ex alio capite de quo gloriari solebat : negotiatores qui a prima urbis aetate eam constanter frequentarunt et undique terrarum confluere solebant, iam calamitate ingruente in suam quisque viam ac partem aufugiunt, dilabuntur, praecipites quaquaversus in fugam feruntur (cf. 13, 14). Ita omnia summatim complectens concludit vates *non est qui salvet te:* neque idola, neque magi tui, neque populi tui olim amici. — Cum Babylon revera commerciis ac mercatura celebris esset (cf. Ez. 17, 4. *Rawlinson* l. c. III p. 15), nulla adest ratio vocem סֹחֵר quae usu constanti de institore, mercatore, ἐμπόρῳ adhibetur hoc loco ad alienam notionem *magi* detorquendi vel explicandi de *peragrantibus* scil. magis vel incantatoribus. Iis enim non fuga praedicitur, sed v. 14 interitus aliud genus. Quare etiam non ipsi astrologi dicuntur mercatores eo sensu quia quaestum faciebant divinando (*Mald. Sanct. For. Men.*), sed intelligendi sunt cum plerisque (cf. *Osor. Pint. Sasb. Malv. Mar. Tir. Calm. Rohl.*) mercatores.

8. *Oratio octava* 48, 1-22.

Arg. — Denuo magna cum emphasi admonentur Iudaei, tot titulis Deo obstricti, ut ad vaticinia olim data et eventu completa animos dirigant atque ex iis Domini numen discant; tali enim divinitatis argumento Deus saepius usus est propter populi pervicaciam et obdurationem. Iam nunc nova addit oracula, ut hac manifestatione divina ad Deum reducantur. Quamvis minime digni sint divina miseratione, Deus tamen propter gloriam nominis sui populum liberabit (48, 1-11). Adducet

enim Deus omnipotens, sicut annuntiavit, Cyrum contra Babylonios, qui Dei voluntatem in eos complebit; ita Deus se ostendit benignum sui populi redemptorem; utinam populus semper mandata Dei observasset, tum perpetua floruisset felicitate! Redemptione autem a Domino oblata ut utantur, demum monentur; praemia obsequentibus proponuntur, mala contumacibus (48, 12-22).

Haec oratio considerari potest tamquam epilogus huius sectionis, quo ea praesertim recoluntur quae de priore liberatione dicta sunt in antecedentibus. Denuo graviter inculcatur, quomodo Deus et in praeteritis generationibus se Deum vivum et populi sui curam gerentem exhibuerit oraculis datis quae eventu sint comprobata, ut ea gubernandi ratione populum a cultu idolorum retraheret. Eundem modum nunc tenet; nova annuntiantur, plane incognita, quae nemo ex rerum cursu vel causis naturalibus coniicere vel praesagire potest. Hac divinitatis ostensione eos ad se reducere vult. Et propter nominis sui gloriam, non propter populi merita quae plane non adsunt, populum interire non permittet. Quae de Dei potentia proposita sunt, denuo breviter recoluntur, item quae de Cyro eiusque munere annuntiata sunt. Ex iis ad oculum cernunt benignam Dei providentiam; hac utique semper frui potuissent abundantissime, dummodo mandatis eius fuissent obsecuti. Hanc ergo providentiam ut complectantur, serio admonentur; fugiant ergo ex Babylone; redeant quando exsilio soluto opportunitas adest in patriam; et Dominus erit ductor viae ac remunerator; vae impiis! Ita vates summatim dicta recolit et quae ex doctrina proposita colligantur et pro aequalibus et pro iis qui vaticiniorum de Cyro impletionem visuri sunt, breviter et nervose exponit gravi adhortatione addita. Totam vero orationem pervadit firma illa persuasio Deum oraculis diu ante impletionem datis et olim et tunc se demonstrare verum Deum vivum. Quare haec quoque oratio documentum est insigne oracula de Cyro data esse diu ante Cyrum; quomodo enim secus provocatio adeo sollemnis fieri posset, uti hic repetito fit?

a) Cur Deus oracula dederit et det 48, 1-11.

Sollemni compellatione insignes illi tituli enumerantur quibus appareat quam carus sit populus electus summo regi suo et Deo; inde elucet ex una parte cur Deus per saecula tam sedulam huius populi curam gesserit, et ex altera parte quantopere ingrati sint qui tali Deo repugnent et in quantum eos deceat Deo loquenti se obsequentes exhibere. Magna igitur attestatione eos alloquitur vates Dei nomine v. 1 « *Audite*

haec domus Iacob, qui vocamini nomine Israel et de aquis Iuda existis, qui iuratis in nomine Domini et Dei Israel recordamini — non in veritate neque in iustitia »! — posteri sunt Iacob eiusque familiam constituunt; ergo iure nativitatis ad Dei populum electum pertinent; nomine appellantur Israel, quo patris Iacob fides, patientia, obedientia et praeprimis eius desiderium divinae benedictionis continetur et magnifica quoque promissa quibus a Deo donatus est (cf. Gen. 32, 29. Os. 12, 4). Ut tales qui in finibus Ierusalem (v. 2) habitant, posteri sunt Iuda, cui sceptrum regale aeternum erat promissum (Gen. 49, 10); ergo habent cur Dominus eorum curam gerat; sed ipsi quoque num digne titulis istis vivunt? Fidem utique in Dominum profitentur; dum enim iurant per Iahve, eum ut Deum suum palam et publice agnoscunt (cf. 19, 18; 45, 24); etiam recordantur magnalium quae Deus Israel olim pro populo patravit et de iis gloriantur et suam prae ceteris electionem superbe commemorant; verum iste cultus et haec recordatio Dei non est *in veritate,* id quod externe profitentur non animis gerunt; *actus* quidem cultus divini exercent, sed hi actus quibus animorum sensus non respondent, mendaces sunt; proinde neque fiunt *in iustitia* eo quo oportet modo, animo sincero, ad iustitiae opera intento et sanctitatis pietatisque appetente; ergo non fiunt recto modo, ita ut ex norma rectitudinis Deo possint placere et censeri actus probi. Deum enim, ut *S. Thom.* notat, neque in veritate cordis neque in iustitia operis colunt; « valde apposite mentionem facit patrum nobilitatis, in moribus, inquam, ac vitae consuetudine, ad pudorem eorum qui lapsi sunt » (*S. Cyr.*). Dicuntur exiisse *ex aquis* Iuda, i. e. a Iuda qui ut principium et fons familiae consideratur; cf. Num. 24, 7. Deut. 33, 28 hebr. Ps. 67, 7. Prov. 5, 15-18. Magnalia Dei iactant, *recordantur,* verum eo modo quo apud Ieremiam (7, 4) templum Domini usurpant, ut falsam sibi promittant securitatem; cf. Mich. 3, 11.

Iam quomodo Dei Israel recordentur, ulterius explicatur v. 2 « *de civitate enim sancta vocati sunt et super Deum Israel constabiliti sunt; Dominus exercituum nomen eius* »; — ab urbe sancta i. e. Ierusalem nominantur, cives sunt et esse gloriantur eius urbis in qua Deus templum suum ac solium collocavit, quam igitur prae caeteris sibi elegit et ideo nomine *sanctae* urbis, Deo sacrae, insignivit (cf. 52, 1. Neh. 11, 1. 18. Dan. 9, 24. Matth. 4, 5; 27, 53) sicut mons templi saepe mons sanctus dicitur. Praeterea habent Deum quasi petram, in qua domus Israel firmiter et inconcusso modo est aedificata et stabilita; Deus enim se petram Israel vocat (cf. 17, 10; 30, 29. Deut. 32, 27) et ideo sibi stabilitatem et securitatem imperturbatam promittunt; et quomodo hanc fiduciam exprimant, nomine Dei exercituum continetur, cui scil. omnia

agmina coelestia et terrestria praesto adsunt. Hisce veri tituli Israelitarum constituuntur et vera beneficia quibus a Deo donati sunt recensentur; et ita membra haec ulterius exhibent, cur Deus eorum curam gerat adeo assiduam et ipsi teneantur, ut audiant Dominum (cf. *Osor. For. Sanct. Tir.*), sed simul nexus *enim* ad antecedentia et enallage personae (*sunt,* non iam *estis*) optime servatur, si veri isti tituli ita exhibentur, ut Israelitae iis uti dicantur, quibus Dei cultum externe profiteantur, glorientur de sua electione et securitatem sibi promittant. Iam igitur illa animorum habitudo cernitur, quam acriter perstringit S. Paulus (Rom. 2, 17 seq.). Quare accusatio hypocrisis quam antecedentia enuntiant, etiam hic indirecte subesse videtur (cf. *S. Hier. Mald. Malv.*).

Quid *audire* (v. 1) et perpendere debeant exponitur, Deum scil. se semper tamquam Deum vivum ac verum demonstrasse v. 3 « *priora ex tunc annuntiavi et ex ore meo exierunt et audita feci ea; repente operatus sum et venerunt* »; — iam olim Deus dederat oracula eaque clare, distincte, palam proposuit; unde triplici modo se edixisse enuntiat, et quando ei visum fuit et tempus impletionis advenit, subito ea perfecit ut ita sicut praedictum erat res eveniret; *priora* cf. 41, 22 ; 42, 9; 43, 9. 18; 46, 9. Sunt facta praeterita, quibus v. 6 nova oracula, recentia opponuntur; *ex tunc* i. e. olim, antiquitus; cf. 44, 8; 45, 21. Ita eos adhortatur, ut antiquam populi historiam perlustrent; ergo nota supponuntur facta illa in Pentateucho et antiquis libris historicis narrata; secus enim talis provocatio sensu careret. Adverte quantopere inculcetur oracula illa revera nota fuisse; illud *annuntiavi* ac si non sufficeret ad vim efferendam, in duas partes dividens exponit : prolata sunt a Deo et Israel ea audivit; eodem modo urgetur adfuisse impletionem. Haec quam vera sint de ipso quoque Isaiae tempore, recogita bellum ephraimiticum, Samariae cladem, invasionem Assyriorum eorumque fugam et miram liberationem urbis sanctae.

Cur autem ea Deus annuntiaverit, affertur ratio, ut populus durus et contumax rei evidentia victus maiestatem Dei agnosceret idolis contemptis v. 4 « *scivi enim quia durus es tu et nervus ferreus cervix tua et frons tua aerea;* v. 5 *praedixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres : idola mea fecerunt haec et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista* »; — hebr. *quia scivi...* (ideo) *praedixi tibi...* ne igitur eventus referrentur idolis accepti, Deus rerum exitus praedixit, antequam evenirent. Hisce verae prophetiae indoles et finis clare describitur; eadem ergo valere debent de oraculis Cyrum spectantibus quae etiam eodem modo contra idola facta esse dicuntur. Mores populi iis nominibus describuntur quibus iam in libris Moysis exhiben-

tur (cf. Ex. 32, 9; 33, 3. 5 ; 34, 9. Deut. 9, 6. 13; 31, 27) ; animi eorum duri, intractabiles, impervii, quibus monitiones illabi non possunt; cervix est ferrea, quia collum non ad iugum Domini suscipiendum inflectere volunt, nec se regere sinunt a Deo; frons aerea constantiam inconcussam et imperturbatam declarat (cf. Ez. 2, 4; 3, 8) malo utique sensu, ergo contumaciam, obdurationem; « rigidos eos et pertinaces notat » (*For.*). Quod alii interpretantur de impudentia (cf. *Osor. Mald. Sanct. Or.*), id potius fronte meretricis exprimitur (Ier. 3, 3). Fatalem ad idololatriam inclinationem et superstitionem semper adfuisse in populo declaratur, contra quam tamquam remedium a Deo adhibitum apparet munus propheticum; proinde simul innuitur quanta vis insit vaticiniis ad probandum numen divinum. Quantopere serpserit idololatria nihilominus, v. 5 triplici nomine indicatur : idolum meum effecit ea, sculptum meum simulacrum et fusum meum ea mandarunt (hebr.); cf. Os. 2, 6. Ier. 44, 18.

Haec ut serio perpendant admonentur et pro Deo secundum veritatem testentur; ad priora autem Deus iam nova addit oracula v. 6 « *quae audisti, vide omnia! vos autem num annuntiastis? audita feci tibi nova ex tunc et conservata sunt quae nescis* » ; — clarius verte ex hebr. *audisti, vide omnia illa! et vos nonne annuntiabitis?* i. e. oracula audierunt, cernunt illa omnia impleta; *vide* energica est affirmatio illa esse impleta et adhortatio, ut haec mente et animo perspiciant et nexum illum quem Deus vult attendant. Idem sequenti interrogatione exprimitur : quid facietis haec conspicientes? nonne decet, ut annuntietis rem ita esse, Deum scil. praedixisse et ita res evenisse. Agnoscant ergo priora oracula eorumque impletionem et hoc quod cognoverint etiam palam profiteantur Deoque honorem attribuant! Hic sensus est membri prioris. In altero dicit Deus : *audire te feci nova ex nunc* [1] *et recondita et quae nesciebas* (hebr.); prioribus oraculis iam opponuntur *nova,* quae audire facit Deus *a nunc,* a tempore praesenti, dum illa *ab olim* annuntiavit (v. 5); haec *nova* autem sunt *abscondita* vel *recondita,* quae in rerum cursu vel ex causis naturalibus cognosci nequeunt et quae Israel revera non cognoscit, talia ergo quae in seipsis omnino latebant neque ab ullo cognoscebantur. Haec *nova* ea sunt, de quibus in antecedentibus eodem nomine mentio infertur; cf. 42, 9; 43, 19; 44, 24 etc. 45, 1 etc. 11. 19; 46, 11. Et tam gravi affirmatione et descriptione iterum elucet,

1. Iam latini interpretes plerumque adnotant ex hebr. et LXX ἀπὸ τοῦ νῦν et *Chald.* potius legendum esse in *vulg. ex nunc,* uti *Syrus* quoque habet (cf. *For. Lap. Men.*); v. 7 עַתָּה et alias vertitur in *vulg. nunc; ex tunc* reddit hebr. מֵאָז v. 3. 5. 7. 8.

vaticinia de Cyro edita et nota fuisse diu antequam complerentur; quomodo enim secus abscondita et talia quae populus nesciebat populo annuntiarentur? Nova sunt « quae contra Babylonem facturus sum » (*S. Hier.* sim. *Sasb. For. Lap. Men. Tir. Rohl. Troch.*). Rationalistae (cf. *Ges. Kn.*) intelligunt facinora Cyri priora et posteriora. Verum in ea quoque acceptione negari non potest, si verbis suus relinquitur sensus, ea non posse esse dicta, postquam Cyrus iam aliquas clades Babyloniis intulerit. Nam tum populus non potuit admoneri, ut has victorias olim praedictas nunc agnoscat, neque futurarum victoriarum praedictio *post* tale initium dici potest novum adeo, ut sit plane absconditum et humanae scientiae impervium. Et quid magis ridiculum esset, quam si vates tali assertioni, Cyrum post faustum initium prospere esse acturum, tantum argumenti pondus pro numine divino superstrueret, praesertim cum prior pars ex praeterito petita in hac acceptione esset prorsus futilis.

Haec nova et abscondita nunc patefiunt per prophetiam v. 7 « *nunc creata sunt et non ex tunc, et ante diem et non audisti ea, ne forte dicas : ecce ego cognovi ea* »; — i. e. nunc ea in lucem eduntur tamquam a Deo decreta et innotescunt per prophetiam et hoc sensu creantur, tamquam res quae futurae sunt incipiunt exsistere in mente et cogitatione eorum, quibus antea plane ignota erant; idque declaratur membro subsequenti : *ante diem* i. e. antea, prius *ea non audisti;* opponitur ergo inter se *nunc creantur* et *ea non audisti ante eum diem;* ex qua oppositione apparet *creari* intelligendum esse sensu explicato, non de vera in rerum natura effectione; nam et antea (41, 23-26; 43, 9. 10) et hoc ipso loco quam maxime inculcatur, res eas esse praedictas diu antequam evenerint (46, 9-11). Et ita *creata sunt* rite explicant *S. Hier. Osor. For. Malv. Sanct. Vat. Lap. Men. Tir. Rohl. Troch. Ros. Ges. Del. Naeg.* et ita iam intellexerunt rabbini quoque, de quibus vide *Ges.* et *Ros.* : « recte Kimchi : tempus quo prodeunt ex ore Dei est tempus creationis eorum ». Cum autem in fine dicatur, *ne forte dicas...* cum pondere quodam et epitasi repetitur quod v. 6 est dictum, res annuntiatas tales esse quas nemo ex se nosse vel sua prudentia et sagacitate attingere potuisset. Idem denuo asseritur v. 8 « *neque audisti, neque cognovisti neque ex tunc aperta est auris tua* »; — en, quantopere vates Dei nomine efferat vaticinium hoc novum nunc dari ita, ut res eo comprehensa nullo modo neque per famam aliunde acceptam neque per ratiocinationem vel sagacitatem mentis neque per priorem aliquam revelationem aliam fuerit ab ullo cognita. Videtur *auris aperta* idem significare quod alias dicitur *aurem revelare;* cf. 50, 5 (uti iam *Sanct.* bene monet; idem *Ges.*).

Verba quae sequuntur : « *scio enim quia praevaricans praevaricaberis et transgressorem ex utero vocavi te* », vario modo ad antecedentia nectuntur. Nexus qui maxime obvius est: non ea tibi olim revelavi, quia te esse peccatorem scivi, caret sensu ; nam Deus ea revera diu ante eventum revelavit, ut toties dicitur ; cur autem ea non iam multo ante Isaiae tempus revelarit, ratio non esse potest iniquitas Iudaeorum ; nam tum ne Isaiae quidem tempore debuit revelare, quo tempore iniquitas sat magna aderat. Neque dici potest cum *Sasb.* : propterea ea celo, quia es peccator ; nam Deus dat oracula hoc loco ; ergo non celat res futuras. Alii nodum expediunt ita : reddit causam, cur non omnia velit praedicere (*Mald. Mar.*); sed *de omnibus* non est sermo, *omnia* gratis in textum inferuntur; neque placet ea sententia : multa et praeclara tibi praedico, sed non *omnia*, quia es peccator. Infeliciter quoque *Lap.* et *Tir.* : quid iuvat praedicere, nam es praevaricator? idem iam protulit *Euseb.*: « ceterum persuasum habeo te ex hisce verbis utilitatis nihil accepturum » ; at quid Deus effici velit vaticiniis datis, in v. 5 dicitur et in hac sectione toties inculcatur. Neque *For.* aliquid lucis affert: « toties te ignorare repeto, quia consuevisti praevaricari » ; neque *Del.* sanam praebet explicationem : Deum antea non praedixisse, ne pro sua infidelitate et ad idololatriam inclinatione abuterentur ea scientia ; sed si hoc valeret, ne Isaiae quidem tempore debuit praedicere ! Aeque infeliciter *Sein.* explicat Deum tales revelationes antea non dedisse, quia praescierit populum vaticinia eventu completa non ad Dei laudem et honorem relaturum esse.

Alii sensum meliorem quidem exhibent, at verborum proprietatem negligunt. Ii sunt qui explicent : etsi non audias neque obedias — scio enim, quia.. — tamen praeclara tibi annuntiabo (*Hahn*) vel : non audis neque obedis, scio enim.. (cf. *Theod. Osor. Troch.*). Sed tempora praeterita tam arcte ad antecedentia adnectuntur, ut repente ea de praesenti accipere non est consultum ; dein *aurem aperire* aliam habet significationem. — Alii cernentes nexum cum immediate antecedentibus adstrui non posse supplent : Deum vaticinium tale quod omnem scientiam humanam praetergrediatur ideo mittere, quia scit eos esse obduratos peccatores (ita *Sanct. Men. Rohl. Naeg.*) vel ut infidelitatis convincantur (*Calm.*). Utique tali suppletione enascitur ille sensus qui adesse debet et qui ex v. 4 et 5 omnino exspectatur. Sed quo iure illam suppletionem inserant, non explicant. Sensus iste adesset, si verba haec *scio enim...* adiungerentur ad v. 6; dein Deus nova oracula eaque praeclara se edere diceret, quia scit eos esse peccatores. Haberetur nexus idem qui est inter v. 4 et 5 : Deus oraculis datis vellet duritiem populi et apostasiam sanare et se verum Deum probare. Sed quomodo possumus verba haec adiungere ad v. 6 ? est enim nimis durum, omnia intermedia parenthesi includere. Aliam demonstrat viam *S. Hier.* quae magis commoda et expedita videtur. Scribit enim in commentario : « ab initio meorum praevaricator es mandatorum.... non igitur tuo merito, sed mea misericordia furorem meum distuli, ne penitus interires », ex quibus verbis apparet illud *quia scio* (hebr.) a *S. Hier.* saltem mente et cogitatione ad sequentem enuntiationem esse relatum. Et hanc viam puto esse eligendam, ut difficultas omnis evanescat. Quam parum reliquae solutiones sufficiant, non opus erit plu-

ribus demonstrare. Ergo hanc tentemus et sententias aliter iungamus! neque textus hebr. ullo modo repugnat, verum facile se huic iunctioni accommodat.

Postquam propheta explicuit plane nova a Deo iam dari populo suo vaticinia, ad alterum transit; ne populus de iis vane et stulte sibi blandiatur et tam insignem Dei favorem suis attribuat meritis, graviter effert quam indignus ea benignitate sit populus et quomodo Deus solum propter suam gloriam populum nolit interire. Apta sane monitio pro iis, qui Dei favores iactant (v. 2); monet igitur hoc loco quod supra etiam 43, 22 seq. propositum est. Et iste nexus adest in hebr. textu quem verte: *quia scio te esse praevaricatorem et apostatam vocari te a vulva, propter nomen meum utar longanimitate* (clementia); aliter quidem videri possit in *vulg.* : « *scio enim quia praevaricans praevaricaberis et transgressorem ex utero vocavi te,* v. 9 *propter nomen meum longe faciam furorem meum et laude mea infrenabo te, ne intereas* » ; — sed si *enim* explicamus eo modo quo omnino licet, ut sit particula affirmationis (ita etiam כִּי): *profecto* scio, verba *vulg.* etiam si nexum spectaveris, eundem fundunt sensum quem in hebr. exposui et qui bene aptus est. Novit utique Deus populum *agere perfide* vel *perfide deficere* a Deo suo (cf. בָּגַד) et iure vocari peccatorem vel apostatam *ex utero* i. e. ex prima sua origine; plerique egressum ex Aegypto quasi tempus nativitatis populi h. l. statuunt (*S. Ephr. Hier. Thom. For. Sanct. Men. Tir. Rohl. Troch.*), alii ut *S. Cyr.* de singulis accipiunt, qui quasi a pueris idola colere docti sint; sed etiam hic poteris (uti 44, 2. 24; 46, 3) priscum patriarcharum tempus intelligere et ipsum tempus in Aegypto peractum, quo a filiis Iacob et a populo iam satis multum peccatum est (cf. Ez. 23, 3. 19; 20, 6. 7). Infidelitatem populi effert Deus longa generationum serie inolitam et inveteratam eamque se optime perspicere asserit explicite, quo magis beneficium gratuito datum emineat. Non igitur propter populi *merita,* sed solum *propter nomen suum* i. e. propter decus et gloriam nominis sui, propter ea quae in nomine *Iahve* continentur, quia est Deus foederis, immutabilis, fideliter exsequens promissa et maiestatem suam infinitam hominibus manifestans, utetur clementia et longanimitate (*S. Ephr.*) ne populum perdat, iram suam cohibet, et propter laudem suam, ne laudis splendor indigno convicio maculetur (*Osor.*), freno retinet et coercet populum ne impetu suo peccatorumque pondere in exitium vel praecipitium ruat. Eo aptius *nomen* Iahve infertur, quia in primis iam promissionibus explicite *Iahve* nominatur atque ab eo illa proficisci dicuntur (cf. Gen. 12, 1; 18, 18; 22, 17; 26, 2; 27, 27;

28, 13 etc. vide ad Os. 2, 20; 12, 5). Ipse *S. Hier.* explicat *laude mea* ob laudem meam. Populum quem semel elegit non potest plane abiicere, ne gentes ipsum quasi de impotentia blasphement. Hebr. *infrenabo tibi* scil. furorem meum freno cohibebo tua causa, in tuum commodum (cf. *Mar. Sanct.* et recentiores).

Propter eundem finem populum variis iam suppliciis et poenis exercuit, quae tamen debitum emendationis fructum non attulerunt; fit vero comparatio metallorum quae excoctione purgantur a scoriis; v. 10 « *ecce excoxi te, sed non quasi argentum; elegi te in camino paupertatis* »; — hebr. *en excoxi te et non ad argentum*; quae hic Isaias brevius dicit et obscurius, explicatius et clarius prosequitur Ieremias; varias enim poenas quibus Deus populum ad resipiscentiam frustra adducere tentabat, ita describit: « defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae; argentum reprobum vocate eos » (Ier. 6, 29); in ea conflatione tantum posuit Deus studium, ut sufflatorium vi flammae sit adustum (hebr.), ut follis sit adustus, ut plumbum quod ad liquanda metalla admiscetur iam omne sit consumptum et tamen nihil sit effectum; scoriae non sunt remotae, argentum purum non est eliquatum; quare tota massa iam vocatur argentum reprobum. Hisce puto Ieremiam ad nostrum respicere locum eumque more suo explicare. Breviloquentia Isaiae erit igitur ita explicanda: excoxi te sed haec excoctio non desiit in argento, non tetendit vel pervenit ad argentum eliquandum. Quod sequitur *elegi te in camino miseriae* (hebr.) describit excoctionem illam quae facta sit miseria et afflictione et indicat in *elegi te* benevolentissimum Dei consilium qui castigatione immissa populum ad meliorem frugem voluit reducere neque eum in miseria constitutum abiecit neque deseruit sed in ipso infortunio benigne sustinuit. Unde populus in ipsa castigatione non ita dicitur emendatus, ut ex suo merito dignus esset quem Deus redimeret. Quae sententia generalis facile ad exsilii tempus applicatur; quod etsi aliqua apud plures emendatio sit effecta, haec tamen nullo modo erat universalis (cf. Ez. 20, 30 seq.) neque eiusmodi, ut propter eam meriti sint liberationem. Quare concluditur v. 11 « *propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo* »; — hebr. *propter me, propter me faciam, nam quomodo profanatur*? (scil. nomen meum; v. 9), uti LXX similiter: quia nomen meum polluitur. Cum pondere inculcatur, Deum sua ipsius causa id perfecturum de quo in tota hac sectione sermo erat; et ratio additur: quomodo enim patiar, ut nomen meum male audiat apud gentes? In populi enim miseria cernunt dei tutelaris impotentiam (cf. *Osor. Sanct. Mald. Mar. Men.*); faciet ergo, « ne blasphemetur nomen

meum in gentibus et putent vos non mea ira, sed idolorum suorum auxilio esse superatos » (*S. Hier.*); unde si populum desereret, gloriam suam daret idolis, in gentium aestimatione idola censerentur Deo fortiora (*S. Thom.*), et populum quem ad suae gloriae manifestationem creavit (cf. 43, 6. 7) propterea non potest sub servitute gentium relinquere, ut serviant diis alienis, quia ita revera gloriam suam traderet idolis; cf. 42, 8. Ez. 36, 19-23. Bene adnotat *For.*: « vim habet haec interrogatio *quia quomodo profanatur*? ex qua nos fiduciam concipientes ea frequenter in nostris orationibus uti deberemus, sicut Moyses et Iosue et alii; annon nomen Christi ab inimicis blasphematur »? Similiter Isaias argumentatur 52, 5. 6.

Quod in v. 10 habetur varie accipiunt. Aliqui sententiam referunt ad tempus futurum: iam te suppliciis excruciabo (cf. *Osor. Mald. Pint. Sa, Hahn*); sed melius retinetur tempus perfectum vel id quo exprimitur, quomodo Deus eousque iam saepius cum populo egerit et generatim agere soleat; neque obstat הִנֵּה *ecce*, quae particula etiam ad vere perfecta adiungitur; cf. Is. 6, 7; 20, 6; 37, 11; 42, 9; 48, 7. Magna diversitas cernitur in addito illa בְּכֶסֶף *in argento* explicando. Aliqui *non quasi argentum* concipiunt; non ita te excoxi, ut solet excoqui argentum, i. e. non dura fornace, non ignis magna vi qualis esse solet et debet ad liquefaciendum argentum (cf. *Sanct. Osor. Mar. For. Men.*), si enim sic excoxissem, utique consumpsissem te, cum non sis nisi mera peccatorum scoria (*Lap. Tir. Calm.*); melius *Sasb.*: excoxi te per afflictionem, sed non ad purum; in argento enim quando excoquitur, omnis scoria removetur; hoc non factum est in te. Utramque explicationem *Pint.* coniungit. Etiam hebr. *non in argento* explicat *Ros.* de afflictione leviori, « non ea ignis vi quae necessaria est ad argentum excoquendum »; sensu contrario: non tali igne, sed multo vehementiore *Stier.* Alii in argento pretium cernunt expressum, scil. non ut argentum acquirerem tamquam operae pretium (cf. *Sanct. Umbreit, Ewald*), sim. *Kn.*; *Del.* et *Naeg.* intelligunt *beth essentiae* tamquam argentum, sed id *Del. Or.* explicant de excoctione altiore et spirituali; hoc autem per se intelligitur excoctionem populi non fuisse veram excoctionem argenti, neque ut hoc innueret propheta, opus erat illo additamento. Aliter *Naeg.* excoctionem pro argento non esse probrosam, esse autem pro populo. Magnam sane subtilitatem! Demum *Hahn* conditionem populi vult designari « non argenteam » sed « aeream », quae conditio excoctione sit mutanda. — Generatim verbum בָּחַר h. l. notione *examinandi, explorandi* accipiunt ac si esset בחן; at cum haec notio pro hoc loco statuatur et alibi minime inveniatur, potius efficta esse videtur, quo facilior fluat explicatio. LXX ἐξειλάμην et *vulg. elegi te* illam notionem retinent quae sola verbo inest. *Syrus* et *Chald.* verbum hebr. בחר retinuerunt. *Hahn* ei vindicat notionem facio te electum, purgatum, eliquatum. In tanta opinionum varietate ea proposui supra, quae et verbis optime

aptari et ex contextu facillime fluere videbantur. Sane quod Ieremias habet (6, 29) omnino ad hunc locum videtur referri. Simili locutione utitur Isaias 1, 22. 26; cf. Ez. 22, 18. Demum placuit verbum בחר in ea significatione retinere, quae in hebr. unice probari potest; in aramaico utique בחר idem est quod בחן explorare. Sed num in hebr. quoque? afferunt quidem Iob 34, 4, qui tamen locus minime illam notionem novam exigit, neque ea ex 2 Chron. 34, 6 quod *Sein.* vult colligi potest.

b) Deus redemptor benignus 48, 12-22.

Deus qui propter nominis sui gloriam promissa se impleturum spoponderat, haec promissa ut altis animis recondant adhortatur; in iis divinam elucere maiestatem, potentiam, omniscientiam, quia solus Deus talia praenuntiavit. Unde animos populi ad se inclinare et flectere studet; v. 12 « *Audi me Iacob et Israel quem ego voco; ego ipse, ego primus et ego novissimus* »! — hebr. *et Israel vocate mi;* cur auscultare debeat Deo, rationes afferuntur nomine Iacob et Israel, uti saepius antea iam vidimus; additur quoque ratio speciali electione, quae huic populo prae aliis contigit; deinde praecipuae rationes petuntur ex ipsa Dei loquentis maiestate: ex Dei immutabilitate et aeternitate, qui ut est omnium *primus* ita quoque *ultimus,* omnes et omnia complectens longeque excedens (cf. 41, 4; 44, 6) iisque ut sint praebens, omnia tamen longissime superans et omnis vitae fontes in se concludens inexhaustos, dum ut *primus* a nullo habeat quidquam et ut *ultimus* a nullo dependeat (*Sanct.*), e contra sit ipse omnium rerum principium et terminus ultimus A et Ω (cf. Apoc. 1, 8), vel uti LXX habent: ego sum primus et ego sum in aeternum. Dein maiestatem suam declarat ex operibus v. 13 « *manus quoque mea fundavit terram et dextera mea mensa est coelos ego vocabo eos et stabunt simul* »; — hebr. *expandit coelos; vocans ego ad eos et stant simul;* quanta facilitate ingentem terrae molem fundavit et coelos immensos expandit! et ista ei promptissimam exhibent obedientiam ad nutum obsequentia; ergo in exemplum simul proferuntur pro Iuda (cf. 40, 22; 42, 5; 44, 22).

Talem autem Deum adeo sublimem in se (v. 12) et magnificum in operibus (v. 13) eo magis debent audire et venerari, quia insigni modo se populi sui curatorem praestitit v. 14 « *congregamini omnes vos et audite: quis de eis annuntiavit haec? Dominus dilexit eum; faciet voluntatem suam in Babylone et brachium suum in Chaldaeis* »; — cum nemo ex incantatoribus vel idolis talia ediderit vaticinia, iam Dei sui potentiam et curam cernunt, qui solus se *vivum* Deum demonstrat (cf. 41, 1 seq. 21. 26; 43, 9; 44, 7 seq. 24. 45, 20; 46, 9); ergo

iterum vim urget vaticiniorum et ad populi testimonium fidenter provocat. Quale vero oraculum intelligat statim adiungit : oraculum de Cyro. Hoc bene perpendant qui putant ea oracula solum in fine exsilii esse data ! Si hoc, dein responsio necessario esset : utique non idola sed neque Dominum quidquam antea annuntiasse ; ergo ex argumentatione prophetae idola et Dominum esse in eodem censu et ordine ! Cyrus ut a Domino vocatus et electus prae aliis et victoriis thesaurisque auctus et ornatus (45, 1 seq. 46, 11) eo ipse est etiam *dilectus;* Dei enim beneficia sunt totidem dilectiones Dei homini impensae. Cyrus exsequetur voluntatem Dei adversus Babylonem ; idem in membro parallelo : et brachium eius exsequetur illud Dei beneplacitum adversus Chaldaeos vel brachium eius erit in Chaldaeos (cf. *For. Mar.*). Alii sane durius accipiunt : brachium ipse faciet in Chaldaeos i. e. potentiam, fortitudinem exercebit (cf. *Sanct. Mald. Sa, Men. Tir. Rohl. Hitz. Sein. Stier, Naeg.*) ; at *brachium facere* est plane inusitatum, etsi brachium sit symbolum et instrumentum fortitudinis, vindictae.

In hoc autem eventu peculiarem cernere oportet Dei providentiam et sollicitudinem v. 15 « *ego, ego locutus sum et vocavi eum; adduxi eum et directa est via eius* » ; — hebr. *et prospera est via eius;* in omnibus habebit prosperum successum. In Dei locutione magnum iterum ponitur momentum : hac enim Cyrum annuntiavit. Iam quae sit eiusmodi Dei locutio, clarius definitur v. 16 « *accedite ad me et audite hoc : non a principio in abscondito locutus sum ; ex tempore antequam fieret ibi eram* » ; — accedere, audire iubentur, quo magis desiderium Dei exprimatur, ut rem propositam accurate inspiciant et perpendant. Locutio Dei facta est a principio, a tempore primo et a prima populi origine (cf. 46, 9. 10 ; 48, 3 ; 42, 9 ; 43, 9. 12) neque unquam in secreto, sed palam ; oracula nota erant. Id effertur quod in disceptatione cum idolis iam toties inculcabatur ; sed de hac re erat monendum, ut Deum esse loquentem sine haesitatione tibi persuadeas multis licet aliud opinantibus. Deum loquentem etiam produnt quae sequuntur : *ex tempore quo exsistebant ea ibi eram* (hebr.) i. e. Deus non solum edidit palam oracula, sed quando aderat tempus, quando illa esse, exsistere, in opus deduci oportebat, *ibi erat,* in ipsis rerum eventibus agnosci poterat divinum numen, eius operatio, cura, providentia ; aliis verbis : uti dedit vaticinia, ita ea implevit. Illa dedit per prophetas ; similiter in rerum cursu continuo per prophetas populum edocuit, ad quem tandem omnia prospera et adversa essent referenda, cuius vel merces vel poena in variis rerum casibus esset agnoscenda. Continuo ergo tamquam Deus vivus adstitit populo et eo quidem modo, ut Deum ignorare non possent, « ne diceres in corde tuo : fortitudo mea et robur manus meae haec mihi omnia

praestiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires praebuerit » (Deut. 8, 17. 18). Verba *vulg.* magis efferunt Deum se operantem demonstrasse iam antequam oracula implerentur; ergo res omnes ita in suo cursu ordinasse et direxisse, ut tandem in oraculorum impletionem cuncta evaderent.

Ita igitur Deus de seipso testimonium exhibuit a principio et in aperto. Atque idem testimonium etiam nunc exhibet mittens prophetam et per eum oracula fundens; quare propheta ipse pergit : « *et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius* »; — i. e. idem Dominus, idem spiritus propheticus qui temporibus anteactis praesens aderat in populo per Dei legatos et prophetas, etiam hic et nunc se manifestat in missione Isaiae. Apte id ad antecedentia additur. Postquam enim supra saepius (cf. 48, 3) declaravit Dei curam et providentiam temporibus anteactis eamque in vaticiniis praesertim esse exhibitam ostendit, postquam oracula de tempore futuro iam proposuit, nemo poterit mirari, quod propheta ut pondus addat et auctoritatem verbis suis, sollemni modo suam a Deo missionem et spiritum a Deo acceptum propheticum declarat. Idque facit eo aptius, postquam coram omnibus ad oracula de futuro data provocavit, seipsum iam tamquam testem vivum Dei vaticinantis in medio quasi collocans. Hanc acceptationem iam proponit *Chald.* scribens : « et dixit propheta : et nunc Iahve Deus misit me et Verbum (Memra) eius ». Haec porro expositio sola verbis apte respondet neque aliquis alius nisi ipse propheta ita ex abrupto potest induci loquens, neque alius ita simpliciter de se dici potest se missum esse a Deo et spiritu eius. Eo ipso enim quod *spiritus* Dei mentio fit, iam munus propheticum aliqua ratione nobis obtenditur, cum eo modo praecipuo quodam iure istud munus describatur; cf. Num. 11, 17. 26. 1 Reg. 10, 6. 10; 19, 20. 23. 2 Reg. 23, 2. 3 Reg. 22, 24. 2 Par. 15, 1; 18, 23; 20, 14; 24, 20 etc. Vel quis alius loquens hic posset deprehendi? Num Cyrus, ut putat *S. Cyr.*? Verum quomodo subito Cyrum loquentem audiamus, nemo explicabit. Neque Messias, quem alii intelligunt (*S. Hier. Pint. Osor. For. Sa, Gord. Calm. Rohl.*) ita repente loquens inducitur, quia de ipso neque in antecedentibus neque in subsequentibus sermo instituitur; ergo nullo modo cernitur, quomodo subito possit loquens induci. Adde quod alibi quoque Isaias de se prima loquatur persona; vide 5, 1; 6, 1. 5 seq. 8, 1 seq. 17. 18. 21, 6; 40, 6; unde quod *Del.* obiicit Isaiam nunquam se ipsum ita in sermone efferre corruit. Quare h. l. prophetam loqui *S. Ephr. Theod. Sasb. Sanct. Malv. Mar. Lap. Men. Tir. Loch, Troch. Sein.* recte asserunt, dum alii vel prophetam vel Christum ibi loqui dicant (*S. Thom. Mald.*).

Neque desunt qui totum v. 16 a propheta suo nomine dici censeant ; ita v. g. *Sanct. Mar. Malv. Lap. Clarius, Men. Tir. Hitz. Umbreit, Kn. Naeg.* ; dicere scil. prophetam : ex quo coepi prophetare de excidio Babylonis non in angulis ambigue et perplexe, sed clare et aperte de eo locutus sum ; ex eo scil. tempore quo haec res mihi revelata est, spiritu prophetico ibi eram praesens et videbam rei gerendae seriem. Verba ea *Naeg.* censet a propheta dicta ad familiares discipulos, qui mirati sint quod tam explicite exsilium babylonicum et liberationem per Cyrum *nunc* praedixerit ; quibus respondeat se ab initio muneris prophetici de ea re nihil scivisse neque illud oraculum in abscondito antea iam annuntiasse tamquam rem secretam paucisque notam, verum se solum loqui de eo a tempore quo ipsi oraculum hoc factum sit a Deo ; id enim significari verbo illo : a tempore quo exsistit ibi eram. Sed difficile mihi videtur, in priore parte prophetam loquentem agnoscere. Nam *accedite ad me* eadem est invitatio qua v. 14 et saepius in hac parte Deus gentes convocat ad disceptationem ; unde ergo hoc loco subito de familiaribus Isaiae discipulis erit cogitandum, quibus respondeat ad quaestionem, de qua neque hic neque alibi quidquam detegi possit ? Quando aliquid discipulis est commendandum prae ceteris, discipuli nominantur ; vide 8, 16. Modus loquendi *ibi eram*, hebr. *ibi ego a tempore quo res exstitit*, si de propheta dicitur, valde est singularis et eget interpretatione satis coacta : esse, exsistere debet intelligi de revelatione rei ; *ibi ego* de mente prophetae qui rem revelatam secum perpendat ; porro *ab initio* ita absolute positum potius refertur ad id de quo toties iam sermo factus est, Deum scil. ab initio oracula dedisse ; cf. 43, 13 ; 45, 21 ; 46, 10 ; 48, 3. 5 ; eodem modo de Deo iam dictum est 45, 19 : non in abscondito locutus sum ; ergo cum idem nunc repetatur, de Deo simul erit cogitandum. Quamvis fatendum sit loquendi modum : non ab initio in abscondito locutus sum i. e. particulae *non* collocationem (pro : ab initio locutus sum non in abscondito vel : non in abscondito ab initio locutus sum) posse accommodari alteri de Isaiae interpretationi. Neque Messias (ut alii volunt ; cf. *S. Hier. Pint. Calm.*) hic loquens censeri potest ; nam eousque per totam orationem Iahve loquitur neque ullum est mutatae personae indicium, neque ipsum argumentum exposcit mutationem, ergo Iahve loqui pergit (cf. *S. Cyr. Mald. Sasb. Schegg, Loch, Troch. Ges. Ewald, Hahn, Del.*).

Pronomen suffixum מֵעֵת הֱיוֹתָהּ refertur non ad v. 13 ex quo coeli facti sunt et terra, id enim nimium distat, neque ad Israel : ex quo tempore populus exsistat (ut vult *Hahn* ; sed 45, 14 ; 47, 7 et nimium remoti sunt loci, neque pro hoc versu quidquam probant), sed facillime et quam maxime obvie ad ea refertur quae non in abscondito dicta sunt, quae ab initio annuntiata sunt ; ita iam ex ipsa sequitur collocatione.

Demum adverti oportet hebr. etiam verti posse : misit me et spiritum suum (ita *Sein. Kn. Hahn, Del.*), immisit in me spiritum suum, vel misit me suo instructum spiritu ; uti similiter dicitur Num. 11, 29 : det Dominus spiritum suum super eos ; generatim spiritus Domini irruere, insilire in prophetas vel legatos Dei, vel fieri super eos, vel dirigi ad eos, vel eos induere, replere, vel in eos

effundi dicitur ; semel Zach. 7, 12 : verba quae misit Deus in spiritu suo (per spiritum suum) per manum prophetarum ; nunquam alias dicitur spiritus Domini mittere prophetas, neque 61, 1 quem locum vide. Quare interpretatio haec satis commendari videtur.

Prophetam suam a Deo missionem ultimo membro asseruisse etiam eo suadetur quia ad verba Domini inferenda novo utitur prooemio v. 17 « *haec dicit Dominus redemptor tuus, Sanctus Israel : ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas* » ; — eo quod mittit prophetam docet populum quae ei prosunt et ad verum eius commodum cedunt, eodem modo viam demonstrat qua sit incedendum. Id semper praestitit et iam praestat pro tempore calamitatis et exsilii, quia annuntiat et quem in finem et quo modo subire oporteat declarat piosque spe liberationis et salutis solatur. Hac cura assidua se praebet redemptorem qui iura populi tuetur eumque solvit a captivitate, se praebet Sanctum, qui vindicta de peccatis sumpta sanctitatem et gloriam suam in populo denuo erigit et stabilit. Quantopere autem populus sibi ipsi damnum inferat si Deum ea quae e re sunt docentem relinquat, explicatur v. 18 « *utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua et iustitia tua sicut gurgites maris* v. 19 *et fuisset quasi arena semen tuum et stirps uteri tui ut lapilli eius; non interiisset et non fuisset attritum nomen eius a facie mea* » ; — promissa dedit Deus magnifica et tempore anteacto et pro tempore futuro. Iam normam ponit secundum quam et de miseria praesenti iudicium ferre possint et de ambitu quo bona promissa sibi sint attribuenda. Conditio declaratur quae impleatur oportet. Praeceptis Dei scil. debent obsequi; tunc abundantia pacis aderit, tunc iustitia illa quam Deus dare constituit summa copia et affluentia perpetua ad instar fluctuum maris qui nunquam deficiunt, imminuuntur nunquam, verum perpetuo amplissimum maris sinum perfecte implent, tibi praesto erit; tum promissio illa patriarchis data : multiplicabo semen tuum velut arenam quae est in litore maris (Gen. 22, 17; 32, 12; cf. Is. 10, 22. Os. 1, 10), revera sine ullo obstaculo plene et integre in opus deducetur, neque unquam populus miseria attritus a Deo proiicietur. Locus hic bene notandus est, quia normam Dei pro plerisque promissis vel saltem pro modo et ambitu impletionis nobis clare exhibet; unde concludere oportet etsi multa absolute promittantur, tamen conditione posita esse accipienda (de qua re vide quae dixi ad Zach. 6, 15; 8, 17 ; Proph. min. II p. 292. 307). Quare doctrina haec optime quoque inservit ad alios locos rite intelligendos v. g. 2, 4; 30, 21; 32, 1 etc. Abundantiam eadem maris comparatione habes descriptam in parte priore 11, 9.

Quomodo textus hebr. accurate vertendus sit, non consentiunt; vertunt enim aliqui : *si attendisses, facta fuisset...* uti *vulg.* exprimit; ita *Ges. Ewald, Naeg.*; vel *si attendisses, esset sicut flumen pax tua;* ita *Umbreit, Stier;* vel *utinam attenderes... esset pax tua;* ita *Sein.* sim. *Or.* Alii autem sententiam ad tempus futurum referunt: *si attenderis, pax tua erit ut flumen...* ita *Hahn, Del.* Cum in v. 19 sequatur לֹאיִכָּרֵת, expositio haec posterior, quam *Hitz. Kn. Hahn, Del. Or.* proponunt, non potest plane repudiari. Sed tempore perfecto et וַיְהִי ipsa forma magis commendatur explicatio : *utinam attendisses, tum esset ut flumen pax tua;* vide *Ewald,* Lehrb. d. hebr. Spr. §. 358 a. Ceterum *sensus* non multum mutatur, quia in omni casu norma Dei statuitur generalis, quae valet et pro praeterito et pro futuro. — Hebr. v. 19 verte : *et genimina viscerum tuorum sicut lapilli eius;* ita veteres verbum מְעוֹתָיו intellexerunt; cf. LXX, *Syrus, vulg. Chald.* et οἱ λοιποί apud *Procop.* ediderunt κέγχροι eodem sensu. Alterius explicationis, vocem illam poni pro מֵעָיו et esse vertendum : genimina viscerum tuorum sicut viscera eius (scil. maris), iam meminit *Malv.* et eam adoptant ex recentioribus *Hitz. Kn. Naeg.* et explicant de animalibus innumeris in sinu maris; at ea comparatio minime placet neque ulla adest ratio a veterum concordi acceptione recedendi, quae acceptio concors sane maximi est ponderis, cum de ἅπ. λεγ. agatur.

Uti exsilium babylonicum vaticinatur et liberationem annuntiat, ita plane consonum est, ut graviter moneat propheta hoc beneficio divino utendum esse. Modo v. 18. 19 ostendit quid boni eos maneat qui Deo obsequuntur, quid vero mali contumacibus ingruat. Iam aliquam exhibet conditionem quam implere debeant, si promissionum Dei participes se reddere volunt ; v. 20 « *egredimini de Babylone, fugite a Chaldaeis, in voce exsultationis! annuntiate, auditum facite hoc et efferte illud usque ad extrema terrae! dicite : redemit Dominus servum suum Iacob* »! — optime concluditur hac adhortatione sectio haec : finitus est labor. Si ergo Cyrus a Deo missus reditum permittit, laetis animis festinent in patriam et citato cursu e medio gentilium egrediantur. Ea enim separatione sese populum Dei probabunt et opus Dei per Cyrum in suam convertent utilitatem. Hanc redemptionem et ipsi summa animorum exsultatione, ut decet tale Dei beneficium, amplectantur et opus Dei gloriosum ubique usque ad extremas terrae oras praedicent et laudibus extollant. Id autem fiet si dispersi in omnem terrae plagam nuntio de reditu accepto et Dei clementiam celebrent et ipsi quoque se ad remeandum in patriam accingant. Haec adhortatio congruit iis quae antea de fine operis Cyri dicta sunt; cf. 41, 5; 45, 6; et ipsi Cyri edicto.

Quo libentius voci Dei invitantis obsequantur, vates in memoriam revocat quam benigne et mirabiliter eos olim per desertum duxerit, paratus scil. iisdem miraculis si opus fuerit reditum iuvare et exornare v. 21 « *non sitierunt in deserto, cum educeret eos; aquam de petra produxit eis et scidit petram et fluxerunt aquae* » ; — cf. Ex. 17, 6.

Num. 20, 12 et vide supra similia de reditu promissa 41, 19; 43, 20; 44, 3. Nihil ergo eis defuturum esse ea allusione spondet (cf. *Mald. Lap. Men. Tir.*); iter fore prosperum et itinerantibus omnia ad usum necessaria large iri suppeditatum promittit, uti factum est referente Esdra 1, 4. 6 seq. 8, 31 etc. (cf. *Sanct. Mar.*). Bene notat de sensu promissionis *S. Cyr.* : « dictum est singulari consilio, ut viderent Deum qui olim fuit nunc esse et aequali potentia et consimilibus miraculis uti posse et inviolabilem habere fortitudinem » (sim. *Theod.*). Dum autem obsequentes tanta circumdat clementia, extremum instat exitium et supplicium contumacibus; isti perpetua tempestate et turbatione iactabuntur v. 22 « *non est pax impiis, dicit Dominus* »; — cf. 46, 8; pax omnium bonorum cumulum et tranquillam possessionem ac fruitionem dicit, neque raro ipsam salutem messianicam designat (cf. 9, 7. Mich. 5, 4). Certe ad animos commovendos factum est quod adhortatio absolvitur et fulcitur demonstrato supplicio ac cruciatu eorum qui Deo obsequi renuunt. Ex eo enim clare infertur in Domino solo esse salutem positam; quam si reiecerint, iam Dominum iis fore sua ipsorum culpa in ruinam et perditionem (cf. 7, 9; 28, 16). Uti in cap. 34 et 35, uti iam 8, 20-22 et 9, 1-7 et 1, 19. 20 et saepius salutem et supplicium inter se opponit, utrumque iis propositum esse dicit; alterutrum eligant necesse est, dum iis loquitur tamquam alter Moyses : « considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum; elige ergo vitam ut tu vivas et semen tuum » (Deut. 30, 15. 19).

Hac sectione absoluta patet eam bene inscribi : *finitus est labor*. Agitur enim in ea potissimum de liberatione ex exsilio et ultima quae consideravimus verba : egredimini de Babylone, ad primam illam annuntiationem omnino redeunt. Praeterea totum huius sectionis argumentum in his tribus continetur : a) Deus potest et vult liberationem concedere; ita cap. 40; b) dein duo nobis exhibentur, per quos Deus liberationem, salutem, gloriam populo concedere vult; ita 41, 1-44, 23; c) demum prior ille heros, de quo 41, 2 et opus eius accuratius pertractatur; ita 44, 24-48, 22. Quae omnia propheta ita describit, ut oracula simul reddat aequalibus utilia, ut normam Dei universalem, qua eodem salutis consilio omnia tempora complectatur et in rerum cursu futura quoque adumbret et praeparet, continuo proponat et explicet.

III. — SECUNDA SERIES ORATIONUM. CAP. 49-57.

Expiata est iniquitas.

1. *Oratio prima* 49,1-26.

Arg. — Servus Domini populis convocatis enarrat, quomodo a Deo electus et instructus sit ad suum opus peragendum, sed simul conqueritur quod in vacuum laboraverit; quare causam suam Domino iudici committit (49, 1-4). Quem Dominus solatur ostendens ei laboris fructum, quo revera salus continget orbi universo, sed ita ut ipsius servi gloria ex maxima eius enascatur humilitate (49, 5-7). Tempore enim angustiae Deus ei potenter aderit; restituet hereditatem dissipatam, populum captivum reducet mira protectione, et de omni terrae plaga confluent ad Deum laudibus celebrandum (49, 8-13). Sionem quae se a Domino relictam conqueritur maximi amoris significatione Deus solatur; matrem illam fore praedicit populi innumerabilis cum ingenti suo gaudio et admiratione (49, 14-21). Deus enim gentibus mandabit, ut Sionem maxima veneratione colant eique filios afferant; nam tamquam heros potens auferet praedam ab hostibus et hostes horrendo supplicio castigabit, ita omnibus ostendens se esse redemptorem suorum (49, 22-26).

Duo in hac oratione eminent : servus Domini, de quo 1-13, et Sion, de qua 14-22 agitur. Servus Domini autem ita describitur, ut summa Dei protectione instructus sit, in quo Deus se glorificari vult. At ter exhibetur in statu laboris, humiliationis, angustiae (v. 4. 7. 8), quem tamen statum et summa gloria pro ipso subsequetur et salus ac beatitudo per orbem enata, ad quam efficiendam ipse a Domino sit adiutus et constitutus. In altera sermonis parte oratio convertitur ad Sionem; derelictam se credit Sion ; eam tenerrimi amoris exhibitione Dominus confortat; denuo eam dicit iri aedificatum multo gloriosius et spatio amplissimo, quam gentium reges supplices venerabuntur. Verum est quod *Malv.* affert : « hoc autem caput quaedam est veluti praefatio ac potius summum argumentum eorum quae sequuntur omnium ». Nam uti haec oratio duabus partibus servum Domini et Sionem nobis proponit, ita cap. 50-53 servus Domini in sua humilitate describitur simul cum fructu qui ex eius laboribus et doloribus enascetur, a cap. 54 Sionis gloria futura proponitur. Qualis autem exsistat nexus inter servum Domini et Sionem, orationum progressu magis magisque declaratur;

servus enim Domini sua obedientia, perpessionibus, dira morte expiat crimina populi et hac expiatione sibi gloriam meretur, cuius pars eximia in Sionis gloria illustratur, ita ut gloria Sionis instauratae opus sit servi Domini et in eius quoque gloriam redundet. Quemadmodum vates a 44, 24 et deinceps priorem illum heroem eiusque opus de quo 41, 2 mentio facta est, latius descripsit et explicuit, ita nunc ad alterum quem 42, 1 seq. nobis exhibuit orationem transfert ordine aeque perspicuo quam conspicuo.

a) **Querela servi Domini 49, 1-4.**

Similiter ut 41, 1 omnes populi invitantur ut aures praebeant attentas v. 1 « *Audite insulae et attendite populi de longe : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei* » ! — hebr. *audite insulae ad me* i. e. regiones maritimae et longinquae ; statim orbis compellatur universus, unde rem agi non particularem sed universalem elucet. Eundem loqui de quo 42, 1 seq. mentio facta est iam suadetur ex vaticinii compositione. Postquam enim de priore liberatore eiusque opere actum est, et postquam vates ea quae 41, 2 seq. 25 breviter tetigerat, fusius et enucleatius evolvit a 44, 24 et deinceps, iam ipsa sermonis concinnitate exspectamus vatem de altero quoque quem paucis 42, 1 seq. delineavit sermonem instituturum esse longiorem eumque et opus eius, uti fecerit in Cyro, explicatius descripturum. Porro autem id invicte demonstratur ex eo quia servus Domini in hac oratione et subsequentibus ita exhibetur, ut plane idem sit cum illo ; id quod ex ipsa explicatione patebit. Iam quod omnes gentes convocantur, optime fluit et explicatur ex 42, 4. 6 : legem eius insulae exspectabunt, dedi te in lucem gentium. Quantopere autem sit *electus* a Domino (42, 1) et *vocatus* (42, 6), explicatur hoc loco : exsistit scil. quia Dominus eum tamquam suum ministrum elegit ideoque eum formavit et cum adhuc esset in utero matris, iam *nominis* eius i. e. eius naturae, muneris, officii recordatus est, a primo eius ortu Deus omnia illa quae *nomine* continentur et exprimuntur mente et voluntate est complexus. Nomen autem alicuius omnia hominis designare saepe solet. Cum aliud nomen nisi *servus Domini* (42, 1) nondum adfuerit, illud proxime intelligitur, verum eo ambitu, quo ipse et virtutes eius et opus perficiendum 42, 1 seq. describuntur. Haec igitur omnia Deum a primo eius ortu et principio in mente habuisse et ad hoc eum formasse et vita donasse hoc versu asseritur. Quam ample haec in Christo sint impleta, lege Matth. 1, 21. Luc. 1, 31 (cf. *S. Ephr. Euseb. S. Hier. Cyr. Theod. Sanct.* etc.). Hoc loco proxime se declarat servus Domini ita a Deo ad vitam evocatum et

tali muneri a primordio destinatum, ut quam merito querelam illam v. 4 fundat appareat et quanto iure Dominum invocet vindicem causae. Tota enim eius exsistentiae et vitae ratio quam maxime probat, quanto studio debuerit audiri ab omnibus.

Tamquam a Deo vocatus et designatus etiam optime ad munus subeundum est instructus, quae est alia ratio, cur audiri debeat v. 2 « *et posuit os meum quasi gladium acutum; in umbra manus suae protexit me et posuit me sicut sagittam electam; in pharetra sua abscondit me* »; — *os* i. e. verbum eius; ergo id quod vult et mandat, virtute pollet maxima et effectu carere nequit; cf. 11, 4 : « percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium »; eodem modo id quod docet, penetrat, separat in modum gladii; vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (Hebr. 4, 12) et Christus profitetur se gladium misisse, quo fiat inter homines discretio et separatio (Matth. 10, 34). Cum *os,* verbum, tamquam gladius significetur, simul indicatur discrimen quod intercedit inter hunc et yrum (45, 1 seq.). Verbi igitur vis et efficacia declaratur. Eadem indicatur in *sagitta nitida* vel tersa, polita (hebr.); uti gladio pugnatur cominus, uti sagitta eminus ferit ac sternit (*Sanct.*); quare omnes et qui prope sunt et qui procul ab eo erunt vincendi. Etiam in sagitta tersa cernis vim penetrandi, qua interimantur hostes veritatis, alii autem ad salutem et utilitatem vulnerentur (ut in Cantico dicit sponsa percussa : vulnerata ego sum amore; *S. Cyr.* sim. *Euseb. S. Hier. Theod.*). Gladio et sagittis armatus incedit rex Messias Ps. 44, quibus armis victoria eius universalis in pugna cominus et eminus facienda innuitur (cf. *For. Osor. Malv. Mar. Men.*). Cum hisce armis coniuncta est insignis Dei protectio, quam accommodate ad gladium et sagittam describit; id in pharetra planum est, qua simul declaratur, servum Domini iri eductum a Domino et armorum in modum adhibitum, quando Domino placuerit; in priore metaphora gladii eatenus solum retinetur, quatenus gladius sub sinistro brachio abditus in vagina aliquo modo sub umbra manus *abscondi* (hebr.) dici potest; magis autem ipse cuius os est gladius spectatur, qui *manu* Domini i. e. divina potentia absconditur, ita ut nemo ei nocere possit, et qui *sub umbra* abditus mediis in laboribus et medio in aestu mire a Domino recreatur et grato quasi refrigerio confortatur. Hanc protectionem habes quoque indicatam 42, 1 : ecce servus meus quem fulcio (hebr.), v. 6 apprehendi manum tuam, servavi te.

Iam cur ita sit a Deo instructus et protectus effertur indeque nova colligitur ratio, cur debeat audiri v. 3 « *et dixit mihi : servus meus es tu, Israel quia in te gloriabor* » ! — hebr. *in te me gloriosum exhibebo* (cf. 44, 23); finis ergo qui omnibus in v. 1. 2 enuntiatis intenditur is est,

ut is se ministrum et servum Domini praebeat et ut Dei gloria et sublimitas per ipsum hominibus nota fiat; in eo Deus suam mai estatem vul manifestare, in eo ergo scopus ille « plena est omnis terra gloria eius » attingi debet. Eam Dei gloriam insigni modo per servum Domini promotum iri, etiam supra 42, 8 exprimitur et ubertim declaratur in cantico illo 42, 10-12. Sed cum vocetur *Israel* [1], unusne ille intelligitur, de quo 42, 1, an populus Israel qui hoc quoque servi nomine antea est appellatus (42, 19)? Sed populum non posse intelligi, statim elucet ex v. 6 in quo idem servus a Deo assumptus dicitur ad suscitandas tribus Iacob et servatos Israel reducendos, ubi ergo servus tamquam populi Israel redemptor ab Israel distinguitur et quidem ita, ut plane absonum sit et ab omni prophetia quam maxime alienum dicere populum sui ipsius esse redemptorem. Dein adde, eundem servum statim dici lucem gentium; proinde eadem appellatione salutari, qua idem 42, 6. Dein in v. 8 dicitur dari in foedus populi, ut educeret vinctos; hisce autem primo idem describitur qui supra 42, 6. 7 iisdem nominibus est designatus, et secundo apertissime a populo distinguitur; quia populus nequit concipi tamquam mediator foederis secum ipso et quia populus in carcere exsilii vinctus non se ipsum potest educere, neque populus caecus se ipsum potest lumine donare (cf. 49, 9 et 42, 7: ut aperires oculos caecorum), Ergo non obstante nomine Israel *unus* ille, de quo 42, 1, intelligi debet, nisi vatem secum ipso committere et plane absurda dicere velimus. Neque adeo difficile est explicare, cur eo nomine appelletur. Ratio enim in subsequentibus orationibus declaratur, quibus servus ille populi personam gerens pro populo peccata luit et satisfactione vicaria pro populo expiat culpam peccata populi in se assumens et poenas populo debitas in se exsolvens. Tamquam talis iure appellatur Israel et tale eius munus pro populo et quasi in persona populi subeundum apte in hac oratione praeparatoria iam insinuatur assumpto populi nomine. Idque fit eo facilius quia Israel de se est nomen patriarchae, patris populi; iam vero servus ille tamquam alter populi parens et servator adest, in se ipsius nominis significationem exprimens, est enim a Deo armis instructus ideoque revera « pugnator, miles Dei » i. e. Israel, qui igitur nomen vere in se exprimit, et ut olim Iacob oratione et patientia vicit indeque nomen reportavit (Gen. 32, 29. Os. 12, 4), ita hic quoque oratione sua et patientia in Deum praevaluit, ut ex irato propitium redderet homini (cf. *For. Lap. Men. Tir. Osor.*). Porro, ut rex Assyriorum

---

1. *S. Ephr.* in suo textu non videtur legisse *Israel;* immediate enim iungit: servus meus, in te gloriabor ego; parum est tibi ut sis mihi servus et suscites tribum Iacob etc.

Assur vocatur, ita rex Israel merito Israel vocari potest « quia nomen corporis capiti tribuitur » (*Mald.*) idque eo magis ut indicetur eum revera esse ex Israel oriundum (cf. *Euseb. S. Hier. Cyr. Thom. Sanct. Sasb.*); uti ergo nomen ab uno in omnes transiit, ita denuo uni attribui potest in quo tota populi vita quasi colligitur et consistit. Tale ergo nomen quod de se est nomen unius minime obstat quominus ille unus intelligatur qui ex notis adiectis alius esse non potest nisi idem, qui 42, 1 describitur a populo plane distinctus.

Messiam h. l. agnoscunt sancti Patres, quorum locos vide apud *Reinke*, Mess. Weissag. II p. 93 et *Kilber*, Analys. bibl. ed. *Tailhan* I p. 380. Et horum vestigia premunt etiam fere omnes interpretes catholici. Variam tamen interpretationem iam proponit *S. Thom.*; primo vocem populi audiri asserit annuntiantis et dicentis *audite*... me in ipsis patribus elegit, et ita porro de populo explicat. Tum addit: secundum alios haec est vox Cyri, cuius nomen praenuntiatum est ab Isaia antequam nasceretur etc.; denique : aliter exponitur de Christo, cuius nomen ab angelo praenuntiatum etc. Censet vero *Calm.* hoc de Cyro quidem aegre explicari, satis tamen apte de Isaia et Ioanne Baptista, tum etiam de Christo; at uti ex eius verbis ulterioribus elucet explicationem de Isaia retinet ut primam, cui alias adiungit. In similes sententias interpretes rationalistae hic abeunt, sicut 42, 1 seq. Intelligunt enim hic vel populum Israel vel electos et pios ex Israel, vel prophetas, vel etiam Isaiam solum (cf. *Ros. Ges. Kn.*). Haec singula refutare iam non opus erit, postquam verbis ipsis eas sententias excludi supra ex nexu et contextu ostensum est. *Ges.* asserit de Messia sermonem esse non posse, quia is de quo agitur hic *loquitur;* quasi Messias non eodem modo a propheta posset induci loquens, sicut loquens inducitur cap. 14 rex Babel et habitantes in Scheol. Neque id fit sine ulla praeparatione; ea adest 42, 1 seq. et post Cyrum alterum iam in scenam prodire liberatorem plane ad libri concinnitatem spectat. Dein *quis* loquatur, utrum Iahve an propheta, debet apud prophetas saepe ex argumento disci; non apponunt nomen loquentis; idem ergo hoc loco obtinet. Ex argumento et locis parallelis erui debet quis loquatur. Dein obiicit *Ges.* obstare v. 8. 9; sed hi versus iidem sunt re qui 42, 6. 7 iam leguntur; porro de qua instauratione ibi sermo sit, in sermonibus de Sion explicatur; gloria vero Sionis exoritur ex perpessionibus servi Domini, uti subsequentibus orationibus videbimus.

Nomen *Israel* deest in uno codice hebr. (cf. *de Rossi*) et aliqui critici eam delendam esse censuerunt; ita *J. D. Michaelis* et *Ges.* Habent quidem hanc vocem textus hebr. LXX, *Syrus* [1], *S. Hier. Chald.*; at quemadmodum apud LXX 42, 1 falso textui verba Israel et Iacob sunt inserta, ita fieri potuit, ut hoc loco quoque poneretur Israel, ad quam interpolationem forte etiam 44, 23 *in Israel*

---

1. Neque tamen ut videtur *S. Ephr.* vocem legit; vide ad 49, 3.

me gloriosum reddam nonnihil iuvit. Et si antiquitus facta est interpolatio in textu graeco, non sane mirum est eandem apud reliquos inveniri. Sed res dubia est, nam Israel potest explicari, quamvis sane fateri oporteat, nomen alibi non de uno aliquo nisi de patriarcha adhiberi, alias semper de populo. Alii difficultatem alia via removere tentarunt; at parum feliciter. Nam censent verba ea ita posse concipi, ut ea servus Domini iubeatur ad Israel dicere : dixit mihi Dominus : dic scil. populo : servus meus es tu Israel (*Braun, Calm.*); sed quo iure talis assumitur suppletio? Alii sermonem transferri volunt in altero membro a servo ad Israel : servus meus es tu, et in te gloriabor, Israel (*Hensler, Staüdlin*); sed cur subito inferatur allocutio ad Israel, ad aliam personam, postquam praemissum est : *dixit mihi,* non facile explicatur. *Saadias* in versione arabica vocem accipit ac si לישראל scriptum esset : servus meus es tu ad Israel, in te gloriabor; sensus quidem non spernendus, et qui ad sequentem querelam v. 4 viam optime sterneret; at quomodo textus uti iacet sic possit intelligi, nemo dixerit. Facilior esset talis ל suppletio ex לי, ita ut vertatur : dixit mihi : servus meus tu; Israeli (dixit) : quia in te gloriabor; ita enim quandoque ל suppleri in membro parallelo, omnes concedent (cf. 44, 28). At cur allocutio fiat ad populum, vix h. l. satis suaderi potest. Ceterum aliqui ex rabbinis qui de propheta Isaia verba capiunt, ita explicant : « servus meus es tu ex semine Israel; sive : tu Israel qui reputatus es in oculis meis instar totius Israel » (*Abenesra* apud *Ros. Ges.*) vel : « loquitur universaliter et particulariter : tu, Israel, in quo gloriabor, sicut herus gloriatur in servo fideli » (*Kimchi* apud *Ros.*).

Pro iis demum qui verba haec quasi oraculum de Ioanne Baptista explicare volunt, adscribo quae *Sanct.* advertit : « neque minus improbabile est (quam agi de Cyro) quod aliqui putant haec ad Ioannem Baptistam pertinere, quorum ratio gravissima et pene sola est quia Ecclesia caput hoc in Ioannis sollemniis tum ad sacrum Missae quam ad horarum officium adhibet. Quae ratio levissima est, ut late probavimus ad illud Zach. 13 : quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? ubi ostendimus saepe ab Ecclesia alienam historiam propter aliquam similitudinem sacris Sanctorum officiis accommodari. Et sane si ratio haec aliquid haberet momenti, probaret etiam de Ioanne esse caput primum Ieremiae, quia illud de Ioanne recitat Ecclesia in eius vigilia ». De tali accommodatione textuum vide *Cornely,* Introd. I p. 544.

Cum igitur servus Domini tam singulari ratione esset vocatus a Domino et instructus et scopum haberet adeo sublimem a Domino praefixum, iuremerito querelam fundit acerbam, quia populus Israel sua pertinacia laborum illius proventum repudiat et Dominum iudicem causae patronum invocat v. 4 « *et ego dixi : in vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi ; ergo iudicium meum cum Domino et opus meum cum Deo meo* »! — querelam fieri de Israel pervicacia eruitur ex responso Dei subsequenti (de quo infra) ; *et ego* cum emphasi dicitur, quia quae affert servus Domini et quae expertus est

effato Domini v. 3 contraria esse videntur. Dicit se in vanum laborasse, inaniter et incassum studium et vires consumpsisse. Quae plane conveniunt in Christi querelam de obstinatione Iudaeorum : quoties volui congregare filios tuos... tu noluisti ; indigne fert eorum incredulitatem, ut ait *Theod.* et sim. *Euseb. S. Cyr. Hier. Osor. Sanct.* etc. At Dei voluntas et opera in v. 1-3 enuntiata effectu carere non possunt ; quare addit ad expostulationem : *attamen ius meum est penes Dominum et opus meum penes Deum meum* (hebr.) ; suam causam Domino committit ; quia est ita a Deo vocatus et instructus, ius habet ad effectum et prosperum successum laborum et qui hos labores inanes reddere conantur, inimici sunt et adversarii Dei, contra quos Deus ipse suam causam tueri debet. Quare in illa prima laborum sterilitate se solatur, ius suum inviolabile esse repositum penes Dominum et *opus,* negotium suum omnemque fructum pariter in Domini potestate collocari qui ad effectum rem pro beneplacito suo perducet certissime quia suam voluntatem adeo manifesto (v. 3) declaravit. Et quia servus Domini pro sua parte virili laborem impendit multum, immo eo studio et conatu ut asserere possit se vires suas consumpsisse, eo potiore iure a Domino potest postulare ut suam tueatur causam eamque suscipiat ad finem gloriosum perducendam. Ita innuit vates, uti videtur, nexum qui adsit inter labores Messiae et eius gloriam operisque ambitum, quem nexum in subsequentibus magis magisque explicari videbimus. Verba haec quibus suam causam Deo committit, quid sunt aliud nisi illud : et nunc clarifica me tu, Pater, etc. cf. Ioan. 17, 1. 5 seq.

b) Fructus laboris servi Domini 49, 5-7.

Querelae isti et iuris postulationi statim respondit Deus ; responsum ipse servus enarrat, quo simul explicite declaratur quid sit iudicium (ius) et opus (v. 4), quod Dominus tuendum et efficiendum suscipiat v. 5 « *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Iacob ad eum — et Israel non congregabitur ! — et glorificatus sum in oculis Domini et Deus meus factus est fortitudo mea* » ; — denuo servus Dominum commemorat a quo sit formatus et institutus a prima sua origine ut servus sit Domini ad tribus Iacob reducendas ad Deum ; ergo iterum se a Domino ad id creatum et destinatum dicit, in qua repetitione argumentum v. 4 continetur et simul illud Dei consilium firmum permanere in se et firmum censeri a servo Domini exprimitur. Cum addat *et glorificatus sum...* iam responsum faustum sibi factum animo praeoccupans priusquam illud nobis enarret ostendit magnam animi laetitiam de postulatione sua copiose a Domino concessa ; pro hu-

miliatione enim v. 4 expressa qua in hominum oculis videbatur incassum laborem insumpsisse, iam laetabundus suam apud Dominum gloriam sibi factam effert; pro viribus frustra impensis Deum sibi factum esse robur, ergo si quod damnum subiit id modo quam maxime eximio ac divino reparatum esse cum animi exsultatione annuntiat. Hisce quantopere animus eius laetetur ex eo conclude quia quid responso Dei in se effectum sit ante ipsum responsum inversione quadam *psychologica* enarrat. Quod in textu lat. legitur *et Israel non congregabitur,* debet explicari vel ut innuatur populi pervicacia, qua consilio Dei obsistere nititur : ego formatus sum, ut Iacob reducam et quid est quod Israel non vult aggregari ad Dominum ?! vel tamquam exclamatio admirantis et quasi quaerentis : quomodo in tali Dei consilio fieri posset ut Israel non congregaretur? Prius indicant *Osor. Lap. Men. Tir.*, alterum *Mald.* simul cum alia explanatione.

Alii potius ita explanant ut populi israelitici abiectionem ibi declarari dicant (cf. *S. Hier. Mald. Malv. For. Sanct. Sasb. Pint.*). At abiectum iri populum a Deo in universum non videtur esse verum ; nam : « numquid Deus repulit populum suum ? absit ! non repulit Deus plebem suam quam praescivit... nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret » (Rom. 11, 1. 2. 25. 26). Dein abiectionem hoc loco indicari non censeo, quia v. 5 responso Dei asseritur et affirmatur servum Domini reducturum esse reliquias Israel. Quare ad contextum melius — ne dicam unice — convenit lectio quam LXX praebent et *Aq. Syrus* et *Chald.* omissa negatione. LXX quidem : ut congregarem Iacob ad eum et Israel, congregabor et glorificabor coram Domino ; ita ex *S. Hier.* ; referente *S. Hier. Aquila* vertit : et Israel ei congregabitur ; eundem sensum exprimit *Chald.* et *Syrus.*

In textu hebr. adnotatur pro לא quod scriptum est i. e. *non* legendum esse לו i. e. ei, quod idem vidimus ad 9, 3 ; teste *S. Hier.* negationem legebant et exprimebant *Theod.* et *Sym.* et hanc negationem ipse tamquam fortissimum contra Iudaeorum perfidiam testimonium retineri vult atque se satis mirari fatetur, quomodo vulgata editio (LXX scil.) hoc fortissimum testimonium alia interpretatione subverterit. Eius vestigiis olim institerunt non pauci. Verum hodie plerique sensum sequuntur et exprimunt illum quem LXX et vetus latina versio (et ex ea S. Ambrosius et S. Augustinus ; cf. *Sabatier,* Bibl. sacr. lat. vers. ant. ad h. l.) et *Syrus* et *Aq.* exhibent ; cf. *Schegg, Loch, Rohl. Troch.* (aliter tamen *Reinke* l. c. 132 et *Net.*) *Kn. Sein. Del. Naeg. Or.* etc. Aliqui, ut *Hitz. Hofmann,* retinent quidem negationem, at explicant אסף abripere, interire : et Israel non abripietur, non interibit ; sed cum verbum adeo frequenter de notione *congregandi* adhibeatur, hoc loco quo sermo est de reducendo Iacob, alia significatio *derivata* nemini potest in mentem venire ; significat enim auferre i. e. ad se colligere, ad se attrahere id quod quis antea dederat ; vel vento colligi i. e. auferri ; vel (ad patres) colligi i. e. mori

Prooemio illo exsultationis praemisso subdit Dei responsum v. 6 « *et dixit : parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae* » ; — ergo Deus servum de casso labore conquerentem solatur dicens : nimis exiguum esset si solum mihi inservires ad suscitandas tribus Iacob et ad *servatos Israel* (hebr.) reducendos ; ad multo maiora te praeterea servum assumo : non solum unum populum docebis, sed doctor eris gentium iisque beatitatem afferes ita ut tu sis salutis auctor omnibus qui universum orbem incolunt. Tanto igitur operis effectu qui omnes gentes et extrema quoque terrae complectetur eum solatur et erigit de labore per aliquod tempus frustra impenso. Quibus verbis consilium Dei et opus Messiae pulcherrime explicatur ; exprimitur voluntas Dei ope Messiae et Israel et omnes alios populos ad salutem adducendi. Tribus Iacob multiplici iniquitate et miseria sunt prostratae ; eas igitur eriget, statuet denuo, sicuti tabernaculum David quod decidit erigetur (Am. 9, 11) ; *servatos* ex Israel, reliquias [1] ex dispersione, eos scil. qui alieni a moribus gentilium Deo suo et promissionibus eius fideliter adhaeserunt, qui servati sunt ex direptione et vastatione (cf. 42, 22-25), eos reducet ad Dominum ; sed parum est ut in uno populo regnum Dei stabiliat ; gentes ex tenebris ignorantiae et peccatorum in lucem veritatis et gratiae divinae educet ; ipse in se, in doctrina, erit lux gentium et auctor et fons salutis per orbem universum. Haec sane adeo praeclara sunt, ut de nullo, neque de populo Israel, neque de prophetis dici possint, verum de uno Messia. Praeterea iis verbis aperte idem describitur, de quo eadem 42, 6. 7 dicuntur, qui iam 11, 10 tamquam signum populorum exhibitus est quem gentes deprecabuntur et cuius tempore repleta est terra scientia Domini ; qui iam 9, 2 tamquam lux et imperii latissimi auctor (9, 6) est adumbratus, cuius tempore tribus Iacob colligentur (11, 11 ; cf. Mich. 5, 4 etc.). Nonne quivis fateri debebit illum describi, qui sit lumen ad revelationem gentium et gloria plebis Israel et qui de se ipso dixit : ego sum lux mundi (*S. Cyr.*) ? Cum autem dubium nullum sit quin lux gentium et salus Domini bona designent spiritualia et coelestia dona, consequens est ut etiam quae in priore membro de suscitandis tribubus Iacob dicuntur, eadem ratione intelligantur. Sensus enim locutionis complexae est : non solum populo Israel verum omnibus summa tu afferes beneficia. En quantopere labor eius non erit inanis ! Et cum

1. Ita in comment. *S. Hier.* ipse vocem נצורי explicat.

responsio haec fiat post querelam, iam innuitur pro humiliatione illa et molestia et magna virium contentione tale ei praemium rependi.

Nexus idem qui sit inter humiliationem et contemptum servi Domini et eius gloriam et exaltationem etiam clarius effertur et simul ea quae in v. 4 indicantur magis explicite declarantur v. 7 « *haec dicit Dominus redemptor Israel, Sanctus eius ad comtemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum : reges videbunt et consurgent principes et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et Sanctum Israel qui elegit te* » ; — hebr. *ad abominationem gentis* i. e. ad eum qui genti est abominationi et contemptui ; advertit *S. Hier.* transtulisse Theodotionem : qui abominationi est genti, similiter LXX τὸν βδελυσσόμενον ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ; etiam *gens* apud scriptores latinos quandoque de uno [1] dicitur, ut sit idem ac progenies, soboles ; et hoc modo vox hic erit capienda, ut idem habeatur sensus cum textu originali. Vocatur Dominus *redemptor*, liberator, vindex populi (cf. 48, 20) et *Sanctus* qui ut talis ad veram sanctitatem populum revocare vult ; cum isti tituli hic usurpentur, nexus debet adesse inter hos et locutionem Dei hoc loco relatam. Cum locutio fiat *ad* illum qui contemptibilis videtur et hominibus est abominationi et qui tamquam servus habetur duris dominis subiectus, *eique* annuntietur fore ut reges et principes magna reverentiae significatione se prosternant propter Dominum, sine ullo dubio ei solatium praebetur de humili illa conditione et indicatur ex abiectione illa et miseria fore ut honor Dei et cultus enascatur vel conditionem illam vilem viam esse, per quam et ipse servus Domini ad gloriam sit perventurus et reges et principes ad humilem venerationem sit adducturus ; ita quoque fore, ut fidelitas Dei agnoscatur et sanctitatis eius opus aestimetur quod praeclare elucet in ipsa servi electione a Deo facta. Quare illud fore innuitur quod v. 3 dictum est : in te me gloriosum exhibebo. Simul querela v. 4 proposita, labor vacuus etc. hoc loco partim declaratur, partim augetur opprobriis propositis quae servus Domini obire debebit. Haec opprobria hoc loco solum generatim adumbrantur ; magis magisque explicantur et describuntur 50, 6 et 53, 2-12 ; quare ea quoque in re id deprehendimus quod frequens est apud Isaiam, ut quae antea quasi obiter et paucis dicta sunt, postmodum clarius et uberius proponantur.

Esse autem etiam in hoc versu sermonem ad eundem et de eodem, de quo in antecedentibus, omnino certum videtur. Nam in v. 8 et 9 de eodem institui sermonem ex eo elucet, quia iisdem verbis fit ad eum allocutio et eadem munera ei assignantur, sicut in v. 6 et 42, 6. 7. Cum igitur illud *te* in v. 6 et 8 et 9 de uno eodemque necessario debeat in-

---

1 Ita apud Virgilium : vigilasne, deum gens, Aenea ?.

telligi, fieri nequit ut in versu 7 interiecto de alio quodam accipiatur, nisi clarissimae et gravissimae rationes pro tali enallage personae adsint. Atqui tantum abest ut adsint, ut contextus proximus et remotus eandem personam indicet. Nam servus Domini statim ab initio ut electus Domini describitur neque alius in hoc capite eo nomine designatur; cum igitur dicatur qui *elegit te,* de alio quodam nequit cogitari. Angustia illa in v. 7 descripta partim iam innuitur in v. 4, iterum supponitur in v. 8 et demum quam maxime explicite in servo Domini exhibetur 50, 6 et 53, 2 seq.; ergo etiam in v. 7 intelligi debet de eodem. Gloria quae ex humili conditione enascetur, pari modo exprimitur v. 6 et 7 et 8 et clare quoque in servo Domini describitur 50, 7 seq. et 53, 11. 12; proinde arbitrarium esset versum 7 intermedium alia ratione accipere, cum tamen antecedentia per eum illustrentur et ipse quoque in subsequentibus magis per singula fere verba explicetur. — Demum vix opus erit adnotare, cum res sit adeo aperta, quam plene iste quoque versus in Christo sit impletus; *servus* quoque *dominorum* apte vocatur, quia ex populo sub alienorum dominio constituto egreditur vel ut *S. Hier.* dicit: « qui servus fuit principum et tam humilis ut staret ante Annam et Caipham et crucifigendus Pilato et Herodi mitteretur ». Nexum qui sit inter ludibria et exaltationem bene efferunt *S. Cyr. Euseb. Theod.;* de Messia sermonem fieri agnoscunt plerique interpretes quoque latini et e recentioribus *Reinke, Net. Rohl. Troch. Del. Naeg.* aliique. Praeclare adiungitur *ad servum dominorum* descriptio admirationis et reverentiae qua *reges* et *principes,* qui ipsi alias prostrationem a suis postulant, iam stupefacti ipsi surgant de thronis seseque prosternant; habes in priore parte summa opprobria et ludibria, in altera summam honoris significationem. Nonne idem depingitur quod expressit S. Paulus : humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum ?

Plerique interpretum lat. verba ita concipiunt ut et de Christo sermo sit et de *gente abominata* i. e. de Christi discipulis, de plebe christiana. Ita propter textum latinum. Id non necesse esse iam dixi; neque enim de gente est sermo, sed uti LXX, *Syrus, Theod.* rite verba hebr. interpretati sunt de eo qui a gente abominationi habetur. Proinde nullo modo opus est, ut illud *te* sensu collectivo accipiatur. Neque pro hac acceptione cum *For.* iure allegatur Act. 13, 47, quo loco Paulus apostolus suam ad gentes missionem probat dicens : « sic enim praecepit nobis Dominus : posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae ». Nam inde solum sequitur quae de Christo capite valeant, suo modo etiam valere de membris Christi, ut bene adnotat *Sasb.* qui pro ea re nos remittit ad primam regulam Tichonii de Christo et corpore eius Ecclesia (cf. *S. Augustin.* de doctr. christ. 3, 30. 31 ; *M.* 34, 81). Ita Christus qui se vocavit lucem mundi etiam discipulis dicit : vos estis lux mundi et ipse per praedicationem Ecclesiae fit revera « lux gentium ». Argumentatur ergo aposto-

lus ex eo quia Messias debet fieri lux gentium et ipse missus sit ad praedicandum Christum, se debere gentibus evangelium annuntiare; quae argumentatio plane legitima est, attamen nullo modo efficit, ut illud *te* primo et per se sit sensu collectivo accipiendum. Sed sermo est de uno; quia vero ille unus *is* est ad cuius imaginem et similitudinem reliqui qui sunt ipsius efformari debeant, qui dixerit se esse sequendum, qui sit caput corporis Ecclesiae, cuius membra sint baptizati etc. inde sequitur, quae de Christo dicuntur saepe etiam suo modo ad christianos extendi. Cur *S. Hier.* qui affert versionem *Theod.* eique etiam *Aquilam* consentire innuit et LXX et interpretationem de Christo meliorem dicit quam illam de gente Iudaeorum et in fine commentarii solum de Messia hunc locum accipit, nihilominus verterit *ad abominatam gentem,* quis dixerit vel quis ea versione a proprio sensu se abstrahi permittet?

De gente Iudaeorum haec accipi debere censent *Mald. Mar. Calm. Dereser, Schegg;* et *Calm.* quidem praeter hanc acceptionem etiam de Cyro explicari posse non abnuit et iis quoque qui de Isaia interpretentur non deesse rationes satis probabiles asserit, neque Ioannem Baptistam excludit et demum omnia in Christo esse expleta etiam affirmat. Sed talis explicationum copia nos potius inopes redderet. *S. Thom.* priore loco explanat de gente iudaica; dein subdit: vel de Christo, qui fuit in passione contemptus et quasi servus iudicatus. Sed cum in v. 6 et 8 de Messia sermo sit, in v. 7 intermedio eadem allocutio non potest ad alium dirigi. Alias rationes supra iam dedi, cur sensu litterali hic de servo Domini i. e. de Messia fiat vaticinium. — Denique adnoto *Barh.* hic et v. 1 intelligere Zorobabelem.

c) Instauratio per servum Domini 49, 8-13.

Postquam in antecedentibus munus servi Domini eiusque exaltatatio generatim est proposita (v. 6. 7), iam aliqua magis particularia subduntur ad duo illa illustranda v. 8 « *Haec dicit Dominus: in tempore placito exaudivi te et in die salutis auxiliatus sum tui et servavi te et dedi te in foedus populi, ut suscitares terram et possideres hereditates dissipatas,* v. 9 *ut diceres his qui vincti sunt: exite, et his qui in tenebris: revelamini* »! — iam de quo sermo sit nequit dubitari; eadem enim verba et easdem enuntiationes legimus 42, 6. 7. Explicatur hac prima sententia id quod v. 6 dictum est de suscitandis tribubus Iacob. Haec suscitatio primo in eo consistet ut servus Domini statuatur a Domino tamquam is qui sit foederis institutor et mediator inter Deum et populum. Hac appellatione servus Domini quam clarissime distinguitur a populo (cf. 42, 6); totus populus Israel est populus theocraticus; inter ipsum et Deum foedus novum est instituendum; vetus illud peccatis est violatum et ista violatio in ipso exsilio abductione populi in regionem alienam etiam symbolo externo est manifestata. Instauratio igitur optime descri-

bitur tamquam foederis restitutio et innovatio. Inde Ieremias iam loquitur accuratius de *novo* foedere (Ier. 31, 31), Osee de foedere percutiendo (2, 18) et Malachias foederis novi mediatorem angelum testamenti vocat (Mal. 3, 1). Haec foederis restitutio describitur ita ut quae violatione foederis perdita erant iterum meliore conditione innoventur : unde terra quae vastata est et inculta iacet denuo erigitur; sortes et hereditates desertae et derelictae denuo distribuuntur; exsules qui quasi in carcere et tenebris inclusi gemunt (cf. 42, 22 seq.) in libertatem vindicantur et ad felicitatem et prosperitatem adducuntur; vide 42, 7. Ita ergo damna quae violatio legis intulit regioni et hominibus reparantur. Haec quidem ad normam prioris liberationis describuntur; sed instaurationem theocratiae intelligi spiritualem, ex v. 6 concludendum est, in quo opus messianicum luce et salute contineri dicitur. Idea enim una et communis est instauratio theocratiae, quae parvis initiis et per modum praeparationis fit in priore liberatione, cuius auctor est Cyrus, quae vero altiore modo et sublimiore efficitur in liberatione altera per servum Domini adducenda. Quare utramque liberationem simili exhiberi schemate, iam iis satis declaratur quae vates 42, 13-44, 23 nos docuit.

Verum bene notari oportet ad tale opus servum Domini assumi ita, ut antea praecesserint obsecrationes eius et preces, quas Dominus tempore gratiae et benevolentiae benigne susceperit; vox רצון alludit ad 40, 2 expiata est iniquitas — *exaudivi te;* ergo servus Domini rem suam enixe Domino commendavit, successum operis efflagitavit; unde hac enuntiatione idem indicatur quod v. 4 habemus et quod in Christi orationibus ad Patrem cernimus impletum (Ioan. 17, 1 seq. Hebr. 5, 7). Angustias servi Domini et labores eius et persecutiones et infestationes indicat alia Domini enuntiatio : *in die salutis te iuvi,* adstitit ei Dominus, opem et auxilium tulit; id quod de eodem asseritur 42, 6 et denuo 50, 7. Si vero necesse erat ei auxilium ferre et si ille dies appellatur *dies salutis,* quid aliud indicatur nisi servum Domini fore in angustiis et in oppressione, uti in v. 7 describitur et fusius 50, 6 et 53, 3 seq. et ex hac ipsa humiliatione et afflictione fore ut salus enascatur? Tempus afflictionis etiam tertia enuntiatione indicatur *et servavi te,* quae eadem 42, 6 habetur. Asseritur itaque triplici modo conditio illa in v. 4 et 7 indicata et cum statim subdatur *et dedi te in foedus populi,* iterum nexus inter humiliationem et praeclarum operis effectum salutemque aliis afferendam clare indicatur. Quod in v. 6 dictum est eum fore in lucem gentium et in salutem, similiter hoc loco ei adscribitur, cum dicatur educturus iussu suo in lucem eos qui in tenebris morantur et liberaturus vinctos carcere. Pronum est cum *S. Hier. Cyr.* aliisque tenebras caliginemque mentis et vincula catenasque peccatorum intelligere.

Vox illa servi Domini quam post suam humiliationem exaltatus a Deo emittet : *exite, revelamini,* pariter erit omnium bonorum auspicium. Unde schemate liberationis retento vates pergit : « *super vias pascentur et in omnibus planis pascua eorum;* v. 10 *non esurient neque sitient et non percutiet eos aestus et sol, quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum potabit eos* »; — hebr. *in omnibus clivis pascua eorum;* designantur clivi nudi alias et steriles, sed qui iam in fertilitatem vertuntur (cf. 41, 18; 43, 20); neque molestiis itineris laborabunt; quibus indigent ea large praesto erunt; neque percutiet eos שָׁרָב de qua voce vide 35, 7, quam eodem modo hic quoque explicant (cf. *Rohl. Net. Kn. Del. Naeg.*), dum alii cum LXX, *Syro, S. Hier. Chald.* notionem aestus retinent; oportebit in priore acceptione non tam de percussione quam de deceptione et fallacia cogitare qua oculis falso obiicitur aquae vel lacus species, qua quidem illusione viatores aquae cupidissimi etiam percutiuntur modo valde ingrato. Quia statim sequitur *ad fontes aquarum ducet* [1] *eos* vel *iis requiem dabit* (hebr. cf. 40, 11); sensus quem modo dedimus facile funditur. Et ratio affertur solatii plena et certum bonorum pignus : miserator eorum ducet eos ac diriget, Domini ergo clementia et misericordia undequaque foventur. Dominus itaque pastor bonus describitur; vide 40, 11; 41, 17; 43, 2. 19. 20; 44, 3. Atque ut commode iter peragant, Dominus omnes viarum difficultates amovebit v. 11 « *et ponam omnes montes meos in viam et semitae meae exaltabuntur* »; — montes redigentur in viam planam; semitae extollentur, altae fient, uti viae arte et studio factae aliquantulum eminere solent ex planitie et campis. Ita simul redduntur conspicuae neque quisquam errare poterit, « sicut a via quae lapidibus strata est nemo deerrare potest » (*Mald.*): cf. 35, 8; 40, 4.

Atque quam efficax sit illa servi Domini vox : *exite* (v. 9), amplissime describitur v. 12 « *ecce isti de longe venient et ecce illi ab aquilone et mari et isti de terra australi* »! — vivus est enim sermo Dei et efficax; unde illud *exite* quod iussus est dicere post humiliationem suam et ad quod dicendum a Domino est adiutus et servatus (v. 8) non solum maxima itineris commoda adducit, sed etiam innumera evocat agmina ex omni terrae plaga; venient ab extremis terrae nationibus, a septemtrione et ab occidente; regio aquilonaris regio est exsilii et illa ex qua omne malum panditur super habitatores terrae (Ier. 1, 14); venient e regioni-

1. Quod in *vulg.* legitur *potabit* forte est mendum pro *portabit;* ita enim codices plures legunt, uti *Lucas* brugensis adnotat, et etiam in missali romano sabbato post dominicam quartam quadrag. olim habebatur. Certe *portabit* concordat cum hebr. LXX, *Syro, Chald.* et cum allegatione in Apoc. 7, 17. In comment. *S. Hier.* lectio non omnino certa videtur.

bus maritimis, ab insulis (cf. 60, 9); demum venient de terra סִינִים, « quod LXX *Persarum* [1] interpretati sunt; ceteri ita ut in heb. legitur expresserunt *sinim,* quod nos interpretati sumus ab australi, illud suspicantes quod mons Sinai in australi parte positus est » (*S. Hier.*); vocem ergo retulit ad סִינַי montem; sed regionem debere intelligi multo remotiorem, ex ipsa enumerationis serie patet; quare de Sinai monte in hoc contextu cogitari nequit. Eadem ratio militat contra Sinaeos, populum canaaniticum (Gen. 10, 17 סִינִי) et eodem modo contra Pelusium Aegypti. Iam *Osor. Arias Montanus, Lap. Men. Tir.* ea voce regionem Sinarum designari censent, quae regio et maxime remota est et ad orientem sita, unde optime contextui convenit quo et regio postulatur valde remota et propter mare (i. e. occidentem) quod praecedit apte subsequitur orientalis regio. Eandem explicationem adoptant recentiores; eam latius pertractat *Ges.* (Thes. s. v.) et *Victor von Strauss-Torney* in comment. a *Del.* edito (3 edit. p. 688 seq.); eandem sententiam [2] amplectuntur *Schegg, Net. Rohl. Troch. Kn. Hitz. Maurer, Sein. Hahn, Naeg. Del. Or. Movers, Lassen, Langlès, Field,* dum alii eam in dubium vocant (cf. *Noeldeke* in *Schenkel,* Bibellex. s. v.).

De instauratione adeo gloriosa et de congregatione filiorum Dei ex omnibus terrae plagis (cf. 11, 11. 12; 14, 1. 2) iure merito canticum laudis et gratiarum actionis persolvitur, quo redeuntium affectus et exsultatio describatur iisque in quas voces animorum sensus solvere debeant ostendatur; v. 13 « *laudate coeli et exsulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur* »; — cf. 42, 10. 11 et 44, 23; in ista compellatione coeli et terrae et montium affectus magnitudo exprimitur, qua quasi socii laudis adsciscuntur, et beneficii amplitudo praedicatur ad quam

---

1. *Syrus* habet : alii a mari Senjam (Senim); id quod *Barh.* de Persis explicat. *Chald.* praebet : in terra Daroma i. e. in regione australi (cf. *Levy,* Chald. Woerterb. I p. 188).

2. Ut eandem sententiam commendet, *Cheyne* haec affert ex *Wilkinson,* Manners and customs, 1 series III p. 109 : « it is historically certain from the Chinese records, that there were foreign merchants in China as early as the 10 th century B. C. and Chinese merchants in foreign lands as early as the 12 th, and it is probable that direct commercial relations existed between China and India and consequently at any rate direct relations between China and Phoenicia, which will account for the presence of porcelain-ware with Chinese characters upon it in the Egyptian Thebes ».

Dein refert ex *Pauthier* (relations politiques de la Chine, Paris 1839) : « that the Assyrians, at any rate, arrived in China by sea as far back as 2353 B. C., there is a positive traditional evidence, if M. Pauthier's report may be trusted (de qua re tamen dubitatur!). In that year, he says, according to Chinese traditions an envoy arrived from a far country... he brought an inscription in strange characters like *tadpoles...* A second embassy is said to have arrived 1110 B. C..

debito modo gratiarum actione laudandam et efferendam orbis universus evocatur. Bene quoque creaturae invitantur ad laudem, nam et ipsa creatura per opus servi Domini, per redemptionem, demum liberabitur a servitute corruptionis et glorificabitur in gloria filiorum Dei (cf. 11, 6. Rom. 8, 21). Hac instauratione theocratiae et populi Dei collectione Deus populum suum *consolatur* (cf. 40, 1), hac promissa iam nunc solatur lugentes in Sion; dein certam enuntiant spem fore ut semper tenerum amorem et miserationem et benevolentiam exhibeat in eos qui afflicti sunt et miseri et qui hoc calamitatis titulo iure quodam praecipuo *sui* dicuntur, quia ipse Dominus se appellat miseratorem (v. 10), redemptorem. Bene praeformantur voces eius qui dixit : venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Eam adhortationem in laudem ipsius quoque prophetae vertit *For.* haud incongrue scribens : « tu autem, christiane lector, pietatem et caritatem prophetae hic considera et quanto salutis omnium desiderio tenebatur, qui omnibus mutis elementis linguas optabat quibus congratularentur e captivitate peccati redeuntibus; res enim est de qua gaudium est in coelo ».

d) **Dominus solatur Sionem 49, 14-21.**

In antecedentibus v. 8-13 descriptum est, quomodo servus Domini assumatur ad suscitandas tribus Iacob (v. 6); instaurationi autem intime connexa est innovatio et gloria Sionis; Sion enim centrum est theocratiae eiusque sedes, quare instauratio theocratiae eo ipso consideratur tamquam aedificatio Sionis. Hanc Sionis innovationem propheta iam in priore parte indicavit; vide 1, 26; 2, 2; 4, 5 et similiter ad eandem rem referuntur 14, 32; 16, 5; 25, 6 et 40, 9. Uti in priore liberatione Ierusalem aedificatur (44, 26. 28), ita indoli secundae liberationis respondet aedificatio quaedam sensu altiore, eo scil. quo iam Ps. 86 Ierusalem mater est omnium Deum colentium. Per Dominatorum qui ex Bethlehem oriundus est prisca dominatio redibit ad filiam Ierusalem, uti Michaeas vaticinatur (4, 8; 5, 1) et tunc maceriae eius aedificabuntur (Mich. 7, 11); Messias rex est institutus a Deo super Sion montem sanctitatis suae (Ps. 2, 6) et virgam virtutis suae emittet ex Sion (Ps. 109, 2). Quare si opus Messiae describitur, gloria Sionis deesse nullo modo potest. Haec gloria est opus et merces Messiae. Vel si eandem rem verbis ex novo foedere depromptis declaramus, Ecclesia est opus Messiae, hanc Ecclesiam ut sponsam sibi acquisivit, eam mundavit, Ecclesiae gloria est opus et merces Christi, eius gloria redundat in eam et Ecclesiae gloria et triumphus redundat in triumphum et gloriam Messiae. Quare in hac parte vaticinii nostri constanter unitam invenimus opus gloriamque Messiae et Sionis gloriam (cf. 52, 1; 54, 1).

Quo melius efferatur quantum futurum sit discrimen inter theocratiam veterem et instauratam, breviter ad quam conditionem culpa populi vetus illa sit adducta describitur v. 14 « *Et dixit Sion : dereliquit me Dominus et Dominus oblitus est mei* »! — felici prosopopoeia utitur vates; ita enim Sion mater conqueri debuit audito vaticinio illo Ezechiae regi dato 39, 6. 7; has debuit fundere querelas postquam audivit a Michaea : Sion quasi ager arabitur et Ierusalem quasi acervus lapidum erit (Mich. 3, 12). Si enim rex et populus in alienam regionem abducuntur (cf. Mich. 4, 9. 10), quid aliud nisi Dominum recessisse a sede sua dicendum erat, uti revera vidit Ezechiel gloriam Domini relinquentem templum et urbem incendio devotam (Ez. 11, 23). Et Dominus dici potest oblivisci ad animi moerorem declarandum, quando populum urbemque tot promissionum heredem in abiectione iacere permittit et curam quasi et memoriam promissionum suarum deposuisse videtur. Quoties enim in illa calamitate pii dolorem animi iis verbis effuderint : usquequo Domine oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam a me (Ps. 12, 1)? Querela eadem quam gravissime funditur Ps. 88, 39-52.

Et ad hanc querelam « quid Dominus? Incomparabilem in homines caritatem declarat et Sioni intelligibili misericordiae bona promittit et quod non posset aliquando sui figmenti oblivisci conatur persuadere » (*S. Cyr.*); v. 15 « *numquid oblivisci potest mulier infantem suum ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* »; — etiam maiori vi ac teneritudine quam 46, 3. 4 Dominus suum erga populum amorem affirmat comparatione deprompta ab illo amore tenerrimo, quo fortiorem ac constantiorem natura non efficere solet; « plus aliquid dicam : etsi mater oblita fuerit vincens mentis duritia iura naturae, ego tamen non obliviscar creaturam meam » (*S. Hier.*), siquidem, ut ait *S. Cyr.*, quae divina sunt affectum indulgentiamque maternam superant et supereminent. Est quippe Israel primogenitus ei quasi filius; cf. Ex. 4, 22. Deut. 32, 6. Ier. 31, 20. Explicat igitur quam longe absit, ut Israelis quem sibi in populum elegerat memoriam deponat (*Sanct.*). Atque quo incredibilem hunc amorem persuadeat, eius documentum subiungit, quo fit ut non possit Sionis oblivisci v. 16 « *ecce in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper* »! — « scito enim tu, quae te penitus arbitraris derelictam, in meis descriptam esse manibus atque depictam » (*S. Hier.*); quae enim manibus inscripta vel insculpta gerimus, ex oculis et memoria elabi non possunt. Comparatio deprompta esse videtur ex Ex. 13, 9. 16. Deut. 6, 8 et 11, 18, vix ex more, quo servi nomen heri, milites nomen ducis, idololatrae nomen idoli tutelaris

fronti vel brachio vel palmae et volae inscriptum vel inustum gerere apud gentes solebant, lege enim Iudaei a tali more arcebantur (cf. Lev. 19, 28; 21, 5). Neque de nomine, verum de imagine urbis est sermo; nam *muri tui* i. e. tota urbis structura, qualis scil. mente divina est concepta et qualis per decursum saeculorum varie pro varia temporum indole et ratione debet opere exprimi semper obversatur divino obtutui; aliis verbis : in oraculis et promissionibus datis magnifica illa et perpetua civitatis aedificatio iam exsistit (cf. 2, 2; 4, 5. 6. Ps. 86. Mich. 4, 2; 7, 11. Am. 9, 11. Ioel 3, 17) et Deus fidelissimus haec sua verba semper in conspectu suo habet. — Pia est verborum accommodatio ad Christum clavis confixum et clavorum vestigia in coelis retinentem, quibus quam alte sibi insculpserit foederis cum Ecclesia connubialis monumentum pateat (cf. *S. Cyr. Sanct. Lap. Men.*).

Quae igitur apud Deum firmiter decreta sunt et coram eius oculis iam quasi exsistunt certissime erunt. Quare Sioni fit consolatio v. 17 « *venerunt structores tui; destruentes te et dissipantes a te exibunt* »; — vel ex punctatione *mas. festinant filii tui;* sed בֹּנַיִךְ *aedificantes te* quod legisse videntur LXX, *S. Hier. Chald. Saadias* et ad sensum et ad membrum parallelum optime convenit. Quidquid est, filii quoque tamquam qui urbem exstruant considerandi sunt. Iam ad hoc opus properant (hebr.); recedunt hostes et adversarii. Prius membrum illustratur a v. 18 etc.; alterum de impotentia hostium explicatur v. 24 seq. Ad quantam vero amplitudinem et ornatum urbs sit perventura, praeclare et modo ad consolationem aptissimo describitur v. 18 « *leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi ea quasi sponsa* »; — modus loquendi multitudinem fere immensam indicat; veniunt undique (cf. v. 12) et numero magno atque pietate et rei divinae studio insignes et praeclara Dei benedictione illustres; erunt enim matri urbi in ornamentum. Urbs simul cogitatur ut sponsa, sponsa scil. quam Dominus, uti olim ex ignominia et abiectione assumpsit et omni ornatus genere ditavit (Ez. 16, 8-13), ita denuo ex humili conditione erigit rebusque pretiosis ac pulcherrimis exornat, ut digna appareat sponsa Domini. Hancque instaurationis magnificae promissionem iureiurando firmat Dominus; dicens *leva oculos.. vide* querelam refutat tristem illam (v. 14), quae oculis prae moerore demissis profertur, simulque laetum iubet induere vultum et oculis nitentibus radiantem. Additur iuramentum, quia moestos omni genere assertionis et affirmationis erigere solemus; quare etiam in subsequentibus non parcitur verbis, cum laeta et consolatoria de se verborum ambages non respuant.

Quaenam futura sint urbis ornamenta, ad consolationem altius animis infundendam pluribus exponitur v. 19 « *quia deserta tua et solitudines tuae et terra ruinae tuae nunc angusta erunt prae habitatoribus et longe fugabuntur qui absorbebant te* » ; — en, instauratio eo ambitu fiet, ut vetus regio nimis angusta censeatur; eodem modo apud Michaeam, quando maceriae iterum aedificantur, longe removebitur terminus (7, 11 hebr.); item apud Zachariam ei qui vult metiri Ierusalem et videre quanta sit eius latitudo et longitudo dicitur : absque muro habitabitur prae multitudine hominum (Zach. 2, 2-4). Talis ergo instauratio indicatur, qua iam omnes populi evadant cives Ierusalem ; et ea imagine delineat propheta quomodo veteri theocratiae arctis limitibus circumscriptae nova succedat amplissimis lineamentis descripta. Simili itaque modo, uti 2, 2 mons templi cernebatur crescere et elevari super omnes montes, ita h. l. urbs Ierusalem cernitur dilatari. Immo quemadmodum de Emmanuele dicitur : multiplicabitur eius imperium (9, 7), ita urbs quoque sedes theocratiae continuo incremento augescit, quia regnum Dei continuo debet propagari et omnes populi ad montem Domini fluere ; unde v. 20 « *adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuae : angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem* » ! — etsi regiones sioniticae olim desertae et vastatae instauratione facta cultae erunt et habitatae, tamen prae multitudine civium regni Dei spatia illa nondum sufficient ; hac igitur imagine incrementum regni Dei depingitur. Dicuntur *filii sterilitatis,* quia talis multitudo civium urbi modo desertae ac derelictae conceditur a Deo et quia non ipsa urbs sua quasi virtute illos genuit, verum singulari Dei interventu urbi desertae donantur (cf. 54, 1). Latet in hac appellatione, uti pro servo Domini, ita pro urbe quoque gloriam efflorescere ex conditione vili et abiecta. Haec instauratio eo nomine tamquam donum Dei gratuito concessum declaratur simili modo, sicut Isaac filius vocatur sterilis matris. Insuper vetus theocratia cum neque tam efficacia haberet subsidia et vehicula gratiae, sicut nova, sed egenis solum atque infirmis elementis esset instructa (Gal. 4, 9) neque ad ulteriorem praeter unam gentem iudaicam propagationem destinaretur, iuremerito sterilis appellatur ; si ergo cives novae theocratiae filii appellantur sterilitatis, denominatio ex eadem oritur rei consideratione et utriusque theocratiae inter se habitudine, qua v. g. S. Paulus gentiles baptizatos semen Abraham vocat vel oleastrum dicit insertum in olivam (Gal. 3, 29. Rom. 11, 17).

Donum praestari a Deo ultra omnes naturae vires et beneficium prorsus gratuitum etiam ipsa Sion admirabunda profitetur v. 21 « *et dices in corde tuo : quis mihi genuit istos? ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? ego destituta et sola,*

et isti ubi erant »? — Sion secum miratur suam comparans conditionem pristinam et instaurationis gratiam; quaestionibus repetitis et numerus filiorum ingens et admiratio Sionis de tali opere Domini optime delineatur et maxima matris Sionis exsultatio describitur. Agnoscit Sion conditionem pristinam et eam omni humilitate confitetur: conditionem scil. veteris theocratiae de se et indole sua sterilem et infirmam, dein iniquitatibus populi ita demum in deterius mutatam, ut populo in exsilium eiecto respublica theocratica a Deo videretur destructa et abiecta et Dominus ipse recessisse a sede sua et templo in Ierusalem; ita iuremerito Sion uxor erat a viro derelicta et id factum est, quod Dominus minatus est: « dies multos exspectabis me... quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio » etc. (Os. 3, 2. 4). Hisce quoque indoles instaurationis indicatur; fit ex conditione abiecta, fit sola gratia Dei, fit repente et potentissima Dei virtute, ita ut nova theocratia plenissima Dei virtute instructa mundo innotescat; *istos quis enutrivit?* accipit scil. nova theocratia a Deo viros omni virtutum maturitate perfectos. Eius admirationis speciem quandam cerni haud male monet *For.* in illo christianorum ex iudaismo stupore, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa sit (Act. 10, 45). Veteris theocratiae sterilitatem aperte ostendi bene adnotat *Osor.* ex eo quoque, quia « nec reipublicae status nec regis imperium nec legis disciplina tantum valuit, ut vel unam gentem angustissimis orbis terminis inclusam in officio contineret et a teneris annis imbutam in sanctitate legis enutriret ». Quare homo sub vetere lege constitutus iuremerito ab apostolo Paulo suspirare dicitur: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius (Rom. 7, 24)?

e) Sion a gentibus honorata et a Deo protecta 49, 22-26.

Humili illi confessioni et admirationi Sionis respondet Deus declarans instaurationem esse opus dexterae suae potentissimae v. 22 « *Haec dicit Dominus Deus: ecce levabo ad gentes manum meam et ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt* »; — en, Deus opus illud admiratione dignum perficit; mandat enim gentibus, ad quod sufficit dominatori אֲדֹנָי *manum levare* ut omnes promptissime obediant, et populis conspicuum reddit suum vexillum, iis scil. ostendit ad quem locum convenire oporteat, ubi sit regni sui centrum cui se adiungere oporteat; de locutionibus illis Isaiae familiaribus vide 5, 26; 11, 12; 13, 2; 18, 3. Gentes autem obsecutae vexillo Domini conspecto omni cura et studio filios et filias Sionis

afferunt et materna sollicitudine fovent (cf. Num. 11, 12. Ruth 4, 16); similiter 14, 1. 2; 60, 4; 66, 12. Etiam hic schema reditus prioris ex exsilio vati inservit ad secundam liberationem depingendam (cf. ad v. 9. 17), reditus enim ille prior Cyri favore concessus et gentili quoque liberalitate est adiutus; vide Esdr. 1, 2 seq. 6, 3 seq. etc. Sed qui sunt filii Sionis? Sunt qui solum Iudaeos gente intelligant (*Mar. Calm. Sein. Kn. Del.*); at id non cohaeret cum antecedentibus. Qui enim redeunt, numero ingenti constant; non considerantur ut Sionis filii secundum carnem; nam quomodo tunc Sion *apte* diceret : quis genuit mihi istos? *Iudaeos* enim a Iudaeis gigni nimis perspicuum est. Intelliguntur ergo ii ex gentibus quoque qui cives Sionis a Deo efficiuntur, quos Deus tamquam filios matri Sion dat. Hos utique Sion conspiciens miratur. Qui ad novam theocratiam accedunt a Deo vocati, filii sunt Sion, quia ibi natus est quisque (Ps. 87, 5 hebr.); vide 4, 3; 44, 5; et si subito ex gentibus filii efficiuntur, cur Sion cum admiratione quaerat, facillime intelligitur. Quare *Euseb. S. Hier. Cyr.* et plerique interpretes catholici, et etiam *Hahn, Naeg.* aliique iuremerito hic vocationem gentium ad Dei regnum agnoscunt exprimi; ad quaestionem enim v. 21 positam demonstrat Deus, ut *S. Cyr.* ait, non ex Israel solum sed ex gentium aggregatione hanc promissorum ipsi filiorum multitudinem exorituram; id quod optime convenit ad 2, 2 et 19, 23 et 25, 6 et 44, 5 et ad Os. 1, 10. Am. 9, 12.

Ita demum Sion mater populorum veneratione omnium colitur, quia in ea Deus thronum suum fixit ibique omnium bonorum copiam reposuit; quicumque enim regno Dei adscripti sunt, animis gratissimis beneficium hoc celebrabunt v. 23 « *et erunt reges nutritii tui et reginae nutrices tuae; vultu in terram demisso adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent; et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum* »; — uti nationes (v. 22), ita reges quoque regno Dei servient; eius propagationem iuvare et promovere tenentur, tunc revera sunt *nutritii* theocratiae. In ea autem regibus non competit dominium vel potestas; sed regno a Deo constituto summam debent venerationem et subiectionem et obedientiam; id quod ex more veterum describitur (cf. Mich. 7, 17) imagine ex subiectione hostium deprompta, quae eo aptius selecta videri potest, quia de gentium regibus agitur qui ut adversarii theocratiae et hostes Dei primo a Deo superari et devinci debent. Adorabunt Sion, ut *S. Hier.* notat, propter eum qui habitat in ea. Quomodo igitur « brachium saeculare » regnum Dei, Ecclesiam debeat iuvare et fovere et colere et venerari, hisce optime docetur; ad quae haec scribit *Euseb.* : « quod ad literam impletum ipsis oculis cernimus, dum ii qui supremum imperium obtinent Ecclesiam Dei nutritiorum

instar gestant et fovent, ac reginae gentium, id est, singularum gentium et provinciarum praefecti et magistratus superno regno ministrantes tamquam nutrices pauperibus Ecclesiae imperatorio nutu annonam suppeditant, quare nutrices eius vocantur, sive secundum Symmachum : lac praebentes... quis autem memoratos praefectos cernens in ecclesia Dei genu flectere ac in frontem humi procumbere non fateatur hanc prophetiam ad literam completam esse » ? sim. *S. Cyr.* ad h. l. — Tum Sion re experietur Deum esse Iahve, qui quod nomine designatur re complet et exprimit; quare nemo qui vitae praesidium in eo collocat unquam spe deiectus ignominiam subibit (*Osor.*); cf. Os. 2, 20.

Quo maior omnium animis infundatur fiducia, quaestio ponitur, ne qua difficultas taceri et supprimi videatur v. 24 « *numquid tolletur a forti praeda? aut quod captivum fuerit a robusto salvum esse poterit* » ? — quaestione innuitur instaurationem subsidiis humanis exspectari non posse. Nam quis auferet quod a regno potentissimo sit captum ? quis Babyloniis, tunc rerum dominis, obsistet ? et praedam ab ipsis captam eis eripiet? Etiam hic vides quomodo vates liberationem secundam ex typo et figura prioris delineet. Verum cum Babylon iam cap. 13 et 14 tamquam inimica Dei κατ'ἐξοχήν sit descripta, facile hoc quoque loco non solum regnum babylonicum intelligemus, sed in eo potius symbolum cernemus potestatis omnis Deo eiusque regno contrariae, quae contra Deum rebellis facta consilia Dei ubique impugnat. Quare suo iure *Men.* observat : « respicit captivitatem babylonicam typum captivitatis generis humani sub daemonis et peccati iugo » ; et *fortis* ille praeprimis esse iure asseritur qui princeps huius mundi Dei regnum semper et in omnibus oppugnat, sed qui per servum Domini eiicietur foras (cf. Matth. 12, 29. Marc. 3, 27. Luc. 11, 22). Quare *S. Ephr. Hier. Cyr. Euseb.* et plerique interpretum iure hic de diabolo potissimum sermonem iniici affirmant, cui genus humanum misera servitute captum et oppressum eripiendum sit.

Paucis quibusdam (cf. *Procop. Mald.*) placuit *fortem* intelligere Deum, cui nemo erepturus sit eos quos sibi elegerit et praedestinaverit, ita ut effato hoc ulterius confirmetur et illustretur v. 23 et in sequenti dicatur : esto, a forti aliquis tollat, tamen a me qui omnium sum fortissimus nemo tollet. Sed hoc ultimum arbitrarie suppletur neque is est sensus in v. 25. Quare alia explicatio omnino tenenda est. — Membrum posterius in textu hebr. difficile est intellectu; vertunt : num captivitas iusti liberabitur ? idque varie explicant : vel num captivitas quae ex iustis consistit liberabitur (*Del. Or. Rohl.*) vel num captivitas quae iusto est erepta liberabitur, vel num captivitas quam iustus cepit, liberabitur? Verum nulla explicatio potest admitti. Non prima ; nam quo pacto populus in exsilium abductus, poterit simpliciter vocari iustus ? ita neque ab Isaia vocatur

(cf. 42, 18 seq. 56, 10) neque si populus hanc usurparet vocem, eam propheta posset sine reprehensione relinquere, quia totus in eo est, ut accuset populi iniquitatem, extollat autem Dei beneficium gratuito praestitum (cf. 43, 22 seq.). Neque altera explicatio apta est; cum enim respublica sit a Chaldaeis disiecta et populus in exsilium adductus, iam non cernitur, ubi demum sit ille iustus, cui captivi illi sint ablati? Praeterea haec explicatio vix ipsis verbis consentire videtur. Neque tertia consistit; nam Chaldaei nullo pacto tamquam iusti describuntur, e contra tamquam iniusti oppressores, uti 47, 6, et statim hostes populi Dei — et tales sunt sine dubio qui populum captivum tenent — in v. 26 iis punientur poenis quibus « iusti » sane non castigarentur. Demum si legeris *iustum,* concinnitas sententiae et parallelismus perit. Cum igitur ex textu *mas.* sensus aptus commode elici nequeat, relinquendus est, uti in omni libro fit, si sensus non adest; idque hoc loco eo magis, quia testes antiqui sat graves, LXX, *Syrus, S. Hier.* illam lectionem omnino non agnoverunt, sed id legerunt quod sequenti versu qui non est nisi repetitio praecedentis, omnino legendum esse clarissime demonstratur, scil. non צדיק sed עריץ. Cur ita legendum sit, iam *Mald.* bene demonstrat: « quia sensus magis cohaeret; est enim repetitio verborum praecedentium; itaque quem prius fortem vocaverat, nunc robustum appellat; dein quia versu sequenti, ubi eadem sententia repetitur, non legitur iustus צדיק sed עריץ ». Et sane haec una ratio, quia in sequenti versu ad quaestionem positam *eodem modo* respondetur, debuit rem evincere, nisi quidam mordicus textui *mas.* [1] inhaererent et propterea caecutirent in re adeo perspicua. Textui *mas.* adhaerent *Hahn, Del. Naeg. Or. Rohl.*; lectionem alteram in *vulg.* bene servatam adoptant *Houbig. Ewald, Kn. Sein. Cheyne* aliique.

Quaestionem illam quae vel ad augendam fiduciam a Deo ponitur modo oratorio, vel ad modum dubitantium proponitur ab iis quibus promissa adeo magnifica pugnare videntur cum populi conditione et hostium potestate, Dominus *iisdem plane verbis* affirmat, qui modus est ad dubium tollendum prorsus efficax; v. 25 « *quia haec dicit Dominus: equidem et captivitas a forti tolletur et quod ablatum fuerit a robusto salvabitur; eos vero qui iudicaverunt te ego iudicabo et filios tuos ego salvabo* »; — fortior ergo forti praedam eripiet; declarat Deus nullam sibi obsistere posse potestatem. Immo non solum praeda hostibus eripietur, sed hostes quoque pro scelere debitas poenas luere debebunt; unde hebr. *cum litigatoribus tuis ego litigabo* (*For.*) i. e. severe in eos animadvertam tuam causam suscipiens. Quanto enim Deus in suos feratur amore, ex severitate quoque colligitur qua *litigabit* (hebr.) cum hostibus v. 26 « *et cibabo hostes tuos carnibus suis et quasi musto san-*

---

1. Illum etiam referunt *Aq. Sym. Theod.* — Alii צדיק explicant *bellatorem fortem* vel putant pro adverbio poni, ut is designetur qui immerito, iuste sit captus (iam *For.*). Vide ad quantas incitas redigantur!

guine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus fortis Iacob » ; — en iterum : non est pax impiis ! hostes internis inter se dissidiis et pugnis interibunt (cf. *For. Mald. Mar. Lap.*) ; proinde cum inter se ipsos interimant, victoria populo Dei erit sine labore acquirenda ; cf. Iud. 7, 22. 2 Par. 20, 23. Is. 9, 19 (ad quem locum nos *S. Thom.* remittit), Zach. 9, 15 ; 11, 9. Nonnulli censent occasionem eius effati quasi enasci ex discordiis inter Cyri hostes exortis (de quibus Xenoph. Cyrop. 4, 2, 6 ; 5, 1-3. *Kn.*) ; at id minime requiritur, hostes eo modo interire dicuntur, quo saepius iam in libris historicis eos interiisse caede mutua narratum est (1 Reg. 14, 20) ; dein sententia ex contextu plane est generalis neque limitibus bellorum a Cyro gestorum includi potest. Demum in hac exaltatione populi electi et in vindicta de hostibus capta et in interitu eorum omnes clare perspicient, Iahve esse salvatorem populi et in ea salute praeclare ostendi fortitudinem Dei ; « fecit potentiam in brachio suo ». Hac vero cognitione id impletur, quod Deus se velle dixerat : « in te me gloriosum exhibebo ». De nominibus Dei vide 1, 24 ; 10, 21 ; 41, 14 ; 43, 3. — Cum igitur non solum Sion aedificetur, sed etiam omnes gentes magno studio ad theocratiam properent, praeclare impletur quod servo Domini v. 6 dictum est, et querelae a Sion prolatae v. 14 consolatio est allata amplissima, uti eodem modo expostulationi quam servus Domini in v. 4 proposuit.

2. *Oratio secunda* 50, 1-11.

Arg. — Populus in miseram servitutem est venditus, non Domini vel iniustitia vel impotentia, sed sua ipsius iniquitate, neque enim Domino obedivit, cui soli praesto est omnis potestas salvandi (50, 1-3). Contra hanc populi pervicaciam et inobedientiam servus Domini suam profitetur obedientiam, submissionem, patientiam in summis contumeliis ferendis, in quibus certus de divino auxilio animo perstat fortissimo (50, 4-7). Securus de victoria et auxilio divino adversarios ad certamen provocat ; bene cum iis agetur, qui eius monitis obtemperant ; contumaces autem et refractarios Deus interitui et flammarum incendiis implicabit (50, 8-11).

In hac oratione praeprimis clare inter se opponuntur inobedientia populi et prompta obedientia servi Domini v. 2. 4 seq. Haec autem obedientia ita describitur, ut in eius exercitio servus Domini plagis et contumeliis sit expositus, quas animo subit invicto. In iis perferendis ei adest auxiliator Deus ; unde praeclaram de adversariis reportabit victo-

riam. Demum omnes admonentur, ut audiant vocem servi Domini, si velint esse beati ; contumaces manet interitus. Describitur itaque populus inobediens, servus Domini obediens et patiens. Hac inter se oppositione via sternitur ad satisfactionem vicariam declarandam, quam demum 53, 4 seq. explicite docet vates. Magna illa humiliatio et afflictio servi Domini 49, 4. 7 hic in v. 6 etiam accuratius describitur, neque minus, quo animo illam subeat v. 7 seq. (cf. 49, 4). Denique servum Domini obedientibus sibi salutem afferre, renitentibus vero ruinae fore indicatur duobus ultimis versibus, quibus ea quae 49, 9 et 26 dicta sunt illustrantur. Proinde in hac oratione haec duo continentur : inobedientia populi calamitas est allata, obedientia servi Domini salus communicatur. Quare perspicuum est hoc caput omnino inter se cohaerere. Perperam *Ges. Kn.* orationem hanc dissecant et v. 1-3 ad orationem antecedentem adnectunt; sed postquam instauratio est descripta, haec pars de populi culpa et castigatione non potest sequi. Verum cum propheta ad conditionem illam afflictam redeat (de qua 49, 14), potius novae orationis indicium habetur. Dein quae sequuntur de obedientia servi Domini aperte respiciunt inobedientiam populi, alterius scil. servi Domini (cf. 42, 19). Haec duo non possunt inter se separari, nisi ab iis qui omnem viam qua ad Messiam satisfacientem oratio perducat omni modo occlusam et obseptam esse desiderant.

a) Populi inobedientia 50, 1-3.

Uti iam monet *S. Hier.*, sermo redit ad conditionem illam, de qua Sion conquerebatur 49, 14 : dereliquit me Dominus ; cui querelae iam aliud subiungitur responsum v. 1 « *Haec dicit Dominus : quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram* » ! — hebr. *ubinam est libellus repudii matris vestrae... aut quis e creditoribus meis... propter scelera vestra dimissa est mater vestra.* Interrogatione posita vult ut praevaricatores redeant ad cor et considerent causam malorum. Quare Deus iis in memoriam revocat non a se foedus illud ac vinculum quo populum sibi elegerit in peculium de cunctis gentibus et in sponsam fuisse solutum. In quam rem duo illa commemorantur quibus vir mulierem et filias e domo eiicere poterat ; vel enim dedit ei libellum repudii (Deut. 24, 1) vel filios filiasque vendidit ad solvenda debita (Ex. 21, 7. 4 Reg. 4, 1. Neh. 5, 5. Matth. 18, 25). Utrumque affertur quia Sion tamquam mater et uxor, singuli autem tamquam eius matris filii considerantur. Domi-

nus autem Sionem non repudiavit; nam ubi est libellus repudii? non potest Sion eum exhibere. Neque Dominus eos vendidit; nam quis est creditor ille, cui Dominus solvendo impar eos vendidisset? Foedus theocraticum tamquam sacrum cum Deo connubium consideratur (cf. 1, 21. Os. 2, 5. 9. Ier. 2, 1. Ez. 16, 8 etc.), cui omnino consentaneum est, quod alias ipse Messias tamquam sponsus appellatur (Ps. 44. Ioan. 3, 29), Ecclesia autem vel theocratia nova tamquam eius sponsa (2 Cor. 11, 2. Eph. 5, 25. Apoc. 21, 2). Non Deus iniustitia vel tyrannide eos abiecit vel propter fastidium et inconstantiam foedus solvit, neque impotentia eius factum est, ut adversarii ei suum eriperent et abducerent populum, sed ipsi sua sponte et invito Deo foedus violarunt, recesserunt, et propter suas iniquitates hostium potestati traditi sunt; cf. 42, 19 seq. Ipsa ergo synagoga se ultro coniecit in conditionem mulieris dimissae recedens a Domino; nam, ut *S. Hier.* ait, « non potius quod verum est intelligitis, illam suo a me vitio recessisse? adulteram matrem ultra tenere non potui, sed volentem abire permisi »; ita ipse *S. Hier.* explicat illud quod vertit *dimisi,* id quod melius in hebr. apud *Syrum* et *Chald.* voce passiva exprimitur *dimissa est* vel eiecta est.

Iam quaenam sint illae iniquitates et scelera, summatim declaratur v. 2 « *quia veni et non erat vir; vocavi et non erat qui audiret* »! — *venit* Deus ad populum suum per legislationem, per prophetas, perpetuos legis interpretes et custodes; *vocavit,* docuit, admonuit, castigavit; sed populus non praesto erat, non occurrit Domino venienti, non se stitit ei, non obedivit vocanti. En eius inobedientia! Et tamen tota foederis cum Deo initi ratio et conditio continebatur in sponsione obedientiae. Nam ut foedus concluderetur, hanc Deus iis proposuit conditionem : « si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis », quibus auditis « respondit omnis populus simul : cuncta quae locutus est Dominus, faciemus » (Ex. 19, 5. 8); atque ad hanc foederis initi rationem primariam ac principalem refertur quod Deus dicit per Ieremiam : « hoc verbum praecepi eis (in die qua eduxi eos de terra Aegypti) dicens : audite vocem meam et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis » (Ier. 7, 23). Eadem exsilii causa apud Ieremiam frequenter indicatur : « et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo et mittens et non audierunt » (Ier. 7, 25; cf. 25, 4; 26, 5; 29, 19; 35, 15; 44, 4). Etiam efficacius in hebr. interrogatio ponitur : *cur veni ad vos et nemo aderat, (cur) vocavi et nemo respondit?* i. e. cur nemo praesto erat, cum venirem? cum vocarem, cur nemo respondit? Hoc interrogationis modo simul declaratur indignatio interrogantis. Non sine singulari significatione dici vide-

tur *veni*; venit enim Deus revera in servo Domini et per servum neque tum eum receperunt; quare plerique verba haec vel unice vel etiam ad Messiam referunt, qui venit ad populum suum et non est receptus, quare demum populus in exsilium romanum a Deo separatus est eiectus (cf. *S. Hier. Cyr. Pint. Sasb. Sanct. Lap. Men. Naeg.*). Atque revera *venire* de Deo ita dici absolute, inusitatum fere est; dicitur quidem Deus in somno venire (Gen. 20, 8), in nube vel in caligine nubis (Ex. 19, 9; 20, 20); dicitur venire et benedicere quando sacrificium offertur (Ex. 20, 24), vel venire ad Balaam eique imperare (Num. 22, 8) vel venire ad Samuel eumque vocare (1 Reg. 3, 10), vel venire de Sinai (Deut. 33, 2); saepius venire ad iudicium (Ps. 49, 3; 95, 13. 1 Par. 16, 32) vel Hab. 3, 3 venire ab austro, vel Zach. 14, 5 venire cum sanctis et sim. et apud ipsum Isaiam 3, 14 venire ad iudicium, 35, 4 : ipse veniet et salvabit nos, 40, 10 : in fortitudine veniet; sed vix adeo absolute : veni et nemo aderat; quare illa explicatio sua probabilitate non caret, praesertim cum statim in v. 4 servus Domini loquatur, per quem vere Deus venit ad populum. Illa ergo pristina inobedientia, qua Dominum per prophetas venientem et loquentem repudiarant praeludium erat et triste praesagium contumaciae qua Dominum ipsum venientem erant aspernaturi.

Et tamen quot et quantis rationibus tenebantur Domino aurem praebere docilem? quali enim et quanta virtute est praeditus? « *numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum; computrescent pisces sine aqua et morientur in siti;* v. 3 *induam coelos tenebris et saccum ponam operimentum eorum* »; — hebr. cum emphasi : *num brevior facta est manus mea quam ut redimat?* et potentiae suae documenta ex rebus olim gestis ita effert, ut ostendat se eadem etiamnum posse patrare et velle si opus fuerit : *in increpatione mea siccum reddo mare, flumina converto in campum;* cf. Ps. 105, 9 : increpuit mare rubrum et exsiccatum est; Ex. 7, 18 : pisces quoque qui sunt in fluvio morientur et computrescent aquae, vel Ps. 113, 5 : quid est tibi mare quod fugisti et tu Iordanis quia conversus es retrorsum? cf. Ps. 76, 17. In Aegypto quoque tenebris coelum induit; nam Ex. 10, 21 : tenebrae tam densae sint, ut palpari queant; cf. Ps. 104, 28. Sap. 17, 2 seq. Cum haec fierent in Aegypto populus voci Dei obsecutus cum amore vocantem secutus est in desertum (Ier. 2, 1 seq.); postea autem inobedientes effecti sunt, neque nunc cum similia miracula et beneficia iis promiserit (cf. 41, 18; 42, 15; 48, 21), immo maiora (43, 18), omnes dicto audientes erunt. — Proxime ista assertio divinae potentiae refertur ad

inobedientiam eorum exagitandam (*Sasb. Malv.*); sed cum adeo distincte potentia Dei efferatur ad redimendum et liberandum, hisce interrogationibus simul magis explicatur quod in v. 1 dictum est, eos traditos esse non propter Domini impotentiam, non infirmitatem Domini in culpa esse cur sint in miseria constituti; ita nexum concipiunt plerique (cf. *S. Hier. Cyr. Osor. Mald. Men. Lap. Tir. Gord. Calm.*) vel, ut *Sanct.* vult, ex parte Dei nihil obstare ad eorum liberationem, nisi adessent eorum scelera. Peccatis suis Dei potentiam quasi impotem reddunt. Ad liberationem concedendam verba refert *S. Ephr.*: « forte Babylonem per mare figurat et per flumina exercitus eius; deiectum Babylonis regnum exprimit per coelos atros », sim. *Barh.*

b) Servi Domini obedientia 50, 4-7.

Cum igitur, uti ex interrogationibus v. 2 propositis colligitur, inobedientia populi ipsam Dei potentiam quam maxime impediat quominus redimat et salvet, quis iam hoc expiabit et tollet impedimentum? Proponitur a vate servus Domini maximam exhibens obedientiam. Redemptio ex Aegypto facta est potentia Dei; ut vero redemptio ex captivitate iniquitatum fieri possit, opus est servo Domini mediatore et expiatore, qui sua obedientia et patientia viam quasi paret divinae potentiae ad redemptionem et salutem donandam. Neque enim significatione carere potest, quod postquam dictum est eos peccatis suis esse venditos, immo eorum obduratione Dei potentiam quasi ligari, iam servus Domini loquens inducitur, qui suam obedientiam et verbis et rebus maximam sollemni modo coram Domino profitetur et doctrina et exemplo suo alios docet, quibus si vocem eius audierint salus promittitur. Ergo obedientia servi Domini fit, ut inobedientia vincatur et obstaculum salutis removeatur.

Illi enim Dei expostulationi et querelae: veni, vocavi et nemo audivit, suam opponit et offert obedientiam promptissimam, qua simul alios se reddere ad obsequendum expeditos profitetur; iam quid hoc aliud est, nisi Deo irato expiationem et satisfactionem offerre, ut pro scelere illo iam servi promptum animum benigne suscipiat? Ait enim v. 4 « *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum* »; — hebr. *dedit mihi linguam discipulorum... ut audiam discipulorum instar;* servus Domini se discipulum Dei profitetur qui a Domino edoctus sit, et qua talis verbo suo et doctrina erigit, confortat, consolatur *lassum,* qui prae fatigatione et debilitate iam non am-

bulare valet in viis Domini vel qui desperatione et miseria prostratus iacet. Ad hoc se a Domino edoctum et institutum dicit; similiter uti supra descriptus est : requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et scientiae etc. (11, 2) et 49, 2 : posuit os meum quasi gladium acutum ; iam ergo clarius describitur qualis hostis sit gladio oris perimendus : lassus est sustentandus verbo ; ergo debilitas, infirmitas, impotentia, qua nihil fit in re divina, in opere Dei, haec sunt gladio perimenda. Quid est hoc aliud nisi : venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos ? Ad hoc ipse edocetur a Domino. Id cum gaudio quodam et verborum abundantia dicit : quovis mane excitat ei aurem ad audiendum discipulorum instar i. e. continuo divinam revelationem et manifestationem accipit, continuo a Deo magistro edocetur mentique eius divina illustratio continuo illabitur quam aure excitata i. e. attente, maximo studio et perspicientia suscipit. Quovis mane, ita continuo se Dei alloquium percipere, nemo prophetarum asserere potuit ; ad hos enim Deus minime singulis diebus loquebatur ; neque propheta dicere potuit *quovis mane ;* nam : si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illum (Num. 12, 6) ; hic ergo is loquitur qui supra omnes prophetas divinam accipit communicationem et qui hac quoque in re, sicut Moyses inter prophetas, unus eminet et ipsius etiam Moysis familiare cum Deo commercium superat. Ita is solum loqui potest, qui 11, 2 descriptus est tamquam plenitudinem spiritus Domini in se continuo habens, super quem *dedit* Dominus spiritum suum (42, 2), ut scil. continuo in eo maneat et agat, qui est a Deo assumptus et instructus, uti 49, 2 proponitur. Haec autem praeclare in Christo esse impleta liquet. Nam ipsi illius hostes fateri cogebantur neminem unquam suavi adeo dicendi vi valuisse (Ioan. 7. 46) ; nemo unquam maiore sapientia, vi, suavitate aut efficacia disseruit (*Calm.*), ergo linguam habuit divinitus edoctam. Ipse quoque se a Patre accipere cuncta constanter professus est : sicut dixit mihi Pater, sic loquor ; sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris ; mea doctrina non est mea etc. (cf. Ioan. 8, 26. 40 ; 12, 50 ; 14, 24 ; 15, 15 ; 7, 16 etc.).

Divinae illi querelae v. 2 ulterius respondet suam ostendens animi ad obediendum promptitudinem v. 5 « *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii* » ; — i. e. uti Deus me semper edocuit et suam voluntatem manifestavit, ita ego semper obedio, nunquam ne minimum quidem renuo vel haesito ; ergo munus a Deo iniunctum summa semper alacritate et studio exsequitur : quae placita sunt ei, facio semper ; sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (Ioan. 8, 21 ; 14, 31) ; sic Messias saepius se non suam facere profitetur

voluntatem sed eius qui se miserit Patris (cf. Ioan. 4, 34; 5, 30; 6, 38). Verbis ipsis et ista affirmatione obedientiae iam exprimitur gravia ac molesta ab eo esse postulata et obedientiae exercitium labore multo constitisse. Bene notat *S. Cyr.* Christum suam obedientiam Iudaeorum contumaciae opponere; « ego enim vocavi, inquit, nec erat audiens; desides facti sunt, ad obediendum tardi, renuerunt; ego autem non renui nec contradico ». Atque quantopere ex iis quae passus est didicerit obedientiam et quantam in obedientia praestanda exhibuerit patientiam, fortitudinem, constantiam, sequentibus declaratur v. 6 « *corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* »; — en, quomodo retrorsum non abierit! hebr. *dorsum meum dedi percutientibus... faciem meam non abscondi a contumeliis et sputo* (cf. *For. Mald. Mar. Malv.*); proprie *genas meas* (praebui) *depilantibus* i. e. avellentibus barbam indignissime; habet autem vellicatio barbae et dolorem et insignem contumeliam (*For. Sanct.*). Et verbum *dedi* abunde indicat quam non gravate ista pertulerit, cum obvium se dederit percutientibus neque genas vellentium inclementiae subduxerit (*Sanct. Lap.*). Contumeliam sputorum tamquam omnium maximam extremo loco posuit Iob: « abominantur me et longe fugiunt a me et faciem meam conspuere non verentur » (Iob 30, 10), solent enim ad sputa et putria oris eiectamenta despicatissimum eligere locum (*Sanct.*). LXX vertunt: dedi tergum meum ad verbera (μάστιγας) et genas meas ad alapas (ῥαπίσματα), faciem autem meam non averti ab ignominia sputorum. Cur autem servus Domini tam duram debuerit subire obedientiam, explicabitur accuratius 53, 4 et seq. et iam hic poterit aliqua ratione coniici, si consideraveris eius obedientiam opponi inobedientiae populi; debuit ergo huius inobedientiae poenas in se suscipere et pro ea expiare; populus qui etiam servus Domini vocatur sceleribus suis in conditionem abiectam et servilem est redactus; ut eam solvat alter servus Domini innocens sponte miseriam subit: ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis (Ps. 21, 7), sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam (Ps. 68, 8). Impletionem vide Matth. 26, 27; 27, 30. Marc. 14, 65. Luc. 18, 32; 22, 64. Ioan. 18, 22.

In hisce autem contumeliis scit sibi Dominum adesse opitulatorem, quare invicto animo eas subit certus illas demum in ornamenta gloriae fore v. 7 « *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam et scio quoniam non confundar* »; — quo igitur animo, qua mente et fiducia ea opprobria subeat, iam describit: scit Dominum sibi adesse potenti auxilio; ita

enim de servo Domini dictum est : sustentavi eum, apprehendi manum eius, servavi te (42, 1. 6), in umbra manus suae protexit me (49, 2) et iterum : in die salutis auxiliatus sum tui et servavi te (49, 8). Quare illa ad hunc qui nunc loquitur referri manifestum est. Ope divina fretus aggressoribus in isto conflictu conviciorum et vexationum constantiam opponit invictam, animum excelsum, qui in ipsa facie intrepida cernitur; *ideo posui faciem meam ut silicem* (hebr.); scil. induruit ad convicia et plagas tolerandas neque iis cedit; sed est « sicut saxum quod in medio mari verberant fluctus, non tamen labefactant aut commovent » (*Sanct.*). Animum similiter intrepidum atque constantem adfore Ieremiae et Ezechieli Deus promiserat (Ier. 1, 18. Ez. 3, 8). Contumeliis porro non succumbit, verum illis excelsior est quia mediis in ignominiis scit se confusione minime obrutum iri, verum se ex illis ad suam et operis sui gloriam evectum iri. Illud enim *non confundar* iam adest in promissis illis et opere ei assignato, adest in ipso nomine servi Domini, adest in sollemni Dei assertione : in te me gloriosum exhibebo; quare iam antea dixit postquam Deo suam causam commendavit : glorificatus sum in oculis Domini (49, 5 ; cf. 42, 1. 3. 6 ; 49, 2-10). Verba sunt scil. eius, qui dixit : Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te (Ioan. 17, 1), confidite, ego vici mundum (Ioan. 16, 33). Quemadmodum igitur per totam Isaiae prophetiam a capite primo et deinceps norma illa continuo effertur per castigationem, humiliationem, deiectionem pompae etc. esse demum perveniendum ad beatam prosperitatem et felicitatem, ita eandem viam nobis in servo Domini delineat, quam quidem iam 11, 1 indicat, cum dicat surculum ex radice Iesse vel ex trunco Iesse exoriturum et demum fore in signum populorum. Unde quoque magis magisque innuitur servum Domini in se suscipere personam populi, in eandem intrare humilem conditionem et eius in se suscipere perpessiones, ut populum simul secum ad gloriam et beatitatem evehat.

c) **Servi Domini victoria 50, 8-11.**

In hac abiectione et vilipensione (v. 6) servus Domini scit instare sibi gloriam et insignem victoriam ; unde v. 8 « *Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi ? stemus simul, quis est adversarius meus ? accedat ad me* » ! — causam enim suam Domino commisit qui eam se tuiturum esse et praeclaro successu donaturum promisit, uti 49, 4. 6 est expositum. Quare hoc loco servus Domini illum sibi adstare asserit, qui se declaraturus sit iustum sua sententia iudiciali coram omnibus profe-

renda; est igitur *iustificare* h. l. causam defensionis suscipere, ab adversariis vindicare, illum ad ius suum perducere, illum demonstrare victorem in conflictu hostili. Cum igitur talem Deum sibi adstare sciat opitulatorem et iuris vindicem, audacter adversarios ad certamen provocat : *quis mecum disceptabit* (hebr.)? consistamus simul i. e. in ius simul eamus! quis poterit me arguere vel accusare? age prodeat in medium! Similem Christi vocem audimus apud Ioan. : quis ex vobis arguet me de peccato (8, 46)? Provisum itaque dicit servus Domini a Deo auxiliatore, ne propter contumelias sibi illatas apud homines nomen suum infamia laboret, immo decretum ut omnibus gloriosum futurum sit et venerabile (*Sanct.*).

Quare certam fore victoriam declarat v. 9 « *ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos* » ! — fore impugnatores servi Domini innuit qui eius famae insidientur vel eum apud alios tamquam hominem scelestum traducere studeant. At conatus adversariorum fore vanos et irritos; hostes robore ac virtute destitui, impotes in se ipsis concidere, suis sceleribus corrodi et tabescere. Comparationes si cum aliis de Cyro (42, 2; 45, 1 seq.) componantur, non eam dicunt victoriam quae tumultu et strepitu bellico acquiratur, verum potius talem quae sensim, tacite habeatur; nam quod advenit vestimento aut ligno vitium a tinea, sensim inolescit tacitoque morsu quod prius solidum videbatur et integrum exeditur et putrescit, unde malum quod sensim et tacite serpit et conficit occulto damno, tineae nomine designatur (*Sanct.*). Certa quidem est victoria, at poterit diutius differri, poterit apud adversarios per aliquod tempus fallax quaedam felicitatis species cerni, uti tinea in occulto diu latens non statim destruit neque externam speciem aufert. Apta est sane comparatio, si qualiter Messias de suis adversariis soleat triumphos agere attente consideraveris. Etiam de iis valet quod de ipso annuntiatum est 42, 2. 3. Quid magis exiguum quam tinea? At quam magna Deus efficere solet re minima! Etiam hic valet : infirma Deus elegit, ut confundat fortia et ignobilia et contemptibilia et ea quae non sunt elegit, ut ea quae sunt destrueret (1 Cor. 1, 27. 28).

Talis ergo servus Dei in obedientia et patientia exhibetur talisque et populo contumaci opponitur et demum ad victoriam praeclaram a Deo perducetur; quare in eo demum spes salutis pro afflictis constituitur; unde eo exemplo proposito et tali doctrina in medium prolata ipse Deus qui sermonem exorsus est (v. 1) conclusionem et applicationem colligit, bene agi cum iis qui servum Domini audierint, pessime cum iis qui spreverint. Haec est enim victoria servi Domini, ut obsequentibus afferat salutem, contumacibus sit ruinae. Qui afflicti sunt, spem concipiant ex

servo Domini afflicto prius et postmodum exaltato; v. 10 « *quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris et non est lumen ei, speret in nomine Domini et innitatur super Deum suum* »! — paucos fore ipsa interrogationis forma indicari videtur, constans quippe est norma reliquias Israel salvas fore. Dein attendatur nexus inter timorem i. e. cultum et religionem Dei et obedientiam servo Domini praestandam; qui Deum colit, audiet et intelliget vocem servi eius; nam « qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum » (Ioan. 5, 23). Iam vero si servum Domini audierint suam enarrantem obedientiam, patientiam, fiduciam, victoriam, facile quoque ipsi quid in angustiis et miseriis sibi sit praestandum intelligent. In afflictione ergo reipublicae et piorum quae sine ulla spe ingruere et omnem melioris conditionis exspectationem penitus auferre videtur (si res humanitus spectatur), spem suam et firmam fiduciam collocent in Domino, in nomine *Iahve,* qui est foederis Deus immutabilis et constans; videant ergo et intelligant exemplum servi Domini et eosdem animi sensus induant, quibus ipse opprobriis atque infestationibus obrutus invicta spe Domino inhaesit : Dominus auxiliator meus, ideo non sum confusus v. 7. 8. Docet ergo propheta pro tempore calamitatis h. l. idem quod iam inculcavit 8, 17 seq. 26, 8. 9. Unde cernis quantopere in oraculis quoque de tempore futuro sui temporis necessitatibus consulat.

Quo alacrius vocem servi Domini audiant, sortem eorum adumbrat qui adversarii servi Domini esse malunt v. 11 « *ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri et in flammis quas succendistis; de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis* »! — adversarii servi Domini ignem accendunt, sese *malleolis* vel sagittis ardentibus *cingunt* (hebr.) i. e. magna persecutionum incendia contra eum suscitant, calumniis et sermonibus mendacibus, tamquam sagittis, eum confodere et interimere student; cf. 9, 18: succensa est quasi ignis impietas; Ps. 56, 5 : lingua eorum gladius acutus. Sed suis se machinationibus perdent; quare iubentur a Domino ire in lumen ignis sui, sese proripere et iniicere in suas sagittas ardentes; ergo incendia quae suscitarunt contra servum Domini in perniciem succendentium vertentur. Ita igitur Deus incendia in ipsos vertet et in flammis suis sepulti *cubabunt in doloribus* (hebr.). Nonne haec ad literam iam impleta sunt in inimicis servi Domini, in Iudaeis contumacibus? qualia incendia in Messiam et discipulos eius suscitarunt, donec ipsi illis incendiis in expugnatione urbis et templi interierint (cf. *S. Hier. Cyr. Theod.*)? Norma utique statuitur generalis; verum, ut *S. Hier.* dicit, pro qualitate peccati ignem unusquisque sibi succendet, sua iniquitate se perdet poena congrua; unde applicatio et impletio multiplex

per saeculorum cursum habetur pro varietate impugnationum. Neque enim est in alio aliquo salus; « quoniam *lucem* meam non suscepistis, hostium *ignem* suscipite, cui vos ipsi alimentum suppeditastis » (*Theod.*). Illud *cubabitis in doloribus* (hebr.) supplicia dicit contemptoribus Messiae parata; cf. 66, 24; et de tali incendio a scelestis excitato iam monuit vates 1, 31. « Non est pax impiis ». Habes h. l. inter v. 10 et 11 eandem oppositionem, quam in parte priore saepius deprehendimus; cf. 8, 21 et 9, 1; 26, 9 et 10; 30, 23 et 27; cap. 34 et 35.

Uti nostri rationalistae, ita iam Iudaei tempore *S. Hier.* versus 4 et seq. « a superioribus separantes volunt ad Isaiae referre personam, quod se dicat a Domino accepisse sermonem quomodo lassum errantemque populum sustentet et revocet ad salutem » ; ita *S. Hier.* refert; at simul eam de Isaia explanationem reiicit : « hoc illi dixerint, qui omni ratione conantur de Christo evertere prophetias et ad perversam intelligentiam prava interpretatione torquere ». De Isaia etiam *S. Thom.* exponit; ita v. g. scribit : « ponit seipsum in exemplum quantum ad obedientiam : ego non contradico; ponit etiam obediendi constantiam, quia obedientiam pro nullo periculo dimisit : corpus meum dedi.. i. e. exposui me ut talia paterer; vel forte ad literam haec passus est; sed in Christo plene impletum est ». Item ad v. 10 *audiens vocem servi eius* scribit : « Isaiae vel cuiuscumque alterius ». Ad hanc expositionem observat *Sasb.* ita *S. Thom.* exponere multum esse mirandum, cum christiani interpretes ad unum fere omnes totum hoc caput de Christo exponant. Etiam *Hugo* affertur a *Sanctio,* qui de Isaia explicet, licet magis de Christo putet sumi oportere. E sanctis Patribus unus *S. Chrysostomus* de Isaia exponit v. 2. 4 (cf. de mutat. nominum I; hom. 23 in Gen.; in Is. cp. 1; in 2 Cor. hom. 2; *M.* 51, 115; 53, 201; 56, 13; 61, 400). Ex interpretibus protestantibus alii de Isaia exponunt (multos recenset *Reinke* l. c. p. 161), alii de Messia (*Hahn, Del. Naeg. Or.*).

Priorem de Isaia expositionem admitti non posse iam diximus; nam quae v. 4 et seq. continentur partim iis innituntur quae alibi clare de Messia asseruntur, partim iis quae 42, 1 et 49, 2 seq. proponuntur praeformantur, ita ut illa solum magis explicentur et determinentur. Insuper nexus cum v. 1-3 et cum v. 10. 11 attendatur oportet. Is autem talis est, ut de Isaia cogitari nequeat. Quomodo enim ad expiandam populi inobedientiam obedientia Isaiae assumeretur? vel quomodo propter contumelias Isaiae illatas pernicies summa ac perdurans adversariis inferretur? Haec cum reliquo libro non cohaerent, haec nullibi innuuntur, indicantur nullibi. Verum explicatio de servo Domini, de Messia, et antecedentibus omnino cohaeret et ex iis enascitur et saepe iisdem plane verbis demonstratur atque subsequentibus quoque mira concinnitate respondet. Brevi, si servum Domini audieris loquentem, librum habes in singulis partibus apte nexum et cohaerentem, unum aliquem cernis qui iisdem lineamentis describitur et quo magis oratio progreditur eo magis clare et distincte depingitur; si autem de Isaia explicare tentaveris, omnia sunt hiulca; quae

iisdem verbis afferuntur, iam eadem esse negare cogeris; alias etiam 42, 1 seq. et 49, 1-9 debebis de Isaia explicare. Sed haec de Isaia nullo pacto posse intelligi, ex ipsis verbis iam demonstratum est, neque rationalistae in iis capp. Isaiam agnoscunt. Ergo plane arbitrarium est et contra regulas sanae interpretationis peccatur, si quis ea quae illis capp. innituntur et ex iis enascuntur tamen de Isaia accipi voluerit, i. e. si 50, 4 seq. de alio aliquo interpretetur, quam 42, 1 et 49, 1-9 interpretatus est. Dein id quoque adde, nihil prorsus notum esse Isaiae unquam eiusmodi contumelias, verbera, sputa esse illata; ad quam rem expende, quam accurate Ieremias de infestationibus sibi factis referat. Sed quid haec pars ex vita Isaiae *hoc loco* inserta et iis verbis relata, sibi velit, quando, qua occasione acciderit, nemo explicare potest. Num Isaias singulis diebus (v. 4) accepit revelationes? num Isaias verberibus percussus adhuc quaerit : quis sit adversarius? num insidiatores suos ad novum provocabit certamen? num Isaias tam audacter asserere potest se a nullo posse condemnari ? et tamen postmodum ab inimicis est interfectus! Quomodo ergo oraculum illud impletum est : omnes inimicos eius contritum iri et a tinea consumptum (v. 9)? quomodo in Isaia promissio illa v. 11 impleta est, eius adversarios suis se interempturos esse machinationibus? En, si haec Isaias de se dixit, potius falsus demonstratur propheta.

Locos ss. Patrum qui hoc caput de Christo exponunt recensitos invenies apud *Reinke* l. c. p. 157 etc. et apud *Kilber*, Analys. bibl. ed. *Tailhan* I p. 381.

3. *Oratio tertia* 51, 1-52, 12.

Arg. — Admonentur pii, ut ad initium foederis attendant : ex uno Abraham ingentem multitudinem eduxit Deus, ita ex ruinis Sion dabit instaurationem gloriosam, qua salus diffundatur in universum orbem; haec salus prope est et indeficiens, orbem praesentem duratione superans et excelsior impugnatione hostili (51, 1-8). Hanc salutem ut efficiat, vates ardenter implorat divinam potentiam olim in liberando populo adeo insignem; certus de exauditione iam mente cernit in triumpho et exsultatione reduces ad Sion. Cum igitur Deus ita populi sui causam tuendam suscipiat, cur tandem pusillanimes hominum furorem et impugnationem timent quasi obliti Dei potentissimi? Veniet liberator Dominus, obstacula removebit, promissa sua ad regnum aeternum novum fundandum in populo suo adimplebit (51, 9-16). Quare Ierusalem iam iubetur surgere ex conditione humili et abiecta : utique experta est furorem et vindictam Domini, plaga prostrata est quam nemo hominum sanare potest, filii eius occisi vel captivi abducti sunt; at Dominus iram suam auferet ab ea et transferet in inimicos (51, 17-23). Unde Ierusalem maxima laetitiae significatione exsultare iubetur, quia Dominus succur-

ret populo suo ab alienis oppresso et propter gloriam suam salvator aderit (52, 1-6). Iam laetus iste nuntius urbi affertur; iuremerito omnes ordines iubilant de potentia Domini coram omnibus manifestata et de salute orbi universo oblata. Verum ut huius salutis participes efficiantur, Dominum sequantur oportet ducem qui eis reditum ex exsilio concedet honorificum (52, 7-12).

In oratione praecedente priorem partem capitis 49 de servo Domini vates magis explicuit; iam in hac oratione alteram illius partem de Sion prosequitur eiusque exaltationem et gloriam post humiliationem praeclare describit, ita tamen ut clare efferat salutem a Domino concedendam minime arctis veteris theocratiae limitibus includi, verum ad orbem pertinere universum. Deinde quod 50, 10 instituerat, hac oratione pluribus exponit. Piis enim ea suggerit quae in tribulationibus ingruentibus solatio iis esse debent et quibus spem ac fiduciam suam fulciant atque sustentent; quare admonentur de initio foederis in familia patriarchae conspicuo, de Dei fidelis potentia, de Deo rege qui populum suum non derelinquere potest (51, 2. 13; 52, 4 seq.). Dein ipsa praeclara salutis et gloriae descriptione piorum animos consolari et ad excelsos de Deo sensus elevare studet. Demum conditionem indicat necessariam quam implere debeant, ut ad salutem illam et gloriam sese praeparent accipiendam : debent scil. sequi Dominum ab exsilio ad reditum invitantem. Quod propheta in consideratione illa 42, 13-44, 23 secutus est, partim etiam hoc loco exprimit, liberationem et salutem ita describens, ut eius initia et perfectionem summam non distinguat vel liberationem messianicam simul cum priore illa praeparatoria exhibeat.

a) Instauratio et salus sempiterna 51, 1-8.

Vates quod 50, 10 inceperat, iam latius prosequitur pios edocens de norma Dei eisque ea suggerens quibus in reipublicae conditione prostrata fidem et spem egregie sustentent. Quare Deum eos alloquentem facit v. 1 « *Audite me qui sequimini quod iustum est et quaeritis Dominum : attendite ad petram unde excisi estis et ad cavernam laci de qua praecisi estis,* v. 2 *attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram quae peperit vos, quia unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum* »! — quod in parte priore saepius observavimus, etiam hic occurrit, ipsum vatem locutionem metaphoricam subiuncta propria explanare (cf. 1, 5 seq. 1, 22. 23; 5, 18. 24; 9, 14. 15 etc.). Iubet eos mente ascendere ad Abraham *patrem,* ut quia filii indolem patris in se referre debent, fidem Abraham imitentur, qui accepta promissione fide et spe firmus cum Deo ambulavit, quamvis diu exspectare deberet, donec debile quoddam cerneret initium promissionis sibi factae. Ut filii

heredes sunt illarum promissionum, quarum prima pignora et documenta in patre impleta cernunt. Quare si normam Dei eiusque agendi rationem plane perspicere desiderant Deumque vera pietate colere expetunt, rem in Abraham gestam mente pertractent. Ipsa enim populi electi origo eos edocere debet de peculiari Dei providentia, de voluntate efficaci salutis largiendae, de Dei potentia. Sicut enim ex una lapicidina innumeri lapides, sic ex uno Abraham innumerabiles populi prodierunt (*For.*); ceterum metaphoram petrae seu lapicidinae accommodatam esse ad *filii* nomen hebr. (בֵּן a בָּנָה *aedificare*) quasi quoddam aedificium sit ex patris satu et matris conceptu fabricatum, aut quasi lapis in aedificio aut structura familiae, iam *Sanct.* advertit et similia recentiores quoque monent; alii in *petra* corpus Abraham iam emortuum connotari volunt (cf. *S. Ephr. Cyr. Thom. Pint. Malv. Lap.*) vel fidem eius firmissimam (*Theod. Hahn*). Simili modo vocatur Sara *cavum foveae,* ex qua lapides ad aedificandam domum Israel praecisi sunt; idque Hebraeis eo propius adiacet, quia *domum aedificare* iis idem est ac liberos suscipere (cf. Ex. 1, 21. Deut. 25, 9. Ruth 4, 11; *Sanct.*); ceterum in מַקֶּבֶת alludi ad נְקֵבָה veteres et recentiores monent (*Malv. Sanct. Del. Naeg.*). Deus Abraham *vocavit* i. e. prae ceteris elegit et cum unus esset ei promissionem dedit et adimplevit de semine innumerabili; *benedicere*, *multiplicare* voces sunt sollemnes in divinis pollicitationibus Abraham concessis; cf. Gen. 12, 2. 3; 13, 15. 16; 18, 18; 22, 17 etc. Uti ergo partem cernunt iam impletam eius benedictionis et multiplicationis, ita firmiter sibi persuadeant totam promissionem quae tandem in benedictione messianica absolvitur, iri completum; in Abraham enim et eius semine omnes gentes iri benedictum promittebatur et oraculum illud in Messia demum compleri iam declaratur Ps. 71, 17, cum ibi de Messia dicatur: et benedicentur in ipso omnes tribus terrae.

Quemadmodum Deus de uno homine tanta populorum millia procreavit et Abraham e conditione solitudinis cuiusdam ad patrem evexit multarum gentium, ita vastitatem et ruinas Sion instaurabit similiter; (cf. *S. Ephr.*) quare v. 3 « *consolabitur ergo Dominus Sion et consolabitur omnes ruinas eius et ponet desertum eius quasi delicias et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis* »; — hebr. *quia consolatur,* uti modo dictum est *quia unum vocavi eum;* ita nexus rerum internus ipsa forma exprimitur et duo illa efferuntur concinne, ad quae attendere oporteat; bene quoque dicitur in hebr. *et ponit desertum eius quasi Eden,* LXX ὡς παράδεισον sicut *paradisum,* cui in membro parallelo *hortus Domini* respondet; qua voce summa quaedam amoenitas et pax declaratur, eo

aptius hoc loco, quia Messias damnum illud ab Adam illatum reparaturus est et desertum peccato inductum in paradisum gratiae commutaturus. Promittit itaque Sionis instaurationem (ita enim *ruinas* consolabitur) eamque multo excellentiorem conditione pristina, talem scil. qua quasi paradisi amoenitas et summa Dei cum homine familiaritas adumbratur. Est itaque restitutio status prioris peccato perditi. Hanc restitutionem comitatur et consequitur in hominibus beata laetitia et summa gratiarum actionis laudisque exhibitio. Unde optime declaratur, quomodo beatitudo creaturae ultimatim tendat et referatur ad Dei laudem et gloriam, in qua exaltanda totus demum finis creationis absolvitur. De aedificatione urbis vide 49, 17. 19. Ad declarandum autem quo sensu aedificatio sit capienda, praeterea vide quae ad Zach. 2, 2 et 10, 4-7 adnotavi. In Sionis instauratione describitur theocratiae instauratio et indoles; est quippe Sion et Ierusalem civitas Dei, centrum regni Dei in vetere foedere constitutum; quare facile in eius restitutione ipsum regnum Dei instauratum depingi potest. Notari oportet, quantopere hoc quoque loco indoles spiritualis instaurationis designetur; id bene observat *S. Hier.* : « et hoc notandum quod in Sion quae comparatur paradiso Dei aliud esse non debeat nisi gaudium et laetitia, confessio et vox laudis, ut quod in coelis facturi sunt sancti cum angelis Dei, hoc etiam in terra iugi in Domini laude meditentur ».

Iam unde ista consolatio et laetitia proventura sit, explicatur et ideo etiam quomodo aedificatio illa et instauratio sit efficienda, proponitur v. 4 « *attendite ad me popule meus et tribus mea me audite : quia lex a me exiet et iudicium meum in lucem populorum requiescet* » ; — hebr. potius *et ius meum collocabo in lucem populorum;* ponit hisce verbis, ut ait *S. Thom.,* exsecutionis modum ad antecedentia, vel ut *For.* adnotat, aliis verbis explicat, quod dixerat : scitis unde consolatio ventura sit, unde gaudium et laetitia. Cum emphasi populum iudaicum et tribum illam suam electam compellat, ut *ei* annuntiet, legem, doctrinam divinam et normam iusti et veri positum iri in lucem omnium; proinde cum instauratione illa id iri coniunctum, ut quod eousque proprium fuerit stirpi israeliticae i. e. legem habere divinitus datam et normam veri et iusti a Deo positam, id iam cedat in utilitatem et illustrationem populorum ; aliis verbis salutem offerri omnibus et instaurationem theocratiae fieri ita, ut ad omnes populos regnum Dei extendatur. Quare id propheta iam speciali ratione tribui suae annuntiat, quod postmodum adeo erat offensioni Iudaeis, etiam in gentes effundi gratiam Spiritus sancti sine lege mosaica intermedia. Effertur *lex,* doctrina, ius divinum, ut indoles instaurationis describatur (cf. 49, 2. 6; 50, 4) quae ita quoque clare a liberatione per Cyrum efficienda distinguitur.

Huius salutis certitudinem affirmat v. 5 « *prope est iustus meus, egressus est salvator meus et brachia mea populos iudicabunt; me insulae exspectabunt et brachium meum sustinebunt* »; — hebr. *prope est iustitia mea, egressa est salus mea .... et brachium meum praestolantur;* in hebr. ponuntur abstracta, pro quibus *S. Hier.* substituit *iustum, salvatorem,* quia iste status iustitiae et salutis, uti iam ex 42, 3. 4 patet, demum per servum Domini est efficiendus. At melius tamen retinentur cum textu hebr. et LXX abstracta. *Prope* est iustitia, ad solamen dicitur afflictorum et revera in unaquaque calamitate piis prope adest, quippe qui fide et spe suffulti salutem a Deo consequi possunt et consolationem. Iam egressa est salus, quatenus verbum de salute per prophetiam iam est annuntiatum et haec salus pro indole temporis iam ab unoquoque Iudaeo possit possideri, quippe qui iam possideat legem illam Dei et normam veri et iusti, quam Deus allatum iri dicit populis. Opus Dei prope est eorum cognitioni; ergo prope est sensu eodem, quo 48, 7 res oraculo patefactae dicuntur creatae; idque eo magis quia divina dispositione res israeliticae ad illud opus divinum instituuntur ac diriguntur. Huic via paratur apud populos iudicio; de qua re vide quae vates a cap. 13 et deinceps proponit. Haec iudicia tamquam documenta insignia divinae potentiae designantur, unde *brachia mea populos iudicabunt;* eorum speciem quandam et praeludium habes in iudicio quod Cyrus exercebit (cf. 41, 5. 25; 45, 1 seq.). Ceterum frequens est apud prophetas efferre iudicium quo regnum Dei inter gentes constituatur vel ei via paretur (cf. Mich. 7, 13. Agg. 2, 7. Zach. 1, 21 etc.). Illa autem iudicia quibus hominum pompa et fastus deiicitur (cf. 2, 12 seq.) homines ad Deum adducunt; quare subditur *me insulae exspectabunt;* cf. 42, 4; *brachium* potentiam Dei dicit h. l. quatenus illam miserando et salvando maxime manifestat.

Atque iuremerito huic saluti omnia magno quodam desiderio obviam feruntur quia est salus sempiterna; unde si animis cadere volunt et propter ruinas praesentes nimium affligi, hac cogitatione ut se arment ac confortent, propheta monet simul aliam afferens rationem, cur ad Dominus oporteat attendere v. 6 « *levate in coelum oculos vestros et videte sub terra deorsum, quia coeli sicut fumus liquescent et terra sicut vestimentum atteretur et habitatores eius sicut haec interibunt, salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea non deficiet* »! — coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt! Locus insignis et ad animos consolatione erigendos factus. Ut oculos attollant in coelum, monet, et firmamentum considerent et stellarum agmina, quae illustria sunt et firma et stabilita et mira constantia per annorum millia iam consistunt; dein terrae firmitatem et inconcussam stabilitatem per-

pendere iubentur : verum etsi haec omnia dissolvantur et cadant et cum iis habitatores orbis, salus tamen Domini in sempiternum consistet et status ille rectus quem Deus vult et efficit nunquam tabescet, nunquam concidet; ergo etiam illi qui ea salute et iustitia donantur beatitate fruentur in perpetuas aeternitates. Haec scil. ut *For.* notat, ad cumulum consolationis et gaudii faciunt; non brevi tempore durabit hoc imperium, sed multo magis stabile est quam coelum et terra. Divinae ergo promissionis firmitas quam maxime declaratur (*S. Thom.*). Iussi sunt antea ex coeli aspectu divinam discere potentiam (40, 26); iam ex eodem aspectu discant promissiones Dei firmitate et soliditate omnia quae creata sunt longissime superare. Coelum et terram iri immutatum, dissolutum, Isaias iam in priore parte indicaverat (cf. 13, 10. 13; 24, 1 seq.); cf. Ioel 2, 31; 3, 15. Verba ita conformata sunt, ut ex aliis s. Scripturae locis inferri debeat comparationem institui ex illa coeli terraeque dissolutione et transmutatione quae in consummatione saeculorum aderit (cf. Matth. 24, 29. Marc. 13, 24. Luc. 21, 13 et praesertim 2 Petr. 3, 10). Non quidem coeli et terra destruentur, verum praesens figura cessabit; nam « coeli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur » (2 Petr. 3, 10); sed transibunt, non abolitione, sed immutatione, transibunt qualitate, forma et innovatione (*Sasb. Pin. Lap.*), nam « novos coelos et novam terram exspectamus » (2 Petr. 3, 13; cf. Rom. 8, 21). Unde vi comparationis salus Domini demonstratur immutabilis talisque quae non vetere quadam et imperfecta conditione cum dolore et angustia destructa (uti fit in coelis terraque) ad perfectionem demum traducenda sit sed quae in se iam contineat et includat cumulum omnium bonorum possessione perfectum.

Hebr. כְּמוֹ־כֵן LXX vertunt ὥσπερ ταῦτα, *S. Hier.* sicut haec, *Syrus* habitatores eius similiter erunt; *Chald.* etiam ipsi similiter morientur. Proinde ex veterum acceptione *similiter, pariter* erit interpretandum; id quod et ad sensum et ad verbum ipsum omnino convenit. Recentiores autem plerumque huic acceptioni non acquiescunt, quia censent *habitatores eius pariter morientur* dici vel languide, si ad sententiam generalem de coeli terraeque interitu referatur, vel inepte, si comparationem a veste attrita depromptam spectet. Verum haud scio an melius sit quod ipsi proponunt. Volunt enim multi vertere : *morientur sicut culex*, dicentes כֵּן esse nomen singulare a plurali כִּנִּים Ex. 8, 12 (cf. *Hitz. Ewald, Umbreit, Kn. Sein. Stier, Hahn, Or. Net. Rohl.*); alii id negant et referunt formam ad כַּנָּה; ita *Fürst, Del. Naeg.* — Iam apud *Malv.* legitur explicatio, quam *Del.* quoque sequitur : « *velut sic morientur*, nimirum facto talitro aut crepitu digitis vel demonstrata digito re aliqua levi et nullius momenti »; verum talem gestum supplere, pro qua re *Del.* morem affert comicorum latinorum, mihi videtur esse multo magis languidum et in oratione adeo sollemni ac gravi magis ineptum, ne dicam indecorum, quam dicere *pariter morientur*.

Illud de coelis et terra *Sanct.* censet solum hypothetica quadam seu conditionali comparatione dici, uti iam *Barh.* quoque rem concipit explicans verba : « si volo, illa facio transire » ; sententiam ita declarat *Sanct.* : « qualis ex aliquorum sententia est illa Matth. 24 : coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt, hoc sensu : si alterum horum defecturum sit, deficient prius coelum et terra, quam meis verbis deficiat fides. Ita explicat hunc locum Iansenius ex sententia Euthymii et pene probat Christus Luc. 16 : facilius est coelum et terram praeterire quam a lege unum iota cadere. Cuius loci ea videtur esse sententia, ut optime ibi Iansenius, non quod coeli et terra praeteritura sunt aliquando, sed illud citius eventurum quod nemo futurum putat, quam contingat, ut inane excidat divinum verbum ». Sed inspectis verbis et modo loquendi absoluto, dein in considerationem adhibitis iis, quae alibi de consummatione saeculorum docemur, neque opus est neque commode fieri posse videtur, ut ad locutionem hypotheticam, quae nulla ratione indicatur, confugiamus.

Cum igitur salus Domini tanta polleat firmitate et perpetuitate, quid iam iis timendum erit qui ea salute donantur? v. 7 « *audite me qui scitis iustum, populus meus lex mea in corde eorum, nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis* » ! — qui salutis illius stabilis participes futuri sint, declaratur ; sunt scil. qui re et experientia norunt id quod rectum, iustum, Deoque placitum est, qui legem Domini non in ore tantum sed in animo gerunt, ergo ex animo illam amplectuntur et proinde opere exsequuntur cum dilectione. Uti salus res creatas soliditate et stabilitate superat, ita quoque longe superior est mala hominum voluntate et perversis eorum studiis et conatibus. Eo quod pii admonentur *nolite timere,* impugnationes adfore ostenditur, quae et rebus gestis iniuriisque illatis opere et verbis consistent. Quibus infestationibus ut fortiter obviam eant, eadem illis proponitur victoriae certitudo, qua servus Domini animum calamitatibus superiorem demonstravit (50, 9) ; v. 8 « *sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea ; salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea in generationes generationum* » ; — eadem igitur cogitatione ut se arment et confortent qua servus Domini, admonentur. Ergo similis eis cum ipso sors, verum etiam victoria similis praedicitur, dummodo similes quoque sensus animis foveant. Sensus ergo servi Domini induant ! Tunc erit victoria et salus perpetua. Proinde sicut servus Domini per tribulationes tendit ad gloriam, ita pii quoque eadem via incedere debent. Sed animos assumant ex doctrina servi Domini ! Quid enim sunt omnes impugnationes hominum ? Quam facile a Domino diluuntur (*S. Cyr.*) ! quanta enim est eorum fragilitas comparatione descripta, quanta vero salutis firmitas (*S. Thom.*) ! Repetitione sententiae ex v. 6 aeque graviter quam sollemniter affirmatio sancitur. — Elucet ex v. 4. 5 seq. instaurationem urbis ita intelligendam esse, ut ex ea lex et iustitia Domini et salus diffundatur ad orbem universum. Unde

h. l. simul clare enuntiatur, ad quid instauratio urbis ex Dei consilio tendat et quid urbem instauratam consequi et subsequi debeat. Quare iterum deprehendimus, quam intimo nexu cum instauratione urbis diffusio salutis vel nova illa theocratia universalis et spiritualis a propheta coniuncta cernatur. Idque iure; nam « ex Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem » 2, 3.

b) Desiderium et fiducia inde enascitur 51, 9-16.

Salutis perennitate et sublimitate exposita et mente pertractata quid aliud sua sponte in animo prophetae enasci debuit, nisi vehementissimum quoddam eius desiderium? Quare, uti 45, 8, ita nunc similem in modum Deum implorat, ut ad eam salutem efficiendam potentiam suam exserat v. 9 « *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini; consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum! numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem* »? — ardens quaedam cupiditas quae morae sit impatiens, exprimitur; potentia Domini quiescere videtur, dum populum suum in humili conditione diutius manere permittit; unde *evigila* (hebr.); et salutem quae nunc efficienda est, fore praeclaram, unde opus esse magna quadam divinae potentiae ostensione, declaratur quia brachium Domini iubetur induere robur, ergo maxima quadam vi se instruere. Deum admonet magnalium quae olim pro populo patravit; ne ergo permittat illa frustra esse facta; ne ergo a se ipso deficiat et se quasi inconstantem praebeat talem populum nunc diutius derelinquens. Opus semel tanta vi inceptum ad exitum perducat! Eos quos tanta potentiae ostensione honoravit ne diutius in miseria tabescere sinat! Ad quid enim tam magna miracula? In memoriam revocat magnalia contra Aegyptios patrata; רַהַב cf. 30, 7 designat Aegyptum eiusque denotat ferociam et fastum; de תַּנִּין vide 27, 1; Aegyptus Nili aquis fecunda potest tamquam anguis aquatica considerari, vel tamquam crocodilus, fera bestia, quam Dominus perfodit, cum primogenitos vastator angelus interimeret et Deus exercitum Aegyptiorum undis involveret et interficeret. Ceterum regna Deo inimica iis declarari nominibus, vide Ps. 86, 4; 88, 11. Ez. 29, 3. Liberatio babylonica et messianica saepius cum illa ex Aegypto confertur (cf. 11, 15. 16; 43, 17. Mich. 7, 15). Hac obsecratione propheta pios docet, quam ardenti desiderio manifestationem divinae potentiae debeant expostulare; docet enim modum orandi Deumque obsecrandi et beneficia iam praestita adhibendi, ut Deus ad opus perficiendum urgeatur. Nam qui olim tantum studium et amorem populi exhibuit, quomodo nunc tardabit?

Quare vates multus est in antiquo illo studio et amore Dei describendo v. 10 « *numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati* »? — en, ut populum educeres e servitute, tanta perfecisti! Num ergo labor erit cassus? denuo scil. servitute et captivitate populus tenetur (cf. 42, 22). Notanda est verborum vis *mare siccare, aquas abyssi vehementis, profunda maris* convertit in viam; et omnia haec perfecit, ut populus vindicaretur in libertatem, ut secure pergeret ad terram Dei! Sed haec omnia iam iacent prostrata; an ergo alius beneficia illa praestitit, quia iam non de illis curare videris! Hic sane discere possumus, quanta eloquentia vates ardens suum desiderium Deo proponat. Sed illa magnalia pignus sunt et documentum et exemplum futurorum, ut fide inconcussa opus Dei gloriosum iri perfectum credant (cf. *S. Cyr.*). Quare vates ab ardenti postulatione ad certam laetamque praedictionem transit iam cernens mente impletum quod a Deo efflagitaverat v. 11 « *et nunc qui redempti sunt a Domino revertentur et venient in Sion laudantes et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus* »; — idem versus legitur 35, 10 et salutem a Domino dandam tamquam statum omnium bonorum possessione absolutum et perfectum describit, unde voces iubilationis et gaudii cumulantur. In hac pompa festiva et beatitate perenni cernitur gloria operis servi Domini; ita declaratur, quid demum sibi velit illud: ut diceres his qui vincti sunt: exite (49, 9) et: scio quoniam non confundar (50, 7); hac igitur celebritate absolvitur instauratio Sionis (cf. 49, 8; 51, 3) et perspicue docetur, ad quale pondus gloriae ex huius vitae miseriis et tribulationibus demum perveniendum sit. Unde hoc versu piis qui simul cum servo Domini afflictionibus tentantur (cf. v. 7; 50, 6. 10) maxima offertur consolatio.

Cum versus idem legatur 35, 10, non defuerunt qui eum hoc loco perperam esse adscriptum opinati sint (*Hitz. Ewald, Kn.*). At etiam aliis in locis quandoque apud Isaiam quaedam verbatim repetuntur neque solum versus quidam qui in fine stropharum recurrunt, sed alia quoque; cf. 9, 13 et 19, 15; 11, 6 et 65, 25. Ergo repetitio haec per se non potest esse offensioni. Solum igitur inquirendum erit, utrum verba apte cohaereant cum antecedentibus et sequentibus necne. Apte consequi ad antecedentia negari nequit. Liberatio ex Aegypto iam aliquoties inservivit ad liberationem babylonicam et messianicam delineandam; cf. 43, 2. 16. 17; 44, 27; 48, 21; 50, 2; 63, 9; proinde transitus ab una ad alteram est facilis et obvius, praesertim cum de liberatione illa altera eaque sublimiore iam aliunde constet. Apte quoque ad ardens illud desiderium v. 9. 10 expressum adiungitur; nam cum iam de illa sermo fuerit,

facillime liberationis desiderium precatione facta perficitur certissima illa spe vel potius natura sua ad spem hanc concipiendam et enuntiandam fertur. Dein non est omittendum, hoc v. 11 bene absolvi salutis sempiternae descriptionem. Demum spe illa ostensa et animis infusa quam maxime efficaciter pusillanimitas retunditur. Hanc autem in subsequentibus Deus reprehendit, quae reprehensio magis animos tangit et salutari pudore offundit, si praeclarum illud fastigium et culmen gloriae, ad quod Deus est adducturus, antea fuerit exhibitum. Unde in v. 11 optima pariter adest praeparatio ad sequentia, qua animi ita afficiuntur et disponuntur, ut verba ea acrioribus quasi stimulis infigantur. Cur ergo versum removere qui adeo apte ex antecedentibus sequitur eaque absolvit et adeo *psychologice* animos disponit ut verba subsequentia fructum afferant et effectum sortiantur quam plenissimum? Adde, quod testes antiqui LXX, *Syrus, Chald.* versum praebent; etiam eum adfuisse apud *Aq. Sym. Theod.* vocibus pluribus servatis ostenditur.

Hac spe ostensa iuremerito increpat Deus pusillanimes : ecce tam praeclara ego praesto et praestabo, nonne decet vos pudore suffundi propter diffidentiam et vanum timorem? v. 12 « *ego, ego ipse consolabor vos! quis tu ut timeres ab homine mortali et a filio hominis qui quasi fenum ita arescet* »? — hebr. *ego, ego ipse consolans vos;* et qua ratione, optime explicatur v. 11; unde apte adiungitur : quomodo ergo tu times *hominem (qui) moritur et filium hominis (qui) fenum traditur* (hebr.) qui ut fenum interitui obnoxius est et tam facile marcescit. Deo omnipotenti summa hominis fragilitas opponitur; etsi terreat homo, non diu durabit, morietur enim; etsi formidabilis videatur, sicut gramen est labilis. Cum ergo populus ita sit constitutus, ut ex una parte habeat Deum consolatorem omnipotentem benignissimum, ex altera adversarium hominem maxime fragilem, quare tam male sibi consulit, ut timeat (cf. *For.*)? Excludit itaque, ut *S. Thom.* ait, hostium timorem ponens fragilitatem hostium et Dei potentiam. In quam rem etiam sequentia dicuntur v. 13 « *et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit coelos et fundavit terram, et formidasti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat et paraverat ad perdendum; ubi nunc est furor tribulantis* »? — Dei potentiam effert creatoris, qui quem populum sibi formavit et delegit nunquam abiiciet (43, 1), qui tamquam coeli terraeque conditor (cf. 40, 22; 42, 5; 44, 24; 45, 12) satis virium habet ad hostium conatus eludendos. Quia *talis* Dei obliti sunt, homines timent et iugiter contremiscunt. Unde bene *For.* : obiurgationem habet percunctatio haec. Is qui populum oppressit et disposuit ut perderet (cf. hebr.), Chaldaeus est (cf. 52, 4), sed ita ut omnes oppressores pariter in uno illo exhibeantur; procedit enim modus loquendi a calamitate a Babyloniis inflicta, attamen in ea minime sistitur, uti totius sermonis conformatione

proditur. Interrogatione : ubi est furor oppressoris (cf. Deut. 28, 53. 55. 57)? oratorie indicatur hostium impetum ita iri exstinctum, ut ipsi illi pusillanimes de priore diffidentia et timore mirentur et quam inanes fuerint timores et trepidationes, non sine pudore fateantur.

Idque confirmatur praedictione salutis et liberationis v. 14 hebr. *cito incurvatus* vel vinculis constrictus *solvetur nec moritur ad interitum* (misera morte) *nec deficiet panis eius;* ergo hostes nulla ratione praevalebunt, Deus curam quoque gerit liberatorum, ne qua in re penuriam vel inopiam experiantur; qui oppressus est et ligatus vel vinculis captivitatis (cf. 49, 9) vel generatim variis miseriis, in libertatem vindicabitur et postea vita vitaeque commodis Deo protegente abunde fruetur. Liberationem etiam praedictam habemus, licet parumper alia ratione, in *vulg.* v. 14 « *cito veniet gradiens ad aperiendum et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis eius* »; — *gradiens* [1] ille est liberator; in hoc sermone post 49, 9 non poterit cogitari nisi de servo Domini, de Messia, quem pariter vox illa *ad aperiendum* (42, 7) designat; *Cyrum* intelligere (cum *S. Thom. Pint.*) ab hoc contextu alienum est, cum in hac sectione de eo non fiat mentio; quare etiam hoc loco nequit intelligi neque qua talis qui pro pignore et arrha tutelae divinae et liberationis per Christum (*Tir.*) datus sit. Membrum alterum *et non interficiet*... non potest commode referri nisi ad tribulantem v. 13, qui scil. interitum non poterit afferre populo, quia adest servator, cuius auxilia et subsidia nunquam deficient.

Membrum illud *et non interficiet* plerique ad Messiam quoque referunt. At satis infeliciter. Nam si suppleveris . non permittet nos funditus perire (*Men.*) vel : non interficiet sed servare vult conservos (*S. Hier.*), id post salutem adeo praeclaram satis languide subditur. Neque melior est explicatio a *Sanct.* proposita : neque ad internecionem saevit, sed cum videatur ad mortem caedere, vitam ostentat, et ad sepulcrum rapere, inde repente extrahit. Nam in hac expositione id quod rem constituit suppleri debet. Neque fieri potest (cum *Sasb.*) ut de hostibus sit sermo, quos non funditus se deleturum dicat. Nam post interrogationem illam : ubi est furor oppressoris (v. 13) et infirmitate hominis adeo demonstrata (v. 12) nemo exspectabit nunc dici hostes non esse penitus interituros. Messiam autem eo sensu non penitus interficere hostes, quia iis quoque salutem offert et qui oblatam acceptant in gratiam recipit, verum quidem est; at hisce verbis non dicitur neque erui potest, nisi omnia gratuito textui inserueris. Ergo textus latinus non potest referri nisi ad oppressorem v. 13.

---

1. Legitne *S. Hier.* non צעה, sed. צעד? Ceterum veteres versiones satis h. l. variant. LXX ἐν γὰρ τῷ σώζεσθαί σε οὐ στήσεται οὐδὲ χρονιεῖ, *Syrus*, membrum hoc iungit antecedentibus: qui robustos ad vastandum accelerat; *Chald.* cito revelabitur retributio.

Quod alii vertunt et explicant : non sinet interficere i. e. hostes impediet ne nos penitus deleant, ad sensum quidem aptum est (cf. *Lap. Loch*), at ex verbis iste sensus extundi nullatenus potest.

Pro liberatione populi *ligati* (*Vat.*) vel *vincti* (*Mald.* cf. v. 14 hebr.) Deus denuo suam potentiam tamquam pignus ponit v. 15 « *ego autem sum Dominus Deus tuus qui conturbo mare et intumescunt fluctus eius; Dominus exercituum nomen meum* »; — i. e. cuius increpationem maria sentire et timere ostendunt fluctibus frementibus, cuius ad nutum maria obediunt (cf. Iob 26, 12. Ier. 31, 35), cui praesto sunt agmina coelestia et terrestria. Vide quam multiplici ratione vates studeat ex rerum naturalium creatione, mole, operibus demonstrare et quasi palpabilem reddere potentiam Dei; hanc si animis omnium bene impresserit, certo confidit addito verbo prophetiae fore ut maxima fiducia promissa Dei amplexi in rebus etiam difficillimis laetam retineant spem. Quare pergit ostendens Deum non solum velle populum in libertatem vindicare, verum etiam cum ipso regnum suum fundare quod coelum et terram complectatur v. 16 « *posui verba mea in ore tuo et in umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos et fundes terram et dicas ad Sion : populus meus es tu* »! — uti verba in *vulg.* efferuntur, ad populum non possunt dirigi, quia sane ipse populus non potest dicere ad Sion : populus meus es tu. Ergo non possunt referri nisi ad servum Domini, de quo pars quaedam totidem verbis dicitur 49, 2 ; et ita multi verba explicant (cf. *S. Hier. Osor. Pint. Mald. Malv. For. Schegg, Reinke, Troch. Naeg.*); pauci quidam ea dicta esse volunt ad Isaiam (*S. Thom. Mar.*) vel saltem de eo posse etiam valere (*Calm.*). Verum cum a v. 12 constanter populus compelletur, tam repentina mutatio durior videtur, neque ea opus erit, si textum hebr. sequimur qui omnino verti potest : *posui verba mea in ore tuo... ad plantandos coelos et fundandam terram et ad dicendum Sioni : populus meus tu!* i. e. ut plantem coelos et fundem terram (cf. *Vat. Mar. Malv. Sanct.* et recentiores). Pergit itaque Deus alloqui populum et uti supra iam intima eius cum servo Domini societas et similitudo indicata est (cf. 50, 10; 51, 8), ita hoc quoque loco verbis illis ex 49, 2 depromptis arctum exsistere vinculum innuitur inter servum Domini et populum redemptum. Neque id mirum videri potest, postquam opus servi Domini in redemptione collocari dictum est (49, 9) et servum Domini sua obedientia expiasse populi inobedientiam etiam indicatum est (50, 4 seq.). Ait itaque Deus se oracula sua cum populo communicasse et in populo suam se reposuisse revelationem (cf. 2, 3) et populum tam mira protectione defendisse et confirmasse, quia per regnum suum in eo populo fundatum demum terram et coelos condere

voluit, scil. regnum suum ita vult extendi, ut coelos terramque complectatur, ut novi quasi coeli plantentur, nova fundetur terra, quia nova illa et supernaturali regni Dei creatione ad novam conditionem evehuntur. Hisce vates iam ea praeparat quae 65, 17 de novis coelis et nova terra dicturus est; dicuntur plantari, fundari vel innovari etiam propterea, quia regnum Dei demum in innovatione et glorificatione creaturae absolvetur (cf. ad v. 6. Rom. 8, 21. 2 Petr. 3, 13). Hoc vero opus Dei ad coelos plantandos et terram fundandam, quod tamquam novum creationis opus designatur et proinde coelum et terram ad altiorem quandam conditionem evehet, in eo oritur, vertitur, ut Sioni dicat: populus meus es tu; Sion centrum et sedes theocratiae est (2, 2); ibi regnum Dei collocatum est et ex Sion propagabitur in orbem universum.

Refert *S. Hier.* se vertisse sicut *Aq.* quoque; *Sym.* vero: ponam verba mea in ore tuo et in umbra manus meae protegam te in qua plantavi coelum et fundavi terram et ut dicam Sion: populus meus es tu; sim. LXX; at in ultimo membro praebent: καὶ ἐρεῖ Σιών·[1] λαός μου εἶ σύ. *S. Cyr.* hanc habet et explicat lectionem: et dicet Sion: Deus meus es tu; *Procop.* utramque coniungere videtur scribens: Sion dicet Domino: Deus meus es tu, a quo vicissim audiet: populus meus es tu. *Syrus* quoque praebet, sicut LXX et *Sym.* in ea (scil. manu) plantavi coelum, dum *Chald.* exprimit textum hebr.: protexi te ad suscitandum populum, de quo dictum est fore ut multiplicentur tamquam stellae coeli, et ad fundandum coetum, de quo dictum est fore ut multiplicetur sicut pulvis terrae, et ad dicendum habitantibus in Sion: populus meus tu. Lectio quam LXX, *Sym. Syrus* exprimunt facilior est et divinam potentiam eo fere modo describit quo saepius iam declarata est. Textus hebr. difficilior est, cum modus loquendi de regno Dei tamquam de coelo plantando [2] et fundanda terra certe sit inusitatus et non explicetur nisi demum 65, 17 et 66, 22. Sed quia postmodum haec ratio ac denominatio invenitur et Isaias saepius quae antea brevi perstrinxerat postmodum explicatius proponit, textus hebr. videtur praeferendus et lectio altera solum introducta ad sensum reddendum planiorem. — Obiicit *Naeg.* inepte dici: posui verba mea... ut dicerem ad Sion; at immerito; quid enim vel ineptum vel falsum inveniri potest in eo, quod Deus quia hunc populum sibi elegit in eo sua reposuit oracula? Idem enim asseritur ea locutione quod dicit S. Paulus quoque: quid ergo amplius Iudaeo est? multum per omnem modum; primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei (Rom. 3, 1. 2).

---

1. Sed etiam legitur in aliquibus codd. καὶ ἐρῶ τῇ Σιών; vide *Field* ad h. l.

2. Cum נְטַע de coelo alias non usurpetur, iam *Houbig.* quem aliqui secuti sunt coniecit esse legendum לִנְטוֹת ad extendendum coelum; LXX etiam 40, 22 נטה reddunt στήσα; et *Syrus* h. l. vertit *extendit;* quare illa coniectura non videtur spernenda. Sed cum de figendo tabernaculo נטע dicatur (Dan. 11, 45) et coelum tabernaculo comparetur (40, 22), tamen non opus erit deserere lectionem traditam (cf. *Reinke*).

c) Auferetur ignominia a Ierusalem 51, 17-23.

Cum itaque regnum Dei quod coelum et terram complectitur et innovabit in populo sionitico quasi in suo primordio et radice fundetur, iuremerito admonet propheta Ierusalem, ut spe adeo praeclara et dignitate hac maxima praedita e miseriis caput emergat et licet afflicta, tamen ob praeclaram suam electionem se consoletur ; v. 17 « *Elevare, elevare, consurge Ierusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae eius, usque ad fundum calicis soporis bibisti et potasti usque ad faeces* » ! — iusto Dei iudicio urbs iacet prostrata (cf. 29, 4) ; Dominus ei miscuit et dedit calicem irae (cf. 19, 14 ; 29, 18) i. e. tantam ei immisit calamitatem, ut pro eius magnitudine stupefacta et quasi ebria efficeretur. Sors quae alicui attribuitur vel pars et portio calix quandoque dicitur qui alicui porrigitur ad bibendum; unde calix irae Domini est poena quam Dominus infligit, et iste calix ut *calix poculi vertiginis* (hebr.) designatur, ut poenae magnitudo qua obruti et obstupefacti usu sensuum destituantur et ebriorum instar cadant, usitata metaphora declaretur (cf. Ier. 25, 15. 27. Ez. 23, 32. Hab. 2, 16. Ps. 74, 9; 79, 6). Atque ea erat calamitas cui ab hominibus remedium afferri poterat nullum v. 18 « *non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis quos enutrivit* » ; — non erat qui eam *duceret* (hebr.); eius casum et ruinam nemo ducum, principum, sacerdotum avertit neque prostratae manum porrexit ut eam e vili conditione erigeret. Qua comparatione restitutio theocratiae tamquam opus Dei describitur, ad quod perficiendum vires humanae non sufficerent.

Quae hucusque comparationibus dicta sunt, iam propriis verbis declarantur, uti saepius apud Isaiam fit (cf. 1, 6. 22. 25 etc.) v. 19 « *duo sunt quae occurrerunt tibi; quis contristabitur super te? vastitas et contritio et fames et gladius; quis consolabitur te* » ? — duo simul mala incurrerunt : dira telluris aedificiorumque vastitas et foeda hominum excisio (*Osor.*) quos vel fames vel gladius hostium abstulit. Utrumque malorum genus duobus significatur quo eorum exprimatur magnitudo ; quae eo quoque declaratur, quia nemo propter tantam malorum stragem vel possit vel audeat illam consolari, illam alloquio erigere. Nullus eiusmodi conatus consolandi tentatur, cum plaga nimia cernatur quam solo silentio et lacrimis lugere possunt. Illud *contristari* explica : quis condoleat tibi vel te commiseretur, te alloquio soletur (cf. Nah. 3, 7). Sicut ergo amici Iob cernentes nimium eius infortunium « sederunt et nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehe-

mentem » (Iob 2, 13), ita qui cernit urbis casum tacens rei eventum secum meditatur et in tanta ruina nullum esse consolationis locum agnoscit. Id omnium nomine vates fatetur se quoque imparem consolationi afferendae dicens : *quis consolabor te* (hebr.) ? ita scil. unusquisque dicere debet : quis ego ut afferam tibi solatium ? est modus alius dicendi humanis viribus vel subsidiis iam non posse levamen afferri ; unam spem esse collocandam in interventu Domini, uti v. 21. 22 clare effertur.

In hebr. effertur prima persona in ultimo membro. Tertia tamen legitur apud LXX, *Syrum, S. Hier.*, *Chald.* vero ita habet : non est qui consoletur te, nisi ego. Prima persona sensum omnino aptum fundit, et מִי oportet retineri in nativa sua significatione, neque opus est corrigere בְּמִי (*Hitz.*) neque explicare ac si מָה scriberetur ; de simili locutione vide Am. 7, 2. 5. Alii exclamationem ad unum Isaiam referunt; praeplacet sensu generaliori eam accipere. Neque tamen opus est textum hebr. corrigere vel asserere א scribi quia quandoque א et י ex sono inter se commutentur, uti vult *Boettcher,* Neue exeg. krit. Aehrenlese z. A. T. II p. 144.

Iam explicat quid fames et gladius agant (*For.*) v. 20 « *filii tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui* » ; — « sub dio iacent filii tui aut animam prae fame agentes aut vulneribus confossi » (*For.*). Hebr. *filii tui obvelati sunt* vel defecerunt, passi sunt animi deliquium (cf. apud *Malv. Mald. For.* et recentiores), id quod capiunt vel de fame (*Mald. Mar. Kn.*) vel generatim de calice vertiginis (*For. Malv. III. Rohl. Hahn*) ; *iacent* in compitis irretiti (sicut oryx illaqueatus) capti et omnium iniuriis expositi, inopes aliorum potestati traditi. Neque putandum est hostes eam intulisse calamitatem ; Dei opus est et vindicta ; unde additur *pleni...* i. e. ad quantam iram et vindictam Dominum provocaverint, miserrimus ille aspectus docet et vastitas summa dominae gentium (Lament. 1, 1) illata ; vide Lament. 2, 21 ; 4, 9 ; 5, 14.

Quia igitur humano auxilio plane est destituta urbs et calamitas est inflicta a Domino qui castigatione populum suum non delere sed ad meliorem sanctitatis conditionem evehere vult, propterea cum calamitas quasi ad summum est perducta, adest divina opitulatio. Unde urbi fit consolatio v. 21 « *idcirco audi hoc paupercula, et ebria non a vino !* v. 22 *haec dicit dominator tuus Dominus et Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo : ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meae, non adiicias ut bibas illum ultra,* v. 23 *et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt et dixerunt animae tuae : incurvare ut transeamus ; et posuisti ut terram corpus tuum et quasi*

viam transeuntibus » ; — ebria est a calice vertiginis Domini (cf. 29, 9. 10). Et quia non est alius qui possit iuvare, ipse Dominus, qui causam sui populi defendendam suscipit (cf. 52, 4; 49, 25; 41, 10. 11) promittit se erecturum esse urbem a vili conditione. Auferet scil. ignominiam ab urbe; promittit, talem fore urbem instauratam, ut iam non alii simili castigationi subiaceat. Sion ergo instaurata erit sancta; nova illa theocratia ad quam primus quasi gradus fit reditu ex exsilio et urbe temploque restitutis (cf. 44, 26 seq.), ita erit sanctitate conspicua, ut iam non indignatio Domini in eam exardescat, verum ut Deus omni studio amorem suum erga illam exhibeat. En, talis ergo Sion a propheta intelligitur, quae instauratione facta iam non ultionem et vindictam Domini incurrat; proinde non urbem qua talem intelligit, sed theocratiam illumque populum qui fide et pietate Deo adhaeret; est ergo Sion, prout iam in v. 16 continetur, « non alia nisi populus Dei » (*S. Hier.*) et hunc populum constanti studio sanctitati daturum esse operam eo ipso indicatur, quia iam non Deum ultorem experietur. Sed Deus erit populi sui defensor et proinde inimicos prosternet; dabit calicem furoris in manum vexatorum, qui urbem Ierusalem humi prostraverunt eamque pedibus conculcaverunt. Quantopere fuerit urbs ab insolentia hostium vexata et humiliata, ultima enuntiatione describitur : tergum posuit terrae instar et sicuti viam pro transeuntibus i. e. libere et diu omnes pedibus proterebant et conculcabant eam duris vestigiis (cf. Ios. 10, 24. Ps. 109, 1). Hic ergo erat calix vertiginis pro Ierusalem; iam vero inimici eius iisdem poenis subiicientur; franget Dominus eorum potestatem cum ignominia delebitque eos. Etiam hic valet : Sion in iudicio redimetur (1, 27). Unde denuo illud inculcatur, fore in Sion salutem, verum post humiliationem, Dei autem hostibus imminere perditionem. Adversarii dixerunt *animae* urbis i. e. minime ei pepercerunt rei quae erat urbi quam maxime sacra et cara et in qua eius excelsa continebatur dignitas, sed in sacrario suo et in praecellentia theocratica experta est humiliationem. Sed uti ad servum Domini ignominia affectum annuntiatio fit gloriae (49, 6. 7), ita Ierusalem ex vili conditione ad suam elevabitur gloriam; unde propheticus sermo redit ad id quod v. 17 erat inceptum.

d) **Gloria Ierusalem 52, 1-6.**

Uti in priore parte via ad gloriam descripta est consistere in deiectione pompae humanae et in iudicio divino, ita hoc loco eadem via et ratio assignatur. Unde post humiliationem Sionis descriptam (51, 18 seq.)

sermo ad fructum humiliationis progreditur et Sion admonetur, ut robore et ornamentis potita exsultet in Domino; v. 1 « *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induère vestimentis gloriae tuae Ierusalem, civitas sancti, quia non adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus* »! — hebr. *civitas sancta* (cf. 48, 2) urbs scil. Sancti Israel quam prae ceteris sibi elegit, ut templum ibi esset et sedes theocratiae; unde sancta, quia a reliquis separata et Deo dicata est. Talis cum sit, optime dicitur : *induere fortitudine tua;* nam tali urbi vi electionis et destinationis congruit fortitudo, congruit gloria; uti enim Deus summa pollet fortitudine et gloria, ita urbs a Deo electa ut ibi sedem suam figat quodammodo iure suo particeps esse debet fortitudinis et gloriae, ut scil. regnum Dei consistat firmiter et invicte, ut exsistat, prout decet opus divinum, cum gloria et splendore. Et huius fortitudinis splendorisque tempus iam annuntiatur Sioni, urbi restauratae, eiusque indicium et documentum est, quia urbs instaurata iam non tradetur in potestatem peccatorum. Sion vetus iniquitate concidit; cf. 1, 9. 10; 5, 7 etc. Sion vetus meretrix appellatur 1, 21; Sion vero instaurata erit urbs fidelis, plena iustitiae (1, 26). Cum circumcisio signum esset foederis et populi Dei et pariter symbolum haberetur servitii divini (cf. Deut. 10, 16; 30, 6), incircumcisus is est qui a foedere Dei eiusque cultu alienus peccatis est inquinatus ; immundus immunditie legali exclusus erat a sacrificio aliisque et ritibus praescriptis conditionem cive theocratico dignam acquirere debuit; unde declaratur in urbe instaurata sanctitatem stabilem sibi figere sedem. Tunc igitur Sion instaurata vere erit civitas *sancta* et qua talis invicta fortitudine et gloria a Domino exornata. Haec *fortitudo* et *gloria* eo insigniore modo animos audientium laetitia imbuere debebunt, postquam in antecedentibus misera conditio urbis populique est descripta. Hisce ostenditur, quam miseros reddat populos peccatum, quanta autem felicitas in Deo eiusque cultu contineatur.

Haec verba piis in afflictione constitutis solatio sunt fidemque et spem eorum erigunt. Quare iterum iterumque monet propheta ex vili conditione ascendendum esse ad gloriam v. 2 « *excutere de pulvere, consurge! sede Ierusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion* »! — lugentes et captivi humi sedent, in pulvere iacent (cf. 3, 26; 47, 1. Iob 2, 8). Imago haec sane aptissima est pro urbe ruinis et incendio vastata. Iubetur ergo excutere pulverem, signa luctus et servitutis deponere; iubetur surgere et ad pristinum splendorem revertere ; iubetur denuo sedem et thronum occupare, uti decet civitatem regiam, et signa servitutis longe a se removere. Bene notat *For.* : « multus est in hoc propheta saepiusque idem repetit, quo non solum affectum suum et

exsultationem animi sui explicat, verum etiam quam concidisset corporum, quam abiecissent animum Israelitae, quam desperatae fuissent res intelligimus ». Captivam vocat; eam enim sortem iam in visione inaugurali didicerat, eam iam saepius praedixerat (5, 6. 13; 39, 6); filia Sion vocatur vel ipsa urbs vel incolae urbis. Cum eiusmodi appellatio sat frequens sit et de extraneis quoque Deoque inimicis adhibeatur (cf. 47, 1), eo nomine hoc loco peculiarem tenerrimi amoris significationem exprimi non potest asseri.

Ad eam autem gloriae et laetitiae significationem provocat vates quia adest divina promissio (*For.*) v. 3 « *quia haec dicit Dominus : gratis venumdati estis et sine argento redimemini* » ! — *gratis* cf. 50, 1 ; non enim, prout *Theodorus* heracleotes advertit, pecunia venditi sunt a Domino, verum iniquitatibus suis. Liberatio erit operis divini documentum; vide 45, 13 « ipse captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus ». Adest ergo divina promissio de reditu ex exsilio, de solutione captivitatis. In eo autem quod captivi pretio non soluto dimittentur opus divinum agnoscant et in hoc opere cernant initium et pignus quoddam instaurationis. Est enim reditus ex exsilio illud initium et primus ad instaurationem gressus. Hanc autem instaurationem efficiet Deus certissime, quia de eius gloria agitur. Cum enim populum hunc sibi in peculium elegerit, non poterit eum oppressioni et tyrannidi gentium dimittere. Quare pergitur v. 4 « *quia haec dicit Dominus Deus : in Aegyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum* » ; — populus olim in patribus descendit in Aegyptum *ad peregrinandum* (hebr.) i. e. ut ibi essent inquilini et hospites ; cum postmodum opprimerentur, Dominus iudicia exercuit in deos Aegyptiorum et regem et suum honorem vindicavit. Unde statum similem servitutis quem olim obierant in memoriam revocat; ex quo cum omnes sciant quantis miraculis sint liberati, per se ratio colligitur spei et consolationis fore ut ex simili conditione similiter eripiantur. Nam nunc Assur eos *opprimit* (hebr.); Assyrii nominantur quia illi Isaiae tempore et decem tribus regno israelitico destructo in captivitatem abduxerunt et ipsum regnum iudaicum vario modo sub Achaz et Ezechia afflixerunt. Chaldaei quidem vel Babylonii duas tribus abduxerunt in exsilium ; at regnum chaldaicum vel babylonicum cum ex assyriaco oriretur et assyriaci regni regiones et quasi hereditatem occuparet, merito vocari potest Assur a propheta, uti similiter Zacharias propheta de Assyriis loquitur regno assyriaco iam dudum deleto (cf. Zach. 10, 10. 11. Esdr. 6, 22). Dicuntur gratis, sine ulla causa, *pro nihilo* (hebr.) eos opprimere, quia et ipsi Assyrii nullis iniuriis ad talem oppressionem erant provocati (*Mar. Osor. Calm.*)

neque ullum pretium solverunt Domino, quo populum istum sibi a Domino in servum emerent (cf. *Malv.*). Populus igitur Dei ita est in servitutem traditus,ut eius hero, Domino, nihil pretii sit persolutum neque quidquam aequivalens traditum. Unde honor Domini et ius quam maxime laesum est. Adest enim in urbe sancta sua quasi solus sine populo quem alieni ei eripuerunt et abduxerunt. Ita enim gentes rem considerant qui potentiam dei nationalis et tutelaris ex populi potentia dimetiuntur; simili modo etiam Deus hic loquens inducitur.

Cum itaque populus ab Assyriis opprimatur, sedes Dei et templum cultoribus caret, Dominus rex theocraticus est in Sion sine populo ; quare sui honoris memor Deus cum indignatione quaerit v. 5 « *et numquid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, et iugiter tota die nomen meum blasphematur* » ; — hebr. *et nunc quid mihi hic?* uti LXX quoque habent καὶ νῦν et eodem modo *Syrus, Aq. Theod. Sym. Chald.* i. e. et nunc, cum populus opprimitur ablatus, *quid mihi est hic,* quid faciam hic in templo, in urbe ? cum subditi mei sint in servitutem traditi *gratis,* ita ut ego non alium populum pro eis acceperim. Unde Dominus ne sedes eius et templum sint in solitudine et ipse Dominus quasi subditis destitutus appareat, instaurationem efficiet. Insuper accedit tyrannis eorum qui populum opprimunt; hebr. poprie *dominatores eorum ululant* i. e. insolenter clamant et inconditis iubilationibus agunt triumphos (uti plerique recentiorum explicant) atque non minima pars eorum tripudii in eo consistit, ut continuo nomen Dei blasphemetur, cuius scil. ignominiam traducunt ex populo subiecto. Eius blasphemiae exemplum habemus in rege Baltassar qui afferri iubet vasa templi, « et biberunt in eis rex et optimates eius, uxores et concubinae illius, bibebant vinum et laudabant deos suos aureos et argenteos, aereos » etc. (Dan. 5, 2-4). Quam aegre id ferat Dominus, ex verbis *continuo tota die* apparet. Cum ergo honorem nominis sui non det idolis (42, 8 ; 48, 11), quid restat, nisi ut gloriam urbis suae et populi instauret ? Proinde in hac re gravissima continetur ratio, cur tanta fiducia urbs iussa sit surgere et vestitu gloriae se ornare.

In v. 5 nunc legitur in *vulg. numquid*; sed haec lectio videtur esse falsa et potius illa erat adoptanda, quam in bibliis lovaniensibus et sixtinis ante editionem clementinam invenimus et *nunc quid*; ita quoque legunt *Mald. Malv. Osor. Sanct. Sasb. Pint. For. Calm.* et haec lectio patet ex hebr. וְעַתָּה, ex LXX, *Syro* aliisque testibus antiquis et ea quoque habetur in versione *S. Hier.* et in eius commentario; quare ne minimum quidem dubium esse potest, utra lectio sit praeferenda. Ceterum de sensu eius interrogationis variae feruntur sententiae.

Quam supra proposui, eam iam habet *Pint.*; atque ea verbis plane respondet. Est enim פֹּה adverbium locale *hic* neque ostendi potest alio sensu usurpari. Quare non aliter verti potest nisi: *quid mihi hic*? Sed quo sensu *hic*? *Hitz.* id refert ad coelum : quale negotium grave mihi in coelis incumbit, ut talia in terris permittam accidere? Quae explicatio ridicula est; alii (*Del. Or. Troch.*) *hic* referunt ad conditionem populi et commorationem in Babylonia : quid mihi est hic in Babylonia, in tali populi conditione? Sed cum subsequatur : quoniam *ablatus* est populus meus, Deus certe non apud populum commorari censetur, neque solum populi conditionem efferre, ad quod ne vox quidem *hic* apta est. Alii : quid mihi istinc usus est? quid habeo utilitatis ex eo quod populus ablatus est (*Malv. H. Kn.*)? Sed non explicatur *hic* et Deo non accessisse quidquam vel commodi vel recompensationis, iam voce *gratis* satis exprimitur. Interpretes latini plerumque explicant : quid moror a liberando meos? quidnam hic habeo, ut non idem faciam quod tunc in Aegypto feci? Bene quidem, at illud *hic* non plena sua vi explicatur. Cum de populo ablato Deus conqueratur, illud *hic* in ore Dei significat sedem et domum Dei, circa quam populus esse debeat; et ita simul hac voce innuitur prophetam qui ita Deum loquentem facit fuisse in Ierusalem et vaticinium hoc esse literis consignatum ante exsilium (cf. Tübinger Quartalschr. 1878 p. 309).

Ad sui igitur nominis gloriam Deus exsistet populi sui liberator et restitutor v. 6 « *propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquor, ecce adsum* »! — hebr. *ideo sciet populus meus nomen meum, ideo in die illo, quia ego sum is qui loquor : ecce ego* i. e. in die illo de quo 51, 22; 52, 1; populus experiendo discet vim et virtutem nominis *Iahve,* Dei foederis, quanta scil. potentia, fidelitate, constantia stet foedere inito et promissis datis (*Osor.*), quando scil. ipse iterum sese populo ostendet et praesenti sua ope eum eriget dicens : *ecce ego* i. e. tibi adsum redemptor et salvator. — Ex hac parte, praesertim ex v. 3 et 4 clare elucet prophetam sermocinari de populo in exsilium abducto et instaurationem theocratiae post exsilium ob oculos habere; quare aliquorum interpretatio de urbe a Romanis capta et de populo a Romanis disperso (cf. *S. Hier. Cyr.*) non potest admitti, nisi quatenus dicas magnum illud exsilium et excidium a Romanis inflictum similitudine quadam accedere ad prius illud exsilium et veteris reipublicae iudaicae abiectionem et destructionem perficere; unde multa quae de priore dicta sunt, etiam de altera valere; et uti ex exsilio babylonico a Deo revocarentur, ita fore ut cum plenitudo gentium intraverit tunc etiam Israel revertatur ad Deum suum.

e) **Exsultatio de salute oblata 52, 7-12.**

Gravissimis rationibus Deus confirmavit in antecedentibus alloquium

illud et mandatum ad Ierusalem 52, 1. 2 et ultimo loco sui nominis gloriam oppignerans « *ecce ego* adsum » opem suam praesentem promisit. Iam laetus ille nuntius affertur Sioni v. 7 « *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion : regnabit Deus tuus* » ! — ad urbem scil. derelictam et desertam nuntii veniunt ex Babylone urbis casum et liberationem concessam nuntiantes; unde veniunt a montibus in parte septemtrionali Palaestinae positis. Eorum *pedes* decori et pulchri dicuntur, ut quam laetus et iucundus sit eorum adventus et quam alacriter ipsi nuntii iter peragant indicetur. Quanta autem bonorum copia in nuntio illo contineatur, *pace, bono, salute* declaratur et demum *Dominus regnat,* Iahve regnum et imperium tenet, unico verbo comprehenditur. Quam apte quattuor haec efferantur, apparet ex descriptione miserae conditionis urbis; cf. 51, 17-23; 52, 1. 2; quantopere enim pace destituta fuerit, declaratur in calice furoris Domini; quantopere bono, cernitur in vastitate, fame, gladio; quantopere salute, explicatur quia in prostratione et captivitate nemo aderat qui manum porrigeret auxiliatricem; et pro Dei dominio suavi ac beato duram incubuisse tyrannidem, exprimitur verbis illis : incurvare ut transeamus. Verum in instauratione dabitur pax, quae regni messianici symbolum est et virtus (cf. 9, 6; 11, 6. Mich. 5, 4. Ps. 71, 7) et omnium bonorum comprehensio, quare pace quoque salutatio continetur messianica et apostolica et gloria paceque omnia comprehendi angeli canunt quae per Messiam efficienda sunt et donanda. Dabitur *bonum,* prosperitas et felicitas corporum et terrae; dabitur *salus,* felicitas et beatitas animorum; quae omnia uno verbo complectuntur et absolvuntur : *Iahve regnat,* adest regnum coelorum, qua voce instauratio messianica et nova illa theocratia universalis in libris novi foederis designatur. Huius enim regni Dei institutio summa est omnium promissionum, ad quam efferendam omnia Isaiae oracula tendunt (cf. 2, 11; 9, 7; 11, 9; 24, 23; 35, 4; 40, 9. 10). Ergo revera *evangelii* praedicatio his verbis describitur, ad quam textus LXX ipso verbo selecto convergit πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά (cf. *S. Cyr. Euseb.*).

Nuntium laete accurrentem et properantem cernunt speculatores Sion qui diu et magno desiderio eius adventum opperiebantur; quare cum eum vident advenientem, laetis acclamationibus salutant et nuntium faustissimum praedicant v. 8 « *vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion* »; — quamdiu Sion iacet prostrata et derelicta, speculatores eius quasi in alta specula constituti prospiciunt praestolantes salutem; id tempore miseriae fieri, Michaeas optime in se ipso docuit et

praescripsit : ego autem ad Dominum aspiciam (צפה speculari), exspectabo Deum salutis meae (Mich. 7, 7). Unde innuit vates non defuturos esse populo usque ad illud tempus qui salutarem illam spem et exspectationem foverent aliosque docerent. Atque revera populus in exsilio habuit prophetas et monitores neque initio instaurationis facto deerant qui populum de maiore salute ventura admonerent (cf. Agg. Zach. Mal.), et cum ipse advenisset Messias, multiplici speculatorum, prophetarum, apostolorum voce et laeta annuntiatione populus edoctus est de aedificato tabernaculo David, de restitutione Sionis (cf. Act. 2, 34; 3, 26; 15, 16). Quanta vero animorum exsultatione illi consalutaturi sint salutem adeo ardenter desideratam, vates pulcherrime describit : laetas simul extollunt voces, iubilant, quia clarissime et evidentissime vident restitutionem Sionis fieri per Dominum ; in hac autem restitutione bona illa v. 7 comprehensa contineri et concedi ipso contextu persuadetur. Unde denuo advertere licet quam intime in prophetica praedictione restitutio Sionis cum salute messianica connectatur ; idque recte quia in instauratione theocratiae totum includitur. Ad locutionem *oculo ad oculum* compara facie ad faciem, os ad os (Ex. 33, 11. Num. 12, 8 ; 14, 14), « quae geminationis forma familiaritatem maximam aut propinquitatem animorum seu locorum importat (*Sanct.*).

In tam praeclara rerum innovatione pristina miseria non solum aufe- retur, sed eius recordatio potius erit exsultationi, quia quo maiores erant ruinae eo splendidior elucet Dei potentia et benignitas et amor in populum suum ; unde v. 9 « *gaudete et laudate simul deserta Ierusalem; quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem* » ! — efficacius in hebr. *erumpite* (in iubila), *iubilate simul!* nam ex ruinis illis surget aedificium multo splendidius ; moerorem anteacti temporis Dominus abundantia consolationis uberrime compensabit. Haec autem redemptio opus est potentiae divinae quod omnibus gentibus innotescet eisque pariter salutem afferet; v. 10 « *paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri* » ; — hebr. *nudavit brachium suum* quod dicit, ut multi volunt, fortiter egit, ut solent milites pugnaturi dextrum brachium nudare (*Mald. For. Mar. Malv. Rohl. Troch. Kn. Del.*) vel forte melius, ut LXX indicant, *revelavit* Deus potentiam suam qua sanctum rerum statum inducit coram gentibus (cf. *Osor.*) atque in hac redemptione gloriosa continetur potentiae divinae manifestatio et ex ea salus redundabit in omnes. Ita optime : fecit potentiam in brachio suo; ita impletur quod 40, 5 promissum est atque denuo statuitur Sion centrum novae theocratiae ex quo salus diffundetur in orbem universum (2, 2 ; 60, 2. 3). Uti Amos cum restituto tabernaculo David statim con-

iunctum videt dominium in ceteras gentes (Am. 9, 11), ita Isaias simul cum Sion restituta salutem omnibus afferri conspicit; ergo instaurationem theocratiae considerat non in primis suis initiis, sed in illa perfectione quae ei ex natura rei debetur et urbem sioniticam, uti est ex divina ordinatione sedes theocratiae in vetere foedere et proin symbolum novae et universalis theocratiae, concipit. Illa igitur primarie Ierusalem intelligitur, quae est, ut S. Paulus ait, coelestis, libera, mater nostra (Gal. 4, 26. Hebr. 12, 22), ad quam urbs Ierusalem post exsilium restituta praeparationem quandam et quasi primum gradum exhibet.

Gloriam itaque novae theocratiae vates descripsit eamque in Sion tamquam in sede sua et centro reponi demonstravit. Quare sponte sua fluit adhortatio, ut quando Dominus reditu ex exsilio concesso illam instaurationem est inchoaturus, omnes laetis animis voci Domini obsequentes e terra gentium excedant et Dominum sequantur ducem qui eos in terram suam sanctam et ad Sion reducet. Unde ea adhortatione vates edicit quid ipsi praestare debeant ad opus instaurationis efficiendum; v. 11 « *recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere, exite de medio eius; mundamini qui fertis vasa Domini* »! — concluditur oratio simili modo sicut 48, 20 et postea 57, 14 et 62, 10. Ut cum alacritate et celeritate invitationem Domini sequantur, geminatione monet; relinquatur ergo prompte regio babylonica. Cum populus diu ibi commoratus sit et hortante Ieremia domos sibi aedificarit et hortos plantarit etc. facile intelligitur, fide viva et spe in Deum foederis opus fuisse, ut quis iter susciperet ad ruinas Ierusalem instaurandas et solitudinem illam denuo incolendam. Sed reditus ille conditio est et praeparatio ad instaurationem theocratiae. Quo plures obsequentur, quo maiore studio et alacritate redibunt, eo melior et amplior erit instauratio. Quare facile perspicimus etiam in hac re ambitum impletionis multum dependere a conditione hac : *recedite*. Isaias iam praedixerat thesauros Ierusalem ablatum iri in Babel (39, 6) — Nabuchodonosor oraculum opere complevit cf. 4 Reg. 24, 13; 25, 13 etc. — unde reditus ita instituetur, ut sacra supellex festiva pompa ad locum sacrum redeat. Ad vasa sacra portanda opus est munditia levitica; quare admonentur ut ab omni contagione impuritatis gentilis sibi caveant, ut sacer populus et mundus sacra ferant vasa et purum cultum Deo exhibeant. De impletione lege Esdr. 1, 7-11. Uti illi admonentur, ut recedant a gentibus et ab omni pollutione sibi caveant et se Deo sanctos et immaculatos exhibeant, ita eodem schemate S. Paulus adhortatur Corinthios, ut omnem sedulo vitent immunditiem et consuetudinem cum infidelibus abrumpant (2 Cor. 6, 17). Atque revera vates ea monitione vult, ut non solum corpore, verum etiam mentibus et animis ab omni contagione recedant et purum Deo praestent servitium.

Atque ille a Babylone exitus sollemnior erit magisque festivus et ita comparatus, ut cum otio et dignitate quae necessaria sunt et utilia praeparare possint ac providere; id quod cum allusione ad conditionem contrariam quae in exodo aderat aegyptiaca proponitur v. 12 « *quoniam non in tumultu exibitis nec in fuga properabitis, praecedet enim vos Dominus et congregabit vos Deus Israel* »; — « peregere olim Hebraei sacra a Domino instituta festinato et trepide, cum iussi sunt excedere ex Aegypto, neque exspectare potuerunt donec fermentaretur massa ex qua parandus erat cibus profecturis; nec mirum, cum instaret Pharao et urgerent Aegyptii de quorum crudelitate et odio nihil sibi poterant non timere » (*Sanct.*; sim. *Mald. For. Malv. Lap.* etc.); cf. Ex. 12, 11. 39. Deut. 16, 3 : in pavore egressus es de Aegypto. Aliter ex Babylone. Dominus agmen ducit (cf. 40, 10. 11. Mich. 2, 13); ipse ante eos ingreditur; quare omnia pacate et cum dignitate fiunt; neque instat inimicus qui persequitur; Deus enim idem tutor ac protector populi *agmen claudit* (hebr.), « ne a tergo in vos hostis incurset » (*Osor.*); sim. *For. Malv.*; cf. Num. 10. 25. Ios. 6, 9. 13. Ex ipsis verbis apertum est prophetam exsilii solutionem ob oculos habere idque plerique interpretes rite efferunt (cf. *Sanct. Pint. Mald. Malv. For. Lap.* etc.); si alii solum de animi ab omni immunditie separatione et sim. explicant (cf. *S. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Sasb.*), id proponunt quod ex litera proxime consequitur vel potius in ipsa adhortatione iam includitur; rite enim observat *Theodorus* heracleotes prophetam id cumprimis spectare, ut animis et mentibus recedant a Chaldaeis; si ita mentis habitudine alieni fuerint a ritibus, moribus, amoribus gentilium, facile data opportunitate ad sanctam urbem revertentur. Unde sane vates in illo *recedite* hanc indolem pariter expressit. — Praeterea attende verba pentateuchica חִפָּזוֹן Ex. 12, 11 : agnum paschalem *festinanter* comederunt et Deut. 16, 3 : *in pavore* egressus es de Aegypto (*S. Hier.*) et מְנוּסָה Lev. 26, 36 et quam notae supponantur res in Pentateucho narratae. Cum vates dicat : *exite inde* מִשָּׁם ἐκεῖθεν, censendus est non in terra babylonica fuisse; si enim uti volunt rationalistae haec oracula composita essent versus finem exsilii in terra babylonica, non fieret sermo de urbe Ierusalem voce *hic* (52, 5), de terra babylonica autem voce *illinc*.

4. *Oratio quarta* 52, 13-53, 12.

Arg. — Servus Domini aget sapienter et exaltabitur; uti populus, ita ipse quidem erit per aliquod tempus despectus; at gentes expiabit et ubique cum admiratione cognoscetur (52, 13-15). Res annuntiatur cre-

ditu difficilis, in qua tamen potentia Dei revelatur : servus enim Domini apparet despectus, contemptus, doloribus oneratus ad omnium abominationem (53, 1-3). Nostras enim poenas in se suscepit ; propter nostras iniquitates afflictus est ; nostrae salutis causa vulneratus est, nostram tulit impietatem (53, 4-6). Summa patientia haec in se suscepit ; iniusto iudicio aequales eius eum condemnaverunt ; apud impios ei sepulcrum constituerunt ; at post mortem divitis nactus est sepulcrum, ut iam inde eius innotescat innocentia (53, 7-9). Ex Domini consilio factum est ut affligeretur ; sed quia vitam suam posuit sacrificium pro peccato, habebit posteritatem perennem et opus Domini gloriose perficiet, ipse beatus erit multosque vera donabit iustitia. Quia cum sceleratis reputatus et in mortem ad alios expiandos traditus pro transgressoribus rogavit, praedam aget plurimam et insignem (53, 10-12).

Post gloriam Sionis in oratione praecedente descriptam propheta redit ad servum Domini, ad eundem scil. de quo iam 49, 1 seq. 50, 4 seq. sermo erat. Atque quod ibi de contemptu et laboribus et doloribus indicabatur (49, 4. 7 ; 50, 5-7), in hac oratione magis distincte et per singula proponitur. Nexus qui in antecedentibus adesse innuebatur inter humiliationem servi Domini eiusque exaltationem et Sionis gloriam, inter eius obedientiam patientiamque et populi iniquitatem (49, 5. 7, 8 ; 50, 2. 4), iam in hac oratione conceptis verbis adstruitur et enuntiatur, ita quidem, ut et ipsius servi Domini exaltatio et expiatio salusque nostra et operis divini consummatio et plurimorum qui salvandi erunt turba ad ipsius dolorem et mortem tamquam ad causam unde omnia bona illa proveniant et propter quam concedantur, explicite referantur. Ex quibus elucet, hanc orationem in serie hac ita esse comparatam, ut orationes antecedentes quam maxime compleat et explicet et pro subsequentibus argumentum et summa capita subministret.

Iam ex brevi analysi proposita innotescit quanti momenti haec sit oratio pro re messianica et pro mysterio et doctrina redemptionis, et quam insigne altissimi huius mysterii vaticinium, immo quam clara rei post septem fere saecula futurae descriptio et enarratio proponatur, *si* ea quae diximus revera hoc loco continentur. Quare conandum erit, ut hanc orationem quam maxime solide explicemus et eius argumentum demonstremus ; neque ea res, cum verba prophetae sint adeo clara et gravia, erit difficilis, dummodo sine opinione praeiudicata ad oraculum accesseris. Opinionem autem dico praeiudicatam, si quis a priore sibi persuaserit vaticinium veri nominis non posse exsistere neque a Deo dari vel Messiam ab altera hac Isaiae parte omnino exsulare vel patientem Messiam et satisfacientem toto veteris foederis tempore fuisse plane incognitum. Verum ad quas demum sententias miras deveniatur istis

opinionibus suppositis paucis delineare explicatione proposita non pigebit.

a) Orationis summa proponitur 52, 13-15.

Statim a principio duo efferuntur quae fixo atque constanti obtutu considerari oportet, ut quae subsequuntur rite percipiantur. Notatur enim in servo Dei sapientia et exaltatio; illa quae semper ei infuit et qua singulae eius actiones diriguntur, haec quae subsecuta est eius humiliationem constituunt itaque, ut *Sasb.* bene adnotat, prooemium ad amovendum scandalum crucis vel ad emolliendam crucis stultitiam. Quod igitur animis eorum qui sequentia legunt alte impressum esse debet, statim cum emphasi effertur v. 13 « *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, elevabitur et sublimis erit valde* » ! — hebr. יַשְׂכִּיל, LXX συνήσει, sapiens erit, sapientia et intelligentia praeditus est; nam « dedi spiritum meum super eum » 42, 1 et iam 11, 2 spiritu sapientiae et intelligentiae et scientiae instructus proponitur. Ex notione primaria, cum agere sequatur esse, statim consequitur altera : *sapienter agere* quam h. l. voci et antiquiores et recentiores frequenter tribuunt (cf. *Osor. For. Mald. Pint. Sasb. Sa, Malv. Lap. Men. Schegg, Loch, Troch. Del. Naeg.*); alii praeterea adiungunt notionem vel unice efferunt *prospere agere,* rem prospere et feliciter ad exitum perducere (ita iam *Chald. Mar. Reinke*[1], *Bade, Rohl. Ges. Sein. Kn. Or.*), quae etiam cum priore eatenus connexa est, quia qui sapienter agit et auxilia ad finem apte seligit et adhibet (in qua re sapienter agere constituitur) etiam successu prospero et exoptato non destituetur. Atque tali significationis ambitu apte dicitur de servo Domini. Iam dictum est verbum de Davide : in omnibus quoque viis suis David *prudenter agebat* et Dominus erat cum eo (*vulg.* 1 Reg. 18, 14. 15), ad quem locum respici haud improbabiliter censent *For. Lap. Naeg.,* Messias enim ut alter David iam prophetice propositus est (cf. 9, 7; 11, 1. Os. 3, 5). Et quod h. l. Isaias de servo Domini asserit, iam Ieremias ad Messiam refert : « suscitabo David germen iustum et regnabit rex et *sapiens erit* et faciet iudicium et iustitiam in terra » (*vulg.* Ier. 23, 5). Bene notat *S. Thom.* : « *intelliget* quantum ad sapientiae plenitudinem », ita ut « eminentia gratiae » eius declaretur. Ita enim sapientia instructus « omnia cum intelligentia et sapientia divina et faciet et loquetur » (*S. Cyr.*). Quare vi verbi etiam opus eius et modus

---

1. Ad totam hanc orationem opus eruditum scripsit *Reinke* : Exegesis critica in Isaiae cap. 52, 13-53, 12 seu de Messia expiaturo passuro et morituro commentatio.

quo peragitur tamquam opus *sapientiae* nobis proponitur et iam admonemur, ut in subsequenti quoque humiliatione et passione *sapientiam* divinam agnoscamus, qua sapientissime is modus expiationis et redemptionis eligebatur atque ex hac sapientia illud intelligere conemur, quod ait apostolus : « *decebat* enim eum propter quem omnia et per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare » (*vulg.* Hebr. 2, 10). Si ergo Deus ipse annuntiat opus *sapientiae*, uti h. l. fit, quis iam de stultitia crucis offendetur et non potius omnes nervos intendet, ut sapientiam illam quam Deus inesse dicit etiam ipse pro modulo suo capiat ?

Et ut servus Domini sapiens est et nihil non sapienter facit, ea de causa (*S. Cyr.*) etiam prosperrimum habebit successum qui primario in ipsius exaltatione et sublimitate cernitur. Haec tribus verbis designatur, quibus amplitudo et abundantia declaratur. Possunt autem verba ita inter se distingui, ut יָרוּם sit : ad statum altum perveniet; נִשָּׂא etiam altius sese elevabit; גָּבַהּ in sublimitate constitutus est, quae sublimitas addita voce *valde* מְאֹד tamquam excellentissima designatur, in qua manet perpetuo et quiescit; sim. *Sanct.* : « exaltabitur, extolletur et erit super omnium non solum gloriam sed etiam cogitationem sublimis ». Triplicem magnitudinis eius manifestationem et Messiae exaltationem *S. Thom.* in verbis explicat : quantum ad virtutum operationem, quantum ad ascensionem, quantum sedet ad dexteram Patris; qui modus explicandi etiam a recentioribus quibusdam adoptatur vel pari modo vel ita ut Messiae gloriam in resurrectione, in ascensione, in sessione coelesti connotari opinentur. Impletione facta edocti facile quidem hanc vel aliam triplicem Messiae gloriam et exaltationem invenire possumus; at pro re exegetica sufficit, in tribus verbis excellentissimam quandam elevationem descriptam agnoscere, qua servus Domini coram Deo, hominibus, orbe universo tamquam sublimi gloria et honore coronatus et exaltatus perpetuo assistet et cognoscetur. Cum magno enim pondere haec inculcatur exaltatio tamquam finis et terminus humiliationis, ne ipsa vilitate illa 53, 2 seq. servus Domini vilipendatur, sed potius in illa et sapientiam et sublimitatem gloriae contineri statim a limine nobis persuadeamus.

Humiliatio et sublimitas servi Domini inter se opponuntur et conferuntur ita, ut iam via paretur ad ostendendum nexum qui adsit inter utramque et argumentum orationis brevi proponatur v. 14 « *sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius et forma eius inter filios hominum;* v. 15 *iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non audierunt contemplati sunt* » ; — primo

effertur similitudo quaedam quae exsistat inter populum afflictum et miseria attritum et inter servum Domini; alloquitur enim Deus populum cui dicens *ecce* v. 13 servum suum contemplandum proponit. Sicut ergo multi videntes populi humilitatem et afflictionem obstupuerunt, ita deformis erit aspectus eius ut non sit viri et forma eius ut non sit humana, vel ad literam secundum hebr. *ita deformitas prae viro aspectus eius et figura eius prae filiis hominum* i. e. ex usu praepositionis מִן vel talis corruptio et deformitas designatur, ut iam homini vel viro non sit similis, vel deformitas maior quam in hominem vel virum cadere solet. Ergo illud innuitur : ego sum vermis et non homo. Iam maximae contumeliae ei inflictae designantur, ut prae verberibus et sputis (cf. 50, 6) humana species vix cognoscatur. Porro quod 50, 6 dictum est, hoc loco auctum recurrit. Instituitur autem comparatio inter populum et servum Dei. Ita bene verba concipiunt *Mar. Tir. Bade*; nam quod fere omnes volunt, in utraque sententia de servo Domini esse sermonem, stare nequit. Obstat enim iam quod in priore membro *te* dicitur, in altero autem tertia persona adhibetur; unde tam repentina personae enallage, si de uno eodemque est sermo? cur, si de servo uno agitur, sermo incipit in tertia persona, transit ad secundam subito, et repente denuo revertitur ad tertiam? Dein in hac sententia ipsa comparatio non consistit. Nam in utroque membro diceretur idem; verbum enim שָׁמֵם *obstupescere* non adhibetur, ut iam *For.* bene monuit, de admiratione, sed de stupore cui aliquid aversationis et abominationis et horroris commistum est; quare prius membrum nequit accipi de magna admiratione, in qua Messias habitus sit propter miracula, quamvis multi ita explicent (cf. *S. Hier. Sasb. Pint. Salmeron, Sanct. Mald. Sa, Lap. Men. Loch*). Est ergo sensus genuinus verbis respondens : stuporem de te concipiunt ex aversione et horrore ortum (cf. Ier. 18, 16; 19, 8. Ez. 27, 35. 1 Reg. 9, 8 etc. vide *Reinke* l. c. p. 53. 54); sed tum iam non apta efficitur sententia, quia comparatio instituitur eiusdem in eadem re; quid enim sibi vult haec enuntiatio : quemadmodum servus Dei multis horrori erat, sic erit inglorius et deformis aspectus eius? Verum refer prius membrum ad populum et omnia optime quadrant. Sicut populus multis erat horrori et abominationi, ita servus quoque Domini erit deformis et contemptus et omni specie ac venustate destitutus. Non adest molesta illa personae enallage, adest autem vera comparatio, qua habitudo inter populum et servum Domini indicatur eadem, quam iam innui vidimus 49, 5 et 50, 4 : quia populus miseria est afflictus propter iniquitatem, etiam servus Domini in se repraesentans populi personam et eius ferens conditionem et expians iniquitatem miseriis et humiliatione saturabitur. Uti ergo splendor regni salomonici

typus est gloriae Messiae, ita quodammodo populi conditio misera exigit et denotat Messiam patientem. Paratur itaque hac comparatione via ad intelligendam satisfactionem vicariam et depingitur arctus ille nexus qui adsit inter afflictionem populi et dolores Messiae.

Quod in *vulg.* habetur : inglorius *inter* viros etc. concipiendum erit uti sententia similis : benedicta inter mulieres, i. e. inglorius prae aliis viris, plus quam alii, omnium maxime despectus (cf. *Osor. Sasb. Salmeron, Sanct. Lap.* etc.). Verba haec referuntur ad tempus passionis solum i. e. ad illud quo omnia illa in se experietur quae 50, 6 et 53, 2 seq. enumerantur, non ut aliqui volebant, ad Messiae speciem et figuram ; unde *S. Hier.* notat : « non quo formae significet foeditatem, sed quo in humilitate venerit et paupertate » ; de sententia contraria Tertulliani, Clementis alex. vide commentationem quam scripsit *Vavassor* de forma Christi (opera omnia Vavass., Amstelodami 1709, p. 391 seq.). Effertur aspectus, εἶδος, species, figura, forma, quam foeditate et deformatione affici, iam ex 50, 6 colligitur ; unde hoc oraculum rem ibi annuntiatam non solum magis explicat, sed simul ad quem usque gradum infestatio illa progressura sit exhibet.

Sed humiliationem maximam subsequitur exaltatio in v. 15. Et primo quidem effertur arcto cum afflictione nexu ; nam in hebr. legitur particula כֵּן, quam pariter LXX, *Syrus, Chald.* tuentur ; itaque : *sic asperget, ita, tali ratione* expiabit et emundabit *gentes multas ;* prior exaltationis pars est igitur expiatio allata, altera continetur et depingitur in admiratione illa summa qua reges eum venerantur. Expiatio exprimitur in voce *asperget,* hebr. יַזֶּה, quam *Aq.* et *Theod.* quoque ῥαντίσει rite vertunt. Sed cum recentiores plerique ab hac notione recedant, usus eius verbi paucis est declarandus. Verbum hoc in forma hiphil, in qua h. l. quoque usurpatur, frequenter usu venit in Pentateucho et *ubique* quidem de aspersione sacra et sacrificali ; ita dicitur sanguis sacrificalis aspergi versus velum sanctuarii (Lev. 4, 6. 17 ; 14, 16) vel ad altare (Lev. 5, 9; 8, 11) vel ad arcam die expiationis (Lev. 16, 14) ; idem verbum adhibetur, quando agitur de aspersione Aaronis et vestium sacerdotalium, ut hac aspersione consecrentur ad munus sacerdotale (Ex. 29, 21), vel de emundatione leprosi (Lev. 14, 7. Num. 19, 18. 19) vel de emundatione domus (Lev. 14, 51 seq.) et vide Lev. 5, 9 ; 16, 18. 19. Num. 8, 7 ; 19, 4 etc. In alia significatione vel alio usu verbum hoc non invenitur usurpatum. Ergo quam maxime arbitrarium esset, pro hoc loco aliam eamque novam et alias inusitatam excogitare significationem. Iure igitur optimo eam retinemus notionem quam *S. Hier. Syrus* quoque et *Aq. Theod.* expresserunt et quae sola reliquis omnibus locis

congruit : *asperget*, mundabit vel expiabit [1] (*Syrus*). Haec autem sanguinis aspersio fiebat a sacerdote. Victima enim occisa sacerdos de sanguine eius capiebat et sanguinem *aspergebat* vel coram Domino contra velum sanctuarii vel ad parietem altaris pro varietate sacrificiorum (cf. Lev. 4, 6. 17 ; 5, 9 ; 16, 19) Actio haec *aspersionis* sanguinis erat actio sacrificalis qua victima occisa tamquam sacrificium offerebatur, quae aspersio si non fiebat vel ab alio fiebat quam a sacerdote ipsum sacrificium erat irritum (de qua re vide Stimmen aus Maria-Laach XIV p. 548. XIX p. 218). Iam si sacrificio oblato et sanguine ad altare asperso sanguis etiam aspergebatur vel rebus vel personis, hac actione emundatio quaedam ac consecratio perficiebatur ; ita Aaron aspersione tali in sacerdotem est consecratus ; qui levitice immundi erant, aspersione emundabantur ; foedere inito cum Deo Moyses caesis victimis sanguine populum aspersit et ita foederi initiavit expiatos, res sacrae quae peccatis populi inquinatae censebantur, aspersione mundabantur etc. (cf. *Scholz,* die heiligen Alterthümer des Volkes Israel I p. 47. 177. II p. 86. 150. 239 etc., *von Haneberg,* die relig. Alterth. der Bibel, 2 ed. p. 395. 415. 666).

Cum haec sit aspersionis notio et significatio, facile eruitur quid hoc loco de servo Domini edicatur. Denotatur enim tamquam *sacerdos* qui oblato sacrificio expiat gentes sanguine sacrificali ; *quale* futurum sit sacrificium, hoc loco nondum dicitur, dicitur vero 53, 10 scil. eum positurum esse se ipsum vel vitam suam sacrificium pro peccato. Quare hic quoque deprehendimus Isaiam prius generali modo aliquid indicare quod postmodum accuratius determinat et circumscribit. Uti ergo Messias 9, 7 descriptus est rex, qui sessurus est super solium David, et 49, 2 tamquam propheta et doctor populorum (42, 1. 4. 6), ita hic nobis exhibetur ut sacerdos, qui omnes gentes expiet. Et quia servus Domini iam tamquam foederis mediator nobis est propositus (42, 6 ; 49, 8), facile sane in eam cogitationem inducimur ut censeamus hoc suo sacrificio et aspersione foedus illud eum esse consecraturum et initiaturum in similitudinem Moysis, qui sumptum sanguinem sacrificalem respersit in populum et ait : hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum (Ex. 24, 8), sed Moyse longe sublimior, quippe qui non unum populum foederi divino initiat, verum omnes expiat et consecrat. Atque hanc acceptionem nos fere docet S. Paulus, qui Christum novi testamenti mediatorem describit (Hebr. 9, 14 seq.) nosque accessisse ait ad testamenti novi mediatorem et sanguinis aspersionem (Hebr. 12, 24), immo asserit propter sanguinem Christi mediatoris ne primum quidem foedus

1. *S. Ephr.* : « mundabit suo sanguine sancto et divino baptismate ».

sine sanguine fuisse dedicatum (Hebr. 9, 18). Quare plenum et verum sensum bene exprimit *Osor.* ad h. l.: « itaque non sanguine victimarum sed proprio sanguine ut novum foedus sanciat multas gentes asperget humanasque mentes omni scelere solutas sibi fide constringet ». Alii non tam ad foederis sanctionem quam ad varias expiationes et lustrationes in vetere foedere usitatas alludi censent (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir. Troch.*), dum alii solum generatim de emundatione gentium explicant (*Mald. Sa, Mar. Sasb.*). Textum hebr. eodem modo quo *S. Hier. Syrus, Aq. Theod.* etiam e recentioribus explicant *Reinke, Schegg, Loch, Bade, Mayer, Net. Troch. Hengstenberg, Hahn.* Quantopere autem haec explicatio verbis s. Scripturae novi foederis et rei veritati concordet, in aperto est positum; sanguis enim Christi et huius sanguinis aspersio tamquam pretium redemptionis et communicatio expiationis et salvationis saepe describuntur (cf. Matth. 26, 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. Act. 20, 28. Rom. 3, 25; 5, 9. 1 Cor. 11, 25. Eph. 1, 7; 2, 13. Col. 1, 14. 20. Hebr. 9, 12. 14; 10, 19; 12, 24; 13, 12. 20. 1 Petr. 1, 2. 19. 1 Ioan. 1, 7; 5, 6. Apoc. 1, 5; 5, 9; 7, 14; 12, 11; 22, 14), quae omnia complectens *S. Hier.* scribit: « *asperget* mundans eas sanguine suo et in baptismate Dei consecrans servituti ». Hanc aspersionem fieri generatim per Sacramenta et in illis stolas lavari in sanguine Agni cuivis christiano notum est.

Haec expiatio prima est exaltatio servi Domini hic descripta; eius effectum esse veram iustificationem internam postmodum 53, 11 propheta explicite declarat, hoc loco alteram subdit exaltationem eius, quae in admiratione et veneratione summa consistet quam reges ei deferent: *super eum reges occludent* (compriment) *os suum;* os comprimere vel occludere, vel manum ori imponere significat « stuporem et admirationem, reverentiam humilemque submissionem et confusionem » (*Reinke;* cf. Iob 29, 9; 39, 34. Ps. 106, 42. Ez. 16, 63. Mich. 7, 16); vates idem asserit de servo Domini, quod 49, 7 dixerat: tanta erit gloria Messiae ex humiliatione orta, ut potentissimi quique qui gloriae et pompae assueti de nulla re mirari solent et reverentiam sui maximam ab omnibus exigunt, erga eum maxima admiratione et submissione supplici commoveantur eamque habitu humili prodant. In monumentis persicis aulici adstant regi ora habentes obtecta ne halitu suo aerem quem rex spirat reddant impurum. Subditur alia ratio admirationis illius et submissionis: quia illi quoque qui eousque nullam cognitionem servi Domini habebant iam eum eiusque opera vident et sedulo studio contemplantur; cognitio ergo Messiae et eius agnitio et magnalia quae patravit et expiatio allata ad omnes pervenient gentes; aliis verbis: erit lux gentium (42, 6; 49, 7) et salus usque ad extremum terrae cognitione

Dei ubique sparsa; cf. 11, 9, iudicium gentibus proferet (42, 1), id quod 53, 10-12 pluribus proponitur. Ita enim optime textus *vulg.* et LXX quoque intelliguntur, uti *Euseb.* notat : « id enim reges commovebat, quod evangelicum verbum ad remotissimas gentes pervaderet » ; sim. *Theod. S. Hier. Thom.* et fere interpretes latini et e recentioribus *Bade, Schegg, Mayer, Troch.* a qua acceptione textus quoque hebr. non alienus est; potest enim omnino verti : *quia quibus non est narratum* (אֲשֶׁר... לָהֶם) etc. Sed *Syrus, Chald.* et communiter recentiores vertunt : quia quod non est narratum eis videbunt etc. (cf. *Vat. Mar. Malv. I. Calm. Reinke, Loch, Net. Rohl.* etc.), ita ut ratio cur reges admirentur, in eo consistat quod ipsi quae nunquam annuntiata erant vident et opere compleri ea cernunt quae nunquam audierant, ergo quod talia vident quae humanam cogitandi rationem longe superant; unde mysteria et ea quae homo assequi cogitando non potest iam coram iis fieri indicatur. Sensus non adeo diversus est; nam si reges gentium tali admiratione et veneratione percelluntur et mysteria peragi intelligunt, fieri non potest ut non etiam gentibus congnitio Messiae nota fiat. Unde quod LXX et *vulg.* directe enuntiant, saltem indirecte et implicite etiam in altera acceptione habetur. Ceterum S. Paulus (Rom. 15, 21) verba accurate recitat ex LXX. Ad quam explicationem commendandam etiam fortasse addi potest triplici verbo exaltationis in v. 13 hic in v. 15 triplicem addi sublimitatem in expiatione, in summa reverentia regum, in universa famae eius diffusione constitutam.

Novum caput proprie incipiendum esse a 52, 13 iam veteres adverterunt. Ita v. g. scribit *Salmeron* (opp. t. 10, tract. 9. p. 86; Colon. agrip. 1604) : « *ecce intelliget...* ibi debet incipere capitulum, ut quidam codices habent, ut et exaltatio, de qua ibi est sermo praecedat passionem... ita enim inchoandum esse caput ab eo loco veteres Patres tradiderunt, ut Iustinus dialogo in Tryphonem, Origenes libro primo contra Celsum, Augustinus libro primo de consensu evangelistarum cap. 31 et de Civitate Dei libro 18 cap 29 » ; quos locos vide *M.* gr. 6, 501 (Iustinus incipit a v. 10) ; 11, 760 ; lat. 34, 1065 ; 41, 585. Similiter *Sanct. Lap.*

Communiter textum hebr. in v. 14 et 15 aliter iungunt ; volunt enim comparationem inceptam longiore interrumpi parenthesi et demum apodosi in v. 15 absolvi hunc in modum : quemadmodum obstupuerunt super te multi — adeo deformis erat aspectus eius ut non esset virilis, et forma eius ut non esset humana — sic asperget (exsilire faciet) gentes multas, de eo reges occludent os suum ; ita ut τῷ כַּאֲשֶׁר in v. 14 correspondeat non prius כֵּן quod statim sequitur, sed alterum כֵּן in v. 15 et horrori in quo habitus fuerit Messias opponatur terror et admiratio gentium et regum, parenthesi intericcta autem explicetur eius deformitas qua fuerit ludibrio. Ita textum hebr. concipiunt *Vat. Malv. II.*, refert *Mald.* approbat

Lap. et explicant *Reinke, Loch, Rohl. Ros. Kn. Del. Naeg. Or.*; sensus utique non est ineptus: uti Messias erat abominationi ita erit admirationi et terrori. At duo tamen offensioni sunt. Prius est quod iam monui, enallage personae mira et repentina, si de Messia in *te* est sermo: incipitur enim a tertia persona, fit transitus subito ad secundam et iterum subito hac relicta revertitur ad tertiam. Alterum est longa illa parenthesis interiecta, quae tamen a particula כֵּן incipit et ita comparationi institutae omnino correspondere videtur forma ipsa externa. An non satis durum est et inusitatum priore כֵּן relicto et ad parenthesin reiecto ad alterum longe dissitum confugere, ut absolvatur comparatio? Quae duo offendicula facillime evitaveris, si illud *te* ad populum retuleris; insuper sensum habebis meliorem et uberiorem, cum nexus efferatur inter afflictionem populi et humiliationem Messiae. Porro attende in antecedentibus per formam secundae personae alloquium fieri ad populum; ita v. 11. 12; unde nostro loco idem supponi debet, ut sermo evadat concinnus. Sed quia hanc de populo explicationem obviam et facilem vel non viderunt vel non admiserunt, longam illam parenthesin fingere coacti sunt et prius כֵּן a sede sua et notione avellere.

Verbum נָזָה aliquoties occurrit in *qal* significatione prosilire, spargi, eiaculari de liquido; ita Lev. 6, 20: sanguis spargitur super vestem, 2 Reg. 9, 33 dicitur cum Iezabel praecipitaretur de fenestra: et sparsus est (prosiliit) sanguis eius ad parietem, et apud ipsum Isaiam legimus 63, 3: et aspersus est sanguis eorum (succus) super vestem meam. In hiphil frequentius multo invenitur, sed semper in notione *aspergendi.* Multi tamen pro nostro loco aliam significationem statuunt: exsilire faciet gentes, id quod vel de gaudio et admiratione vel etiam de terrore incusso explicant; ita *Ros. Ges. Eichhorn, Thenius, Ewald, Hitz. Winer, Oehler, Umbreit, Stier, Del. Sein. Kn. Naeg. Or. Rohl.* aliique. Sed quo iure? Pro ea significatione unus hic de quo agitur locus adducitur. Concedit *Ges.* versionem *vulg.* et Syri proficisci ex vulgari radicis usu et posse pro ea provocari ad nomen proprium יַזִּיָּה Esdr. 10, 25 quod vix aliter explicaveris quam: quem consperget i. e. expiabit Iah. Cur ergo alia quaeritur notio? Censet non bene inter se opponi: uti nunc horrore percellit multos, ita is olim expiabit multas gentes. Sed non is plane est sensus; sed id quod maxime congruit, eum despectum et deformitate maxima perculsum expiationem peragere. Etiam hanc movent difficultatem, verbum nunquam iungi cum accusativo rei vel personae quae sit aspersa sed semper cum praepositionibus אֶל, עַל, לִפְנֵי neque unquam omitti id quod spargatur. Ita esse concedi oportet. Sed ea re non cogimur ad alienam prorsus notionem confugere. Nam verbum revera hanc habere notionem *asperget* vel *consperget gentes*, demonstrat tum versio *Aq.* et *Theod.* tum analogia ex verbis similibus petita, quae cernitur in usu et constructione verborum נָטַע plantare et זָרַע seminare; dicitur enim v. g. plantare arborem in horto, in agro, verum etiam: locum conserere vel accusativo duplici: conserere hortum aliqua re; cf. Is. 5, 2. Ier. 2, 21. Ez. 36, 36; hic ergo pro praepositione בְּ vel עַל plantare *in, super* aliquid poni potest accusativus v. g. plantare desertum i. e. plantare in deserto vel desertum plantis conserere. Idem habes in זָרַע; pro אֶל, עַל serere *in* aliquo loco dicere potes accusativum: conserere agrum; id quod satis frequenter occurrit (cf. *Ges.* Thes. p. 432). Idem ergo in verbo notionis analogicae *aspergere* cur locum habere non

posset, ut aspergere transeat in notionem *conspergere*? Rem qua fiat conspersio non addi, mirum non est, quia notio illa ex usu liturgico obvia *expiandi*, aspersione emundandi non necessario illud requirit additamentum.

Alii vocem aliter explicant : *Fürst* ei adscribit notionem *colligendi*; sed locus quo haec notio demonstratur est nullus alius quam hic de quo quaerimus Is. 52, 15 — praeclara argumentandi ratio! *Chald. Saadias, Abenesra* vertunt *dispergel*; LXX θαυμάσονται, quae versio unde explicari possit non liquet. Suspicantur aliqui forte lectionem variantem adfuisse יִשָּׂא quae forma cum פָּנִים coniuncta vertitur θαυμάζειν vel θαυμάζειν πρόσωπον Gen. 19, 21. Deut. 10, 17. 2 Reg. 5, 1. Iob 13, 10; 22, 8. Prov. 18, 5. Is. 3, 3; 9, 15 (cf. *Ges. Reinke*) vel LXX verbum יַזֶּה eo modo explicasse. Alii alias afferunt coniecturas, quas vide si lubet apud *Reinke* p. 66 et *Naeg.* Demum varie tentatus est locus ab aliis : sparget sanguinem multarum gentium (doctus inter Hebraeos apud *Vat.*), loqui faciet gentes de se (*Munsterus, Vat.*), cum admiratione loqui faciet gentes multas (*Pint.*), conciliabit gentes sibi et doctrinae suae etc.; varia iam apud *Malv.* collecta invenies. Neque deerant qui pro יזה aliud verbum coniectura substituerint. Sed non opus erit omnium errores recensere.

b) Servus Domini despectu et dolore oneratus 53, 1-3.

Ab admiratione et veneratione quam servus Domini apud reges habebit transiturus ad descriptionem etiam accuratiorem viae illius contemptu et doloribus plenae qua perveniendum est ad exaltationem vates primo annuntiat se rem dicturum creditu difficilem, ad cuius fidem persuadendam opus est ut in humiliatione illa quis Dei potentiam agnoscat; v. 1 « *Quis credidit auditui nostro et brachium Domini cui revelatum est* »? — auditus, ἀκοή, h. l. ut שְׁמוּעָה est id quod auditur, nuntius, quo sensu etiam *auditus* apud latinos [1] quandoque usurpatur. Interrogationis forma iam indicatur, ut *S. Hier.* dicit, raritas credentium; quae inde explicatur in altero membro, quia potentia Domini paucis facta est manifesta; i. e. adest quidem in re illa per nuntium allata insigne potentiae divinae documentum, at pauci id agnoscunt neque sufficiunt ad illud cognoscendum vires naturales, sed opus est, ut ipsa potentia divina super eum sese manifestet (cf. hebr.), ut ergo Deus peculiari ratione mentem animumque illustret. Est enim mysterium crucis pro multis scandalum et stultitia. Sed hanc viam redemptionis a consiliis humanis adeo alienam Deus docente S. Paulo elegit, « quia in Dei sapientia non

---

1. Cf. *Tacit.* hist. 1, 76 est idem *auditus* ac rumor; *Lucan.* 10, 183. Ad hunc vocis usum et ad textum originalem attendere oportet, ut rite intelligatur illud : fides ergo ex auditu, auditus autem per verbum Dei (Rom. 10, 17) i. e. fides oritur ex *praedicatione*, praedicatio autem fit ex mandato Dei; ita argumentatio apostoli in v. 17 consistit et sequitur ex v. 15 quo praedicatores et nuntios missum iri et mitti debere demonstratur. Utique haec annuntiatio debet *audiri* et ita ex consequente fides oritur ab audiendo; at « fides ex auditu » id proxime et per se non dicit.

cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes » (1 Cor. 1, 21). Uti 52, 13 opus redemptionis documentum declarabatur sapientiae, ita hoc loco potentiae divinae monumentum describitur.

Cum 52, 15 reges et gentes servum Domini venerentur et quod antea iis non erat annuntiatum videant et intelligant, quaestio hoc loco proposita conditionem quandam contrariam in populo israelitico indicare videtur i. e. paucitatem credentium *ex Iudaeis;* ita explicant *S. Hier. Euseb. Cyr. Salmeron, Pint. Sasb. For. Mald.,* quae explicatio concordat cum 65, 1. 2 et etiam ipso loquendi modo commendatur. Nam qui loquentes inducuntur, sunt ipse Isaias et populus, i. e. Isaias uti saepius v. g. 16, 6 et 24, 16 et praesertim 42, 24 et 64, 5 loquitur nomine populi et suo pariter. Id sane pro subsequentibus erit assumendum : et vidimus eum... languores nostros tulit... propter iniquitates nostras... etc.; sed si in v. 2 et seq. Isaias nomine populi loquitur, idem valere debet iam pro nostro versu. Quare auditus noster nuntius est ad nos perlatus; et si Isaias nomine populi effatur paucos credere, id praeprimis de ipso populo valere videtur. Et ita denuo praeclare confirmatur quod toties apud prophetas et praecipue apud Isaiam occurrit paucos ex Iudaeis credituros, atque ad Iudaeorum infidelitatem demonstrandam verba haec allegantur Ioan. 12, 38 et Rom. 10, 16. Attamen haud pauci sensum explicant generalem, ut in universum dicatur paucos credituros tam ex Iudaeis quam ex gentibus (cf. *Osor. Sanct. Lap. Men. Tir. Calm. Reinke, Schegg*). Sed iure, uti videtur, dubitari potest, an paucos in universum credere et huic loco et aliis vatum verbis congruat. Nam vates modo 52, 15 gentes et reges proposuit servum Domini venerantes et 53, 12 magna praeda servo Domini promittitur; in aliis autem locis reliquiae, pauci et sim. de Israel efferuntur, sed si est sermo de gentibus modus loquendi est universalis nullo limite circumscriptus; cf. 2, 3. 4; 11, 10; 25, 6; 49, 21. 23; 60, 3. 8; 65, 1; idemque apud alios prophetas observare licet; cf. Am. 9, 12. Mich. 7, 12. Agg. 2, 8. Zach. 14, 16 etc.

Ceterum quis h. l. loquatur, varie explicant. Aliqui generatim prophetas loqui censent (*Euseb. S. Hier. Cyr.*), vel prophetas et apostolos (*Calm.*), Isaiam et apostolos (*Lap.*), apostolos (*Pint. Mald.*), apostolum aliquem (*Net.*), prophetam nomine omnium Messiae nuntiorum (*Reinke*), Isaiam (*Barh. For. Sasb. Mar. Malv. Tir. Gord. Schegg, Loch*) vel populum iudaicum (*S. Ephr.*) in fine temporum cum sese converterit ad Dominum (*Rohl. Del.* sim. *Naeg.*); immo aliqui etiam gentes ita loqui volebant. Unum vero Isaiam non loqui, iam ex numero plurali constat, cum pluralis maiestaticus eo tempore apud Hebraeos non in usu

fuerit. Induci autem loquentes omnes prophetas, vel apostolos, iam eo incredibile fit, quia nihil tale indicatur; ergo qui loquuntur, erui debent ex contextu. Idem valet de gentibus; praeterea gentes exhibentur vidisse ea quae non erant antea iis annuntiata; neque gentes conqueri possunt de paucitate fidelium. Ergo nil remanet nisi ut propheta loquatur nomine suo et nomine populi. Is enim solus potest concipi respondens Deo qui loquitur 52, 13; sed cum numero plurali loquatur, se cum populo, cuius mentio 52, 14 adest, complectitur. Iuremerito autem populus de nuntio sibi facto loquitur, quia hoc oraculum de humiliatione Messiae iam antea datum est saltem magnam partem (49, 4. 7; 50, 5. 6) et modo iterum indicatum est 52, 14. — Alii quidam quis hoc loco loqui censendus sit, omnino non inquirunt — id quod utique commodissimum est.

Iam quid sit illud quod pauci credent et in quo tamen potentia Dei sese manifestat explicatur, i. e. quis sit nuntius iis factus v. 2 « *et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti; non est species ei neque decor, et vidimus eum et non erat aspectus et desideravimus eum* »; — verte ex hebr. *vidimus eum et non erat aspectus* (forma spectabilis), *ut eum desideraremus* scil. ut eo aspectu delectaremur et eius nobis desiderium gigneretur. Tamquam surculus qui ex trunco in terra abdito, ergo in humili conditione surgat, Messias iam 11, 1 indicatus est; idem habes hoc loco, sed aliqua ratione augetur, cum ex terra arida, ergo sterili, emortua surgere dicatur, quare per se iam intelligitur stirps vel planta macilenta atque depressa. Quia tamen germen est Domini (4, 2) et quia in ea humilitate se sistit Domino et causam suam Domino commendat (49, 2; 50, 5-7), *coram eo* ascendere dicitur; et eo rectius quia Domino adiuvante (50, 7) opus suum peragit, eo inspectante et praesente adolescere dicitur. Est scil. ille surculus, quem Dominus districtum e cedro quae casura erat plantaverat, ut suo tempore erumperet in germen et faceret fructum (cf. Ez. 17, 22. 23). Terram sitientem, aridam, sterilem bene dices cum *Mald.* regnum Davidis penitus collapsum, quod Amos vocat tabernaculum David quod cecidit (Am. 9, 11), id quod similiter etiam 11, 1 exprimitur [1]. In tali virgulto et surculo optime delineatur conditio eius prior humilis, vilis in qua adolescit (cf. *Osor. Sanct. Mar. Malv. Lap. For. Reinke, Bade, Mayer, Troch.*), id quod eo magis fit quia saepius pompa, superbia, fastus hominum arboribus magnificis, cedris v. g., comparatur; cf. Ps. 36, 35: vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani et Ez.

---

1. Idem exprimitur Mich. 5, 1. 2, quo in loco tempore summae humiliationis urbi et iudicis populi dominator ex Bethlehem proditurus dicitur.

31, 3. Dan. 4, 17 etc. Huic origini humili et pauperi conformis est ulterior quoque humiliatio qua affectus est et quae sequentibus verbis describitur : nec forma ei erat neque decor (cf. 52, 14) ; idque cum pondere quodam repetitur : videmus eum et non est species, ita ut eum expeteremus (cf. *For. Mald. Sanct. Mar.*). Uti igitur antea 42, 2. 3 mansuetus, mitis, humilis describitur, ita 50, 6 indicatur, quantopere ipse hanc mansuetudinem debeat exercere, et nostro loco exprimitur quem demum gradum vexationes illae et contumeliae illatae attingant. Duos itaque locos inter se componentes rite explicabimus : in tantum percutietur, vellicabitur, colaphis et sputorum contumeliis onerabitur, ut omnis dispareat venustas, ut aspectus eius nauseam moveat atque fastidium.

LXX et sim. *Syrus* vertunt יוֹנֵק παιδίον ; *Aq.* interpretatus est ἀπὸ γῆς ἀβάτου (cf *Theod. S. Hier.*) ; inde enata est explicatio de Messia nato ex virgine tamquam ex terra inaccessa vel arida, non humano modo rigata et fecundata (*S. Ephr. Theod. S. Hier. Euseb.* ad h. l. et demonst. evang. 3, 2 ; *Sa, Tir.* etc.) vel de virgine paupere et destituta ornamentis, quae homines maximi aestimare solent. Sed cum hic non agatur de ortu Messiae admirabili et divinitus facto, sed de eius conditione humili, *de terra arida* erit explicandum, uti 11, 1 de trunco Iesse, quae explicatio et loco parallelo respondet et surculum exiguum, tenuem, gracilem, qualem terra sterilis edere solet, denotat, ergo id affert quod ex rerum serie hic desideratur. Partus autem virgineus ad gloriam Messiae, non ad eius spectat humilitatem, de qua hic agitur. — Alii textum hebr. ita iungunt et vertunt : « nec ei forma erat nec decor, ut eum aspiceremus, neque species ut desideraremus » (cf. *Reinke, Rohl. Ges. Kn.*) ita iam *Sym.* vertit : οὐκ εἶδος αὐτῷ οὐδὲ ἀξίωμα ἵνα εἰδῶμεν αὐτὸν (apud *Procop.*). Quamvis negari non possit textum hebr. posse ita verti et concinnitatem quandam in ea cerni versione, tamen alteram praeferendam esse censeo ; *videre eum,* רָאָה iunctum simpliciter cum obiecto, non dicit : cum voluptate et gaudio videre, qui sensus hic tamen requiritur et ad quem habendum praepositio בְּ ponenda esset ; dein prior acceptio, uti est verbis magis consona, ita rem vividius proponit : videmus eum et non est aspectus vel species, ita ut... hisce scena ad vivum oculis subiicitur ; demum ea conformis est accentibus *mas.* — *Syrus* vertit : et videntes eum non habere formam, repudiavimus (seu abnegavimus) ; sed propterea alia lectio non est statuenda, sed *Syrus* sensum maiore vi protulit. — LXX : annuntiavimus coram eo ὡς παιδίον, ὡς ῥίζα ἐν γῇ διψώσῃ ; in aliquibus legitur ὡς πεδίον et ita explicat *S. Cyr.* : « erimus coram eo quasi campus i. e. quasi ager floridus et frugifer, vel etiam ut radix in terra sitiente irrigante nos scil. divinis et arcanis sermonibus Unigenito ». Sed melius textum graecum explicant *Euseb. Theod.* in radice cernentes eum de quo 11, 1 erat sermo ; etiam *S. Hier.* graecum textum eodem modo exponit : « annuntiavimus quasi parvulum in con-

spectu eius; sicut radix in terra sitienti... scil. ut virginitatis privilegium demonstraret, quod absque ullo humano semine de terra prius invia sit creatus ». Demum pro *desideravimus eum* LXX praebent : οὐδὲ κάλλος non habebat speciem neque decorem (*S. Hier.*); forte legerunt vel explicarunt נֶחְמָדָה a נָחְמַד *suavis, pulcher (Reinke).*

Immo eiusmodi est eius aspectus ut eum non solum non desiderarent, eo non delectarentur, verum potius eum considerarent et haberent v. 3 « *despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum* »; — ita quae 50, 6 indicata sunt magis magisque explicantur. Contemptus et dolores summo quodam gradu in servo Domini cernuntur : *despectus (erat) et vilissimus hominum, vir dolorum, sciens infirmitatem* (quasi eius gnarus, eam maxime expertus) *et sicut absconsio facierum ab eo* (cf. *Mar. For. Malv.*) i. e. ut talis a quo quis faciem et vultum avertit et prae horrore abscondit; ita ex hebr. In qua vultus aversione maxima exprimitur nausea, quae doloribus eius et deformitate incutitur, et maximus quoque horror et abominatio qua ab eo refugiunt. Cum vocetur vir dolorum, expertus infirmitatem, tormenta et cruciatus eum subiturum esse clare denotatur. Cum talis appareret, non reputavimus eum i. e. non eum aestimabamus, nomine populi dicit propheta; pauci enim sunt ex v. 1 qui nuntio ad se perlato fidem adhibent; plerique ergo eum in forma humili apparentem revera spernent, nihili aestimabunt. Uti ergo alias propheta populi nomine ad eos edocendos et ut in formam orationis eis praeeat, dicit : peccavimus : quare errare nos fecisti de viis tuis etc. (42, 24; 63, 17; 64, 5), ita hoc loco id enuntiat quod natio iudaica faciet et quia est revera culpa nationalis, etiam se comprehendit : non reputavimus eum. Quomodo singula accurate in Christo impleta sint, accurate prosequuntur *Salmeron, Pint. Lap.* quos videsis.

Hebr. חדל אִישִׁים *S. Hier.* vertit *novissimum virorum*; eodem modo *Sym.* ἐλάχιστος ἀνδρῶν; LXX ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων; חדל est proprie *deficere*, deesse, cessare; unde aliqui explicant : deficiens virorum i. e. qui ab aliis est relictus et desertus (*Kn. Del.*). Verum alii negant חָדֵל dicere *desertum*, sed dicere potius deserentem; capiunt verbum notione *desinere* et explicant : is qui desinit inter homines scil. homo esse; ergo qui tali forma apparet ut iam non sit homo. Hanc explicationem iam proponunt *For. Malv.* apud *Sanct.* et sequuntur inter recentiores *Reinke, Bade, Mayer, Hengstenberg, Naeg.* et ea videtur voci prorsus consona. *Hahn* putat obstare parallelismum : ipse explicat : vitatio virorum i. e. Messias is est a quo recedunt, quem vitant viri Israel; sim. *Or.*; *Syrus* exponit de homine humili vel vili.

Hebr. יְדוּעַ חֹלִי optime vertitur *gnarus* vel *expertus morbis* ; *Sym.* reddit γνωστὸς νόσῳ et eodem modo *Aq. Theod.* quos multi secuti sunt explicantes : *familiaris morbo, notus morbo* ; sed haud abs re advertit *Del.* eam notionem potius exprimendam esse per מְיֻדָּע vel מוֹדָע. *Naeg.* vertit : *insignis morbo* (Deut. 1, 13. 15) quia haec vox illis in locis dicat illustrem vel insignem virum ; ergo designari eum qui per morbum suum vel morbi ratione habita illustris et celeber sit. Sed bene iam et simplicius LXX εἰδὼς φέρειν μαλακίαν ; et sim. *Syrus.* Quod ipsam formam attinet, confer אָחוּז *tenens* (Cant. 3, 8), בָּטוּחַ *confisus* Is. 26, 3. Ps. 112, 7 etc. ; *notus* vero vel *familiaris* exprimitur forma מְיֻדָּע Ps. 31, 12 ; 55, 14 ; 88, 9. 19. Is. 12, 2 vel מוֹדָע vel מֹדָע Prov. 7, 4. Ruth 2, 1 ; 3, 2.

Hebr. כְּמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ vertit *S. Hier.* quasi absconditus vultus eius, et explicat : « ut humano corpore divina potentia celaretur » ; proinde hebr. intellexisse videtur : abscondens vultum a nobis vel obvelans. Legit ergo vel מַסְתִּיר (quod quattuor codices exhibere dicuntur ; cf. *Ges.* Thes. p. 975 ; *Reinke*) vel מַסְתֵּר participium more chaldaico elatum censuit ; etiam aliqui recentiores eodem modo *obvelans* explicant (*Ges. Hengstenberg* et iam apud *Mald. Malv. IV*) et allusum putant ad Lev. 13, 45, ut sensus sit : est quasi leprosus ab hominum consortio separatus et faciem obvelans ex lege Lev. 13, 45 (*Malv.*) vel qui prae pudore et deformitate faciem suam abscondit. Ad hanc acceptionem etiam referri videtur versio LXX ὅτι ἀπέστραπται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ quia aversa est facies eius et *Aq.* ὡς ἀποκεκρυμμένον et *Chald* : subtrahebat vultum maiestatis a nobis. — Alii etiam participium agnoscentes non *a nobis* vertunt, verum *ab eo* et participium sensu plurali accipientes vertunt : sicut is a quo faciem obvelant homines ; ita iam *Payninus, Malv. II. Ges.* in comment. ; at ea structura tamen durior videtur. — Alii explicant : sicut qui occultare facit faciem a se. Sed propter rationem punctorum plerumque substantivum statuunt : absconsio et explicant, uti supra dedi. Quam explicationem totius versus habitudo sibi postulare videtur, neque enim id effertur, quomodo ipse se erga alios exhibeat, sed quomodo alii adversus eum et quid alii de eo sentiant ; iste quoque sensus ad 49, 7 congruit. — Substantiva eo modo formata satis frequenter in usu sunt. In aliis interpretationibus aut forma participii statuitur inusitata apud Hebraeos aut etiam quod durius est huic formae adiungitur notio quae verbo non inest ; nunquam enim סתר hiph. significat *fecit* abscondere, occultare, obvelare, verum semper *abscondit, occultavit, obvelavit* (cf. *Ges.* Thes. p. 975. *Reinke* l. c. p. 106).

c) **Servus Domini vicariam praestat satisfactionem 53, 4-6.**

Iam 50, 4 seq. obedientia servi Domini opponebatur inobedientiae populi ; 52, 14 afflictio populi aliquo modo tamquam causa asserebatur cur servus in tam vilem ac despectam conditionem esset redigendus ; 52, 15 dicebatur servus *ita,* tali ratione, in ea conditione positus expiare gentes : hisce via sternebatur ad id quod iam explicite et conceptis verbis declaratur, scil. servum talia pati ut pro nostris culpis satisfactionem praestet vicariam. Ergo cur et quo fine eiusmodi contumelias subiturus sit servus Domini, vates docet v. 4 « *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit et nos putavimus eum quasi lepro-*

sum et percussum a Deo et humiliatum» ;—duo explicantur, cur servus talia sustineat et qualis tamen habeatur ab hominibus. Cum magna vi et affirmatione effertur eum in se tamquam onus magnum assumpsisse et gestasse *nostros* morbos et dolores; unde *vere,* profecto, sane; quae vis voci אָכֵן inest et hoc loco eo magis retinenda est (relicta adversativa notione *at,* vero), quia in hac ipsa sententia alterum membrum priori opponitur : nos vero putavimus. Particulam affirmativam exprimunt *Syrus, Sym.* ὄντως et aequivalenter LXX οὗτος *hic* cum emphasi in initio sententiae. Cum in antecedentibus de maxima illa deformitate et contemptu quo apparet servus Domini sermo fuerit, nunc ipsa verborum collocatione cum pondere docetur, *nostros* morbos illum ferre et sustinere; proinde in statu illo despicatissimo cerni nostros morbos i. e. dolores, poenas, castigationes quas nos meruimus et quas nos portare et exsolvere iuremerito deberemus; *nostri* sunt morbi et dolores qui a nobis, non ab ipso erant perferendi. Ipse *tulit* i. e. in se assumpsit et luit poenas et ita nos expiavit. Expiationem et satisfactionem hisce enuntiari verbis clare patet idque etiam interpretes Iudaei et rationalistae ultro agnoscunt. Ita scribit *Iarchi,* eum castigatum esse ut per eius (Israelis) castigationes omnes gentes expiarentur : plagam quae debuit venire super nos ille tulit; et *Kimchi :* existimandum est mala quae nobis perferenda essent in illos congesta esse, ut nos iis expiaremur (apud *Ros.*). Eodem modo *Kn.* : « poenas peccatorum quas nos meruimus et quae nobis infligendae erant, ipse pro nobis luendo exsolvit » et sim. *Ges.* : « *noster* morbus est ille qui in poenam nobis non illi erat infligendus ».

Discrimen amborum verborum bene exprimitur in allegatione textus apud Matth. 8, 17 : ἔλαβε in se assumpsit, tulit, pertulit et ἐβάστασε ut onus grave portavit; hebr. נָשָׂא et סָבַל. Prius notionem habet *ferendi* et *tollendi*; hoc loco ob membrum parallelum et ob nexum cum antecedentibus prior notio est seligenda, qua vox saepe adhibetur; cf. Lev. 17, 16; 20, 19; 24, 25. Etiam dicitur quando aliquis pro altero expiat, v. g. Lev. 10, 17 : ut portetis iniquitatem multitudinis et rogetis pro ea in conspectu Domini; sim. Ez. 4, 4 : et assumes (נָשָׂא) iniquitatem eorum. LXX vertunt nostro loco φέρει; *Sym.* ἀνέλαβε. Cum voci etiam insit notio *tollendi, auferendi,* aliqui ita explicarunt: languores nostros abstulit (*For. Sa, Mar.*), sed bene iam notat *Sanct. Lap.* סבל proprie significare portare et gestare onus et certum esse Isaiam loqui de doloribus a Christo susceptis; quare iuremerito fere omnes etiam pro membro primo eandem notionem retinent. Illos autem potissimum movit allegatio apud Matth. 8, 17, quo in loco Christus « omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : ipse infirmitates nostras accepit.. ». Sed argumentatio evangelistae optime consistit in priore acceptione quae unice in contextum pro-

phetae convenit; nam quia Christus revera peccata expiat, propterea etiam potestatem habet auferendi et sanandi peccatorum sequelas, morbos; hosque sanando ostendit se illum esse qui satisfactione praestita nos expiat. Expiatio ergo peccatorum et ablatio sequelarum peccati inter se connexa sunt, uti causa et effectus; unde evangelista ex effectu qui cernitur in Christi sanationibus arguit ad causam et dicit eum potuisse sanare, quia is erat qui vere expiaturus esset; ergo in sanationibus a Christo factis impletur i. e. cernitur et demonstratur id quod hoc loco Isaias de Christo asserit, eum scil. expiare nostra peccata; in sanationibus illis iam adest et operatur meritum (anticipatum) eius satisfactionis et quia est propitiatio pro peccatis, ideo hanc ei potestatem contulit Deus.

Ad quam rem apte monet *Lap.*: « sicut peccata nostra in cruce portavit et expiavit, sic consequenter et morbos, adeoque in se habuit potestatem eos curandi quia eos in se luendo suscepit; ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. in Matth. 8 et Orig. in c. 8 et 15 ad Rom.; hoc est quod ait Hilarius, citatus a S. Thoma in catena Matth. 8: Christus passione corporis sui secundum prophetarum dicta infirmitates humanae naturae imbecillitatis absorbuit »; sim. *Tir. Calm.* et *Sanct.* scribit: « dicendum puto primo locum istum accipiendum esse tam a propheta nostro quam a Matthaeo de peccatis, ut scholastici dicunt directe atque primario, ut sentiunt communiter utriusque scriptoris interpretes exceptis quod ego viderim tantum *Caietano* et *Foreiro*, et probant quae statim in eodem capite sequuntur neque ullus iuxta LXX translationem dubitare potest, sic enim illi: *iste peccata nostra portat et pro nobis dolet* ». Quam interpretationem ex LXX depromptam in sacra liturgia legimus. Ex hoc loco olim haud pauci multiplicem sensum literalem s. Scripturae inesse ostendere conabantur, de qua re vide *Cornely*, Introd. I p. 523. Iam *Sanct.* adnotat: « quidam duos esse putant literales sensus; sed valde controversum est an tales esse possint eiusdem literae, nisi illi in aliquo ordine ita coniungantur, ut alter alteri supponatur. Quod hic qua ratione fiat non apparet: quia neque alter alterius potest esse typus neque alterius alter videri potest typicus vel historicus, ut optime *Gabriel Vasquez* in 1 p. S. Thom. disp. 18 cap. 5 ».

Neque illi satis accurate explicant qui languores accipiunt languores animae i. e. peccata (ita *Mald. Gord. Pint.* et in comment. *Sanct.*); si *S. Hier.* scribit: « languores nostros et peccata portavit » solum quod saepe facere assolet et textum hebr. et versionem graecam in unam coniungit sententiam. Sensus verborum proprius est quem bene exprimit *Osor.*: « morbos et aegritudines nostris sceleribus debitas excepit et dolores qui nobis erant subeundi sustinuit », intelliguntur enim poenae peccatis debitae et has in se suscepisse directe et per se dicitur.

In altera versus parte propheta id enuntiat quod animis plurimorum ex Iudaeis incredulis scil. (cf. v. 1) revera inhaesit, ita ut oppositio efferatur inter opinionem vulgi et rei veritatem. Longe enim aberant Iudaeorum plurimi, ut in Christo patiente agnoscerent expiatorem. Simul af-

flictio servi Domini ulterius describitur; ita scil. forma eius erat miseriis obruta, ut qui ex externa specie iudicium ferret diceret eum esse afflictum, a Deo percussum et oppressum. Vox נגע saepius usurpatur de plaga divinitus inflicta (cf. Gen. 12, 17. Ex. 11, 1. 1 Sam. 6, 9. Ps. 38, 12; 39, 11; 73, 14. Iob 19, 21 etc.) et cum talis plaga praesertim lepra censeretur, elucet cur *S. Hier.* exposuerit *leprosum*. De plaga leprae saepius instituitur sermo; cf. Lev. 13, 3. 6. 22. 25. 27. 29. 30 etc. ita quidem ut נֶגַע etiam per se dicat lepram (cf. Lev. 13, 13. 17. 42.). Notat *S. Hier.*: « et nos putavimus eum esse immundum sive *in dolore*, ut LXX transtulerunt, pro quo *Aq.* et *Sym.* posuerunt *leprosum* [1], Theodotio *flagellatum*; quod aliis verbis hebraico idiomate lepra intelligitur .... et est sensus : putavimus eum pro peccatis suis a Deo percussum, qui humiliatus est propter nos ». Tribus illis verbis maximum quoddam afflictionum pondus declaratur, et ut *Sanct.* apte monet, ex hisce quoque praecedentium verborum sensum docemur, servum scil. Domini super se tulisse hominum languores et non tantum ab illis liberasse, sed etiam in se derivasse ex illorum debitis dolorem atque ignominiam; « revera lepra nostra et nostri languores ipsum deformarunt et dolores nostri ipsum dolere fecerunt ».

Contra externam illam speciem qua quis putet eum Deo odiosum adeoque a Deo foede percussum, vates cur afflictus fuerit iterum iterumque verbis quam maxime propriis ita proponit, ut simul dolorum eius genus modumque accuratius delineet v. 5 « *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus* »; — quater effert vates servum Domini causa nostra et ad nostrum bonum sustinuisse percussionem et quidem bis docet eum propter peccata, bis propter bona nobis promerenda dolores subiisse. Hebr. potius vertes cum compluribus (*Malv. Reinke, Nel. Mayer, Rohl. Troch. Kn. Hahn, Del.*) *transfossus est* (confectus est *Vat.*) et *Syrus* statim vertit : ipse occisus propter peccata nostra, dum LXX vulnerationem exprimunt αὐτὸς ἐτραυματίσθη, *Aq.* autem βεβηλωμένος (profanatus est; cf. חלל Ez. 36, 23); dicitur ergo vi vocis perfossus vel vulneribus transfixus *ex* nostris defectionibus, ex nostra apostasia vel violatione foederis multiplici

1. Ut statim subdit *S. Hier.*, vertit *Sym.* ἐν ἁφῇ ὄντα. *Aq.* ἀφημμένον. Est ἁφὴ in versione LXX vox usitata pro plaga leprae. *Aq.* more suo verbum ἅφάομαι commentus est (cf. *Field*); rite illud ἀφημένον (Ionum more pro ἡφημένον) explicat *S. Hier.* leprosum, « quod multi non intelligentes putant *relictum* et alii legunt καθήμενον, id est sedentem » (*S. Hier.*). An ita *legerunt* vel potius ex homerico ἀφήμενος (i. e. ἄποθεν καθήμενος Hesych.) ita explicarunt (cf. *Field*)?

(cf. פֶּשַׁע 1, 2); dein *contritus* vel *contusus* (hebr.), *Aq.* συντετριμμένος (vel συνετρίβη apud *Euseb.*) *ex* iniquitatibus nostris. Ad quae verba *Del.* notat non adesse in lingua hebr. voces quibus efficacius et clarius mors declaretur ac describatur violenta et cruciatibus tormentisque plena. Nostra delicta et peccata exhibentur per particulam מִן (vim habet τοῦ ἀπὸ iuncta cum passivis; *Del.*) tamquam illa, *propter quae* sit transfixus et contusus; unde LXX διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν et *S. Hier.* propter iniquitates nostras et *Syrus* propter peccata nostra accurate sensum expresserunt, neque ab hac acceptione verborum interpretes rationalistae recedunt.

Verum in doloribus servi Dei etiam maxima pro nobis bona continentur; haec in altera versus parte bis quoque proponuntur; hebr. *castigatio pacis nostrae super eum et vibicibus eius* (vel tumoribus, livoribus) *sanatio nobis* (vel proprie sanatum est nobis i. e. sanati sumus). Castigatio vel poena, מוּסָר, LXX παιδεία, ei est imposita, et haec castigatio ea est qua efficiatur pax nostra, qua pax nostra concilietur; dicitur enim *castigatio pacis nostrae* eodem modo uti v. g. timor Domini disciplina sapientiae (Prov. 15, 33) quae scil. ducat ad sapientiam, cuius finis et effectus est sapientia. Sensum ita effert *Kn.* interpres rationalista : ad nostram salutem tulit poenam peccatorum divinae iustitiae satisfaciens, Iahve autem peccatis per ipsum expiatis nobis denuo prosperitatem largitur et salutem; atque eodem modo omnes interpretes verba exponunt. Duo bona *pax* et *sanatio* describuntur; *pax* bonum est messianicum [1] et cumulus quidam ac comprehensio omnium (cf. 9, 6. 7); optime additur *sanatio* quae est quasi via ad perfectam pacis possessionem. Mala nobis per peccata illata dicuntur sanari; innuitur ergo restitutio in conditionem illam plenam vigore, optime constitutam, ex qua peccatorum morbis corrosi excidimus. Nostra ergo vulnera sanantur per *vibices eius;* est enim חַבּוּרָה plagarum vestigium lividum in cute remanens (*Ges.*) cf. Is. 1, 6 et dicit vibicem, tumorem aut livorem in carne plagis, verberibus aut flagellis ortum (*Reinke*). Efficax quoque cernitur inter se oppositio quam describit *Osor.* : « illa vulnerum deformitas, ille corporis contusi livor sanitatem vulneribus nostris attulit et illius tormentis e morbis mortiferis quibus opprimebamur emersimus ». Hisce edocemur clare et perspicue, cur demum 49, 7 magnifica promissa dicta sint *ad* animam contemptam,

---

1. Audi *Sanct.* : « pax, ut alibi a nobis dictum, est quidquid pulchrum et pretiosum, quidquid denique in quoque genere optabile est. Iuxta hanc significationem et usum sensus est elegans et gravis : super illum fuit disciplina et flagellum, qua nobis acquisivit ac peperit bona illa maxima atque mirifica, quae *pacis* nomine significantur, puta coelestia dona, gloriae splendorem et amplitudinem, ea denique quae sapientes et divino instituti magisterio vera iudicant bona ».

ad abominationem vulgi; ex eius enim vulneribus efflorescit salus. Singula praeclare ex Christi passione illustrant *S. Cyr. Hier. Lap.*. satisfactionem vicariam exprimi demonstrant iidem et *Euseb. Theod.*; ex recentioribus *Reinke, Bade, Schegg* et ex protestantibus *Del. Naeg.* aliique. Ad sermonis ubertatem qua vates utitur apte haec scribit *Sanct.* : « vix a se ipso videtur impetrare posse propheta magnus, ut cogitationem avertat, spiritum temperet aut linguam cohibeat a suavissimo hoc et nunquam non renovando beneficio, quo Christus languores nostros in se recepit, ut a nostris nos infirmitatibus liberaret; lividi nos eramus et ulceribus foedi... sed dum ille lividus est ab illis vulneribus quae propter aliena merita passus est, id est consecutus, ut nos sanati non solum a vulneribus sed etiam a vulnerum livore et cicatricibus mundi simus ac puri ». Ad hoc oraculum conferendum monet *S. Hier.* Ps. 21; idque optime.

Demum ipse vates etiam clarius ac distinctius explicat quid sit *propter iniquitates nostras* etc. v. 6 « *omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* »; — populus theocraticus saepe sub gregis nomine et symbolo exhibetur (cf. 40, 11); sed cum grex ille destitueretur bonis pastoribus (cf. 1, 23. Ez. 34, 5 seq. Ps. 118, 176) oves dispergebantur ac vagabantur; i. e. unusquisque a recta via deflectebat et sua quisque studia perversa et concupiscentias sectabatur; unde *declinavit* a recta via et in *suam viam* se convertit vel ex hebr. *in suam quisque viam nos convertimus*. A vero tramite aberravimus et quo malum augetur, suam quisque libidinem prosequebatur; « quidquid ergo peccant deviae atque stolidae oves dum sua se voluntate agunt, id totum propheta Christo impositum esse affirmat » (*Sanct.*); ergo *nos* peccavimus, *ille* autem a Deo punitur; Deus ab eo poenas pro peccatis populi luendas exegit, ita *Kn.* quoque verba explicat et hunc sensum et satisfactionem vicariam etiam textus hebr. clare exprimit : *Iahve ei immisit* (in eum incurrere fecit, *Salmeron, Vat. Malv. For. Lap.* et communiter recentiores) *iniquitatem omnium nostrum;* ergo ipse Deo volente portabat peccata nostra, ei imputabantur, « ut quod propter imbecillitatem virium ferre non poteramus, pro nobis ille portaret » (*S. Hier.*). Ad quae *For.* monet : « hic mecum, christiane lector, considera peccata tua ac mea partem illius exercitus exstitisse qui in Christum irruit ». Bene sensum quoque reddidit *Sym.* : κύριος δὲ κατηντῆσαι ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τὴν ἀνομίαν πάντων ἡμῶν. LXX παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν, id quod *Euseb.* explicat : « se tradidit Dominus pro (ὑπὲρ) peccatis nostris, ut fieret ἀντίψυχον καὶ ἀντίλυτρον ἡμῶν », et *S. Cyr.* : « Deus et Pater propter peccata nostra tradidit eum, ut nos a poena absolveret credentesque salvaret ».

Pauci sunt ex protestantibus qui ex hoc loco satisfactionem vel poenam vicariam removere conantur, explicantes הִפְגִּיעַ בְּ fecit ut in eo culpa omnium impingeret vel frangeretur (cf. *Stier*); verum plerique rite vertunt : in eum irruere, incurrere fecit, incidere fecit (cf. *Ges. Kn. Del. Sein. Naeg. Or.*), qua cum acceptione *Syrus* quoque concordat. Cernunt aliqui expressam imaginem ferae hostiliter irruentis (*Ros.*) vel hostis irruentis in eum et exercitus (*Kimchi, For. Mald.*). Codex unus praebet הִגִּיעַ coniunxit in eo vel admovit (cf. *de Rossi*). *Sym.* et *S. Hier.* exhibent cum textu hebr. numerum singularem *iniquitatem,* LXX, *Syrus, Chald.* vero pluralem.

d) **Libere patitur, moritur, sepelitur 53, 7-9.**

Hucusque vates exposuit quid servus Domini sustineat et cur, pro quibus, in quem finem. Iam nobis declarat *quomodo* sustineat, quo scil. animo hanc pro nobis praestet poenam et satisfactionem vicariam subeat; depingit scil. magisque explicat, quod supra tetigerat : ego retrorsum non abii (50, 5) pariterque nobis ostendit quanto ambitu valeat illud 42, 4 : non languescet neque infringetur, donec ponat in terra ius (hebr.). Unde v. 7 « *Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum* » ; — i. e. libere patitur et summa animi demissione et patientia se vexandum et occidendum aliis permittit ita, ut in nulla re obsistat neque se ab iniuriis defendat. Haec summa est enuntiationis, in quam et textus hebr. et LXX, *Syrus, Sym. Theod.* et *vulg.* conveniunt. Id quod vertit *S. Hier. oblatus est,* ipse de sacrificio minime intellexit, verum explicat : « qui igitur *oblatus est* Pilato quia ipse voluit, et non respondit, ut patibulum pro nobis damnatus ascenderet, ipse sicut ovis ad occisionem ductus est » et « si non propria voluntate esset oblatus, qui indicare et praedicere poterat proditorem et apostolis loquebatur : omnes vos in hac nocte in me scandalum sustinebitis, poterat eos qui ad se missi fuerant declinare, quibus occurrit intrepidus et ultro *se obtulit* dicens : quem quaeritis ». Unde constat, *S. Hier.* vocem offerendi in ea notione h. l. accepisse qua dicitur sese sistere, sisti alicui. Secutus est *S. Hier.* in versione sua interpretationem *Sym.* προσηνέχθη, quam vocem *Euseb.* explicat : « cui vero oblatus est nisi Pilato » ? et sim. *Procop.* Textum hebr. verte : *vexatus est* (exagitatus, male tractatus), *ipse autem submisit* i. e. patienter tulit, placate toleravit ; LXX solum praebent hoc loco : ipse propter afflictionem (διὰ τὸ κεκακῶσθαι) non aperuit os suum ; *Syrus :* accessit et humiliavit se. Unde plerique quoque interpretes latini in voce illa *oblatus est* explicanda iure merito de notione sacrificii tacent (cf. *Osor. For. Sasb. Mald. Sa, Mar. Malv.*

Tir.) et *Sanct.* explicite monet verbum *oblatus est* Matth. 18, 24 de eo dici qui alicui sistatur et explicat h. l. de Christo quasi de fideiussore qui severe iubetur pro debitore solvere eoque nomine iudicio sistitur. Item *For.* exponit : « accessit et ipse afflictus est i. e. accessit ut pateretur; quod quid aliud est quam oblatus est quia ipse voluit »? Neque tamen desunt alii qui rationem sacrificii in voce deprehendunt; ita *S. Thom.* : Deo Patri pro nobis hostia oblatus est; ita *Haimo, Pint. Lap. Men. Calm.*, quamvis non semper satis discerni possit, utrum eam notionem eliciant ex hac voce an potius ex comparatione cum agno.

Cum igitur verba *vulg.* si fieri potest non explicanda sint ita, ut aliquid plane novi ingerant quod in textu hebr. non adest et cum insuper attendi oporteat, quo sensu ea verba ab interprete *S. Hier.* posita sint, nescio an laudandi sint qui v. g. germanice vertunt: er ist geopfert worden vel gallice: il a été immolé i e. sacrificatus est (cf. *Schegg, Bade, Loch* etc.); id enim textu sacro contineri pronuntiant, quod neque in textu originali adest hoc loco, neque apud LXX neque apud ipsum *S. Hier.*; verba ergo interpretantur contra textum et sensum ipsius illius qui haec verba posuit. Estne qui ita interpretatur, *fidus* interpres, qui docente *S. Hier.* non syllabas aucupari sed sensum et sententiam quaerere debet? Ceterum notio sacrificii habetur 52, 15 et 53, 10.

Versiones a *Sym.* προςηνέχθη et a *Syro* accessit (קרב) datae et etiam *vulg.* (nisi *S. Hier.* quod saepe facit versionem *Sym.* simpliciter adoptavit) illam supponunt lectionem hebr. quae revera in aliquibus codicibus et nonnullis editionibus invenitur נִגַּשׁ (cf. *de Rossi*) quae vox habet notionem appropinquandi et accedendi et in niphal usurpatur נִגַּשׁ. Lectio hebr. communiter recepta est נִגַּשׂ (cum *sin*) quam vocem plerique vertunt : oppressus est, saeviter tractatus, vexatus est; eandem formam I Sam. 13, 6 vertit *S. Hier.* *afflictus est* eademque legitur 1 Sam. 14, 24; saepe verbum adhibetur in *qal* v. g. Ex. 5, 6. 10. 13. 14. Is. 3, 12; 9, 3; 14, 2. 4 exactor (*vulg.*), idem Iob 3, 18. Cum verbum etiam dicatur de eo qui debitum urget et exigit, vel tributum vel pecuniam (cf. Deut. 15, 2. 2 Reg. 23, 35), aliqui verbum eo sensu acceperunt, ut servus Domini quasi fideiussor severe iubeatur debitum solvere (cf. *Sanct.*; alios vide apud *Reinke* p. 135; *Mayer*), quae sententia utique cum antecedenti versu cohaeret : posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; at sensus : urgebatur ad debitum solvendum, non placet, nam *urgeri* is non debet qui ita promptam suam voluntatem professus est (cf. 50, 5); neque placet accipi : poscebatur vel repetebatur ad debitum solvendum, cum notio *debiti* adeo spirituali modo capi probari neutiquam possit ex veteris foederis s. literis et speciatim non de hoc nostro verbo.

Alterum verbum in hac prima enuntiatione est נַעֲנֶה, quae vox de se posset significare *depressus est, afflictus*; sed cum ad antecedens verbum adnectatur forma emphatica *et ipse* vel *ipse autem*, certe non potest esse synonymum priori. Quare exprimitur quomodo afflictionem subierit : ergo *submisit se*, se subiecit, patienter tulit; quam notionem prae se fert Ex. 10, 3 et quae etiam ex vi

et potestate vocum עָנִי et עָנָו colligitur quibus afflictus isque mansuetus et mitis designatur. Dein haec significatio hic sequentibus confirmatur eamque etiam plerique sequuntur (cf. *Reinke, Schegg, Bade, Net. Mayer, Rohl. Troch. Ewald, Sein. Del. Naeg. Or.*). Unde versio *S. Hier.* quia voluit *sensui* conformis est; forte vocem explicuit *respondit* quae notio voci ענה frequenter inest et etiam in niphal (vide Ex. 14, 4. 7), ita ut servus Domini alacriter responderet Domino ad passionem vocanti (cf. 50, 2. 4), uti Hebr. 10, 7 innuitur: tunc dixi: ecce venio. — Alii retinent significationem: afflictus est (cf. *Malv. For. Ges. Kn. Hahn*); cf. Is. 58, 10; et similiter in *vulg.* quoque exprimitur Ps. 118, 107 humiliatus sum.

Iam quomodo se afflictioni submiserit et quam patienter tulerit, comparationibus duabus illustratur: hebr. *et non aperuit os suum sicut agnus qui ad mactationem ducitur et sicut ovis quae coram tonsoribus suis obmutescit, et non aperuit os suum;* sententiae interiectae *ducitur, obmutescit* ad agnum et ovem pertinent, uti ex forma verbi feminina in altero membro elucet; si autem verti debet: sicut ovis quae obmutescit, idem consequitur pro priore comparatione; adde quod *mactatio, laniena, iugulatio* טֶבַח melius de pecude dicitur (cf. Is. 34, 6); et ita textum hebr. explicant *Vir. Malv. Reinke, Bade, Mayer, Net. Rohl.* etc. et communiter recentiores, quamvis *S. Hier.* aliter intellexerit scribens: « ipse sicut ovis ad occisionem ductus est et quasi agnus coram tondente obmutuit ». Bis effertur de servo Domini: non aperuit os suum; compara 50, 5: ego autem non contradico; sed qui ita vexatus, uti v. 2-5 descriptum est, ne unam quidem vocem querelae vel increpationis vel minarum emittit, is sane summae mansuetudinis et patientiae exemplum omni admiratione dignum exhibet. Id ipsum bis quoque comparationibus effertur: « sicut agnus cum ducitur ad victimam non repugnat, sic ille passus est voluntate » (*S. Hier.*); agnus enim non repugnat sed ultro sequitur ducentem, quia nescit instare lanienam, ille eadem promptitudine subiit vexationes quamvis sciret quae et quantae essent et qua morte durissima essent finiendae. Idem in altera comparatione; « ad tondendum suo tempore abducuntur oves et pastores illis novaculas admovent; quae etsi patiantur (interdum etiam cultro pellem attingente moerent), ferunt et silent et in eos qui hoc faciunt non insiliunt; ita Christus conviciis appetitus convicia non regessit, patiens non minatus est, sed iuste iudicanti rem commisit » (*S. Cyr.*). Nos erravimus sicut oves, ille mansuetus et silens ut ovis et ut agnus ad victimam ductus cruciatus patienter perfert nosque sua immolatione expiat (*Sanct.*). Quamvis igitur illud *quia ipse voluit* totidem verbis non sit in hebr., sensus tamen plene et integre adest; dicitur enim *se submisit;* dein haec patientia ita de-

scribitur, ut is qui habet omnem resistendi potestatem et plenissime scit quid sibi vexatores et carnifices illaturi sint, os non aperiat ad querelam verum se tradat et committat vexatoribus eadem promptitudine, obedientia, sicut agnus et ovis ad mactandum vel tondendum; hisce in *tali* homine voluntaria et libera sui traditio depingitur. Nota, quam sedulo evangelistae silentium Christi in passione literis consignaverint (Matth. 26, 63. Marc. 14, 61). Plura quae hic pie meditantibus fere sponte sua sese offerunt vide apud *S. Cyr. Hier. Pint. Sanct. Lap.*

Quod comparatione agni qui ad mactationem ducitur instituta iam fere indicatur, servum scil. Domini morti esse addicendum, propheta iam ita exsequitur, ut mortem eius mortisque adiuncta quaedam clare proponat. Ad hoc demum culmen descriptio passionis progreditur, postquam edocti sumus, quid antea sit passurus, quem in finem, et quomodo sit cruciatus subiturus. En igitur quam arcte et apte tota oratio contexatur; v. 8 « *de angustia et de iudicio sublatus est; generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum* »; — primum dicitur : ex oppressione violenta et iudicio ablatus est; qualis sit ablatio, declaratur verbis illis : quia abscissus est de terra viventium vel excisus e terra viventium, qua enuntiatione mors clarissime designatur. Cum igitur in antecedentibus de cruciatibus sermo fuerit, mox autem mentio mortis subiungatur, certo in membro interiacente *de angustia sublatus est* non erit exspectanda exaltatio gloriosa (uti una fert explicatio apud *S. Hier.; Haimo, Rup. Beda, S. Thom. Lyranus, Salmeron, Pint. Sasb.*), sed potius quibusnam conditionibus sit ad mortem adductus. Cum לקח habeat notionem *capere, prehendere, abripere, auferre*, praepositio מן nativa sua significatione omnino retineri potest. Igitur duae declarantur conditiones mortis, in quibus fuerit tempore mortis et ex quibus ereptus sit : oppressio violenta et iudicium i. e. actio quaedam iudicialis et forensis. Cum hoc iudicium iam ipso contextu satis declaretur iniustum, non opus est duas illas voces ita coniungere ut explicetur : ablatus est oppressione iudicii vel iudicio opprimente, actione forensi opprimente, iniusta (*Lap. Tir. Reinke, Bade*), sed unaquaeque in sua proprietate retinenda erit. E mediis igitur angustiis et ex actione quadam iudiciali iniusta servus Domini morte eripitur. Neque sensus multum mutatur, si מן notione quadam generaliori accipiatur de causis quibus ablatus fuerit : oppressione et iudicio factum est ut morte auferretur (cf. *Osor. Mald. Sanct. Sa, Tir. Net.*) vel *post* oppressionem et iudicium ablatus est (*Bade*), sed prior acceptio quam maxime cum verbo congruere videtur, ea videtur praeferenda (cf. *Mayer, Del. Naeg. Or.*). LXX ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη; ad quod *S. Hier.* notat : « in humilitate iudicium eius ablatum est, illud signi-

ficat, quod iudex omnium iudicii non repererit veritatem, sed absque ulla culpa seditione Iudaeorum et Pilati voce damnatus sit ».

Cum mentio facta sit iudicii iniusti in servum Dei exerciti, facilis est transitus ad exclamationem illam stuporis plenam de tanta hominum iniquitate et iniustitia : *generationem eius quis enarrabit?* i. e. ut *For.* nexum et sensum proponit : « non potuit (vates) non admirari *generationem* illam, saeculum illud, mores hominum illorum qui talia ausi fuissent », et *Osor.* ita verba declarat : « o facinus hominum illius aetatis omnium quae possunt cogitari scelestissimum! quis enim poterit tantam immanissimi sceleris atrocitatem non dico vi orationis explicare sed mente atque cogitatione complecti »? similiter verba concipiunt *Vat. Men.* : « quasi dicat : quis explicet pravitatem Iudaeorum illius saeculi »? et *Lap.* notat : « hic sensus satis congruit praecedentibus, explicat enim iudicium de quo dixit : de angustia et iudicio sublatus est, rursum latinum *generatio* ac graecum γενεά et hebr. *dor* saepe metonymice significant homines illius aevi aut saeculi » et ita *generationem* passim in Scripturis sumi pro hominibus aetatis eius *Malv.* recte dicit et ita posse intelligi *Pint.* affirmat; eandem explicationem tradunt e recentioribus *Reinke, Dereser, Bade*; similiter vocem *generationis* de aequalibus esse explicandam omnino censent *Nel. Mayer, Rohl. Troch.* et aliorum interpretum plerique (cf. *Del. Hahn, Or.*). Atque revera דּוֹר γενεά, generatio, saepe in sacris literis eo sensu adhibetur, ut praesens hominum generatio, aequales designentur; ita Gen. 6, 9 Noe dicitur perfectus fuisse inter homines suae aetatis et Gen. 7, 1. Num. 32, 13. Deut. 1, 35; 2, 14; 32, 5. Iud. 2, 10. Ps. 13, 6; 23, 6; 77, 8; 94, 10. Prov. 30, 12 etc. Dein vox דּוֹר etiam generatim usurpatur de generationibus hominum vel praeteritis vel futuris : v. g. « generatio praeterit, generatio advenit » (Eccl. 1, 4), et generatio prima, secunda, tertia etc. ; de qua re vide Lev. 3, 17 ; 23, 14. 31. 41 et saepe; Deut. 7, 7; 23, 3. 4. 9 etc. Cui notioni alia connexa est atque conserta, ut posteri, posteritas designentur (Num. 9, 10; 15, 14 hebr. etc.). Occurrit haec vox דּוֹר plus quam centies sexagies in s. literis (secundum locos exhibitos in Concordantiis hebr. a *Fürst* concinnatis 163 vicibus), sed nunquam in sensu *nativitatis*. Quare etiam *generatio* hoc loco ita explicari nequit, cum vox latina non per se spectanda sit quid significare possit, sed cui voci originali respondeat, e cuius notione etiam latinae vocis significatio est petenda (cf. *Cornely*, Introd. I. p. 552 seq.).

Alia huius loci explicatio fertur apud multos : quis potest generationem eius enumerare i. e. posteritatem, posteros eius! ita scil. ut quod v. 10 dicitur de semine longaevo, de multorum iustificatione et quod a

cap. 54 et deinceps saepius effertur de innumerabili multitudine Deo servientium, iam hoc loco praeoccupetur. Verba quidem eam explicationem admittunt (cf. Ps. 22, 31 ; 71, 18 hebr.). Eius explicationis mentionem ingerunt neque ullo pacto eam repudiant *Mald. Malv. Est. Sasb. Men. Lap. Gord. Calm.*; eam autem adoptant *Lyranus, Salmeron, Pint. Mar. Schegg, Loch, Naeg.* et *Sanct.* ita de ea censet : mihi et veritati et textui maxime consentanea videtur, ita scil. ut generatio sit numerosa soboles fidelium quam Christo atque Ecclesiae atque adeo coelo peperit tam acerba mors; ita sentit Lyra, Carthusianus (Dionysius) et Salmeron in cap. 8 Actuum. Adamus (*Sasb.*) vero et Hugo cardinalis ita sententias alias admittunt ut hanc non excludant; huic explicationi favent maxime verba quae a propheta subiiciuntur : « si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum ». Ita alii quoque argumentantur. Attamen ei acquiescere non possum, quia cum in hoc versu sermo sit de iis quae mortem comitantur et de ipsa morte et in v. 9 de sepultura, demum in v. 10 propheta progreditur ad declarandum, quales fructus ex morte sint exorituri. Unde hoc iam loco inter mortis adiuncta et ipsam mortis annuntiationem aliquid de fructibus eius tangi, non est probabile, praesertim cum in tota hac oratione ordo adeo clarus observetur. Erit igitur illa explicatio certo amplectenda, quae in hanc seriem optime conveniat i. e. quae ad ipsius mortis adiuncta pertinet; ea vero illa est quam supra proposui. Stuporem quendam et admirationem de illorum hominum perversitate etiam verbum שׂוֹחֵחַ indicat, quod scil. significat satis cogitare, meditari, expendere, eloqui, enuntiare, describere (cf. *Reinke* l. c. p. 152).

Apud SS. Patres et antiquiores scriptores pervulgata est ea explicatio, qua ambitu significationis vocis γενεά, *generatio* in lingua graeca et latina spectato sententia exponitur de nativitate Messiae eiusque ortu ; idque triplici modo proponitur : vel de generatione Filii Dei aeterna ex sinu Patris, vel de generatione temporali in utero beatae Virginis, vel demum de nova illa generatione ad vitam corporalem quae facta est in resurrectione. Qui ita explicant, longa serie recensitos invenies apud *Salmeron, Sanct.* et praecipue apud *Patritium* (in Act. Ap. comment. ad Act. 8, 33) et is quidem enumerat triginta novem qui priorem explicationem de aeterna generatione tuentur, quattuor qui alteram, viginti qui alterutram ponunt; resurrectionis autem meminerunt *Theodorus* heracl. (quem vide apud *Patritium*), *Mald. Malv. Pint.* aliique. — Hisce adde *S. Ephr.* : « quis enarrabit aut propter eius divinitatem aut propter humanitatem eius filii David regis » et *Barh.* qui explicat : « incomprehensibilis est eius aeternitas, quia e sinu Patris prodiit et venit in mundum ». Unde *Barh.* דּוֹר intellexisse videtur de aeternitate.

Potestne vox de una ex tribus istis *generationibus* in quas sententiae dividuntur dici? Vox דוֹר usu suo minime dicit generationem eo sensu qui ad nativitatem accedit, et conatus quibus eam notionem ex voce extundere studebant *Lap.* et *Patritius* valde quidem laboriosi sunt, verum etiam subtiliores et eam vocis ad alium sensum deflexionem exigunt quae certe alicuius Hebraei mentem non subierit, in voce praesertim quae usus adeo est frequentis. Nam *Lap.* ita rem considerat ; « *dor* significat aetatem alicuius et seriem generationis qua quis ex patre aut matre suo tempore nascitur eique succedit : ergo aetas Christi ac series ortus et vitae est ineffabilis » ; et *Patritius* : « aetatem eius quis commentabitur? aetas est aliquod tempus. In aliquo tempore, si illud per se ipsum spectes, nil aliud est quod cogites quam principium, spatium, terminus. Si in Christo hominem attendas, eius aetatis neque spatium neque terminus aliter se habuit ac in ceteris hominibus ; at principium longe secus ; quare Isaias ita exclamans principium voluit dicere [1] ». Sed quaero, estne ipse Isaias censendus tam subtilem seriem cogitationum adhibuisse, ut vocem *dor* ad alium sensum detorqueret necne? et si voluit eam exprimere cogitationem, cur non vocem adhibuit claram, simplicem, uti alias facere solet ? num vox ad ortum et nativitatem designandam deest in hebr. ? Qua igitur probabilitate supponi potest Isaias ex aetate fecisse ortum et nativitatem? Si non Isaias, forte auctor primarius s. Scripturae, dixerit quis, illum sensum intendit et expressit. Sed quomodo ad tale mysterium absconditum perveniemus? Vox illum sensum non suggerit; canon ille quo de alicuius loci sensu certi reddimur ex fidei et revelationis fontibus : definitio Ecclesiae vel unanimis Patrum consensus non adest ; ergo nulla adest via qua ostendere possunt Spiritum Sanctum eum sensum intendisse. Addo etiam s. Scripturam non adoptare modum loquendi inusitatum ; et quo sensu Isaias hanc vocem adhibeat discere potes ex decem Isaiae locis.

Legitur enim apud Isaiam ea vox : 13, 20 non fundabitur usque ad generationem et generationem ; 34, 10 a generatione in generationem desolabitur ; 34, 17 in generationem et generationem habitabunt in ea ; 38, 12 generatio mea (vel habitatio mea?) ablata est ; hoc loco notio adest *aetas mea ;* attamen non de aetatis origine seu nativitate sermo esse potest, neque si vox aetatem dicit, etiam ortum vel originem aetatis dicit ; si enim huiusmodi interpretamenta inducere liceat, ad quae tandem portenta erit perveniendum ? Habes vocem 41, 4 vocans generationes ab exordio, ego Dominus ; 51, 8 iustitia mea in generationes generationum ; 51, 9 consurge sicut in generationibus saeculo-

1. Et similiter aetatem ad Dei Verbum applicans ait aetatem esse aeternitatem, quam Pater Verbo *generatione* communicat ; proin designari originem Verbi.

rum ; 58, 12 fundamenta generationis et generationis suscitabis ; 60, 15 gaudium te ponam in generationem et generationem ; 61, 4 instaurabunt civitates dissipatas in generationem et generationem. Cum *talis* igitur usus sit vocis et adeo frequens, iam non possumus ullo pacto existimare eam uno in loco ratione adeo singulari adhiberi. Neque obstat tot Patrum auctoritas. Hi enim non vocem respexerunt originalem, sed rem ex versione graeca vel latina, i. e. γενεά et generatio, expediunt. Quod in sensum vocis originalis quam *Isaias* adhibuit non inquisierunt, dolendum quidem est, at sane ista omissio non potest esse ratio pro nobis, ut voci hebr. alienam obtrudamus significationem. Dein qualis requiratur Patrum consensus quo norma irrefragabilis statuatur pro interpretatione, eumque hoc loco non adesse, lege apud *Cornely*, Introd. I p. 590. 592, 8.

Praeter tres illas praecipuas expositiones feruntur aliae quoque, quas paucis indicabo. Et textum quidem hebr. aliqui ita declarant, ut אֶת־דּוֹרוֹ non a verbo velint dependere, sed emphasis gratia in initio sententiae collocari : et quod attinet aequales eius, quis consideravit? Haec explicatio si sensum spectaveris certe in seriem cogitationum convenit eandem que praebet cogitationem quam in simili contextu 57, 1 expressam invenimus ; eam adoptant *Ges. Ros. Diestel, Del. Rohl. Troch.* ; at אֶת hoc loco cum sequatur verbum a quo proxime particula dependere possit non adeo facile eo modo poterit explicari, praesertim cum veteres interpretes vocem illam communi consensu tamquam obiectum grammaticale expresserint. Ceterum fatendum est hanc interpretationem sensum praebere facilem et forte non obstante illa difficultate eo modo textum hebr. optime expediri ; verbum enim שׂוֹחֵחַ ad eam acceptionem mire factum est et plane aptum, immo dicam melius quam ad ceteras quas proponunt.

Alii capiunt דּוֹר sortem : quis sortem eius considerat (*Hitz.*) vel vitae rationem ; vel habitationem i. e. sepulcrum (*Kn.*) ; at isti quoque vocem ad inusitatam notionem detorquent ; nunquam enim *sortem* vel vitae rationes significat ; alterum vero : nemo considerat quam parum ipsum deceat ille locus qui ei pro sepulcro assignatur, satis longe petitur neque in contextum quadrat. Alii demum אֶת vertunt *inter* : inter aequales eius quis considerat ? sensus utique facillimus ; at talem usum particulae אֶת alii tamquam a lingua alienum repudiant ; eo sensu בְּ poni haud immerito asserunt. Alii : quis vitae eius tempus vel saeculum eius futurum enarrabit ? *Mayer* autem : quis lugebit aequales eius ? Demum notari oportet, aliquos sententiam subsequentem : quia abscissus est, ita cum hac coniungere : et quod attinet aequales eius, quis consideravit eum abscissum esse a terra (cf. *Rohl. Troch. Del.*). *Mayer* autem ea quae sequuntur de populo israelitico accipit, quibus igitur iudicium in deicidas pronuntietur : eos iri abscissum a terra viventium ; et revera eos fuisse fame, bello, peste consumptos, immo cum repudiarint vitae auctorem etiam ab aeterna vita esse exclusos.

Post exclamationem illam interiectam vates ad enuntiationem primam

redit eamque clarius explicat, qua explicatione simul scelus aequalium maiore vi proponit : *quia abscissus est de terra viventium;* mortem dicit violentam vox excisionis; *terra viventium* regio est vivorum ut distinguitur a regione mortuorum, ab infero, Scheol (cf. Iob 28, 13. 14. Ps. 26, 13. Ier. 11, 19. Ez. 32, 32). Ita ergo *mors* servi Domini eaque violenta, quasi qui media in vita vi abscinditur, clare ac perspicue enuntiatur; abscissus est « instar arboris succisae, immo eradicatae, cui eum comparavit » (*Lap.*). Ad hunc ergo terminum adductus est per seriem illam contumeliarum, de qua v. 2 seq., per angustias et iudicium iniustum. Et cum illas contumelias perferre dictus sit nostra causa praestans satisfactionem vicariam (v. 4-6), eo ipso etiam mortem eadem satisfactione obire perhibetur. Id quod postquam in iudicio perversitas aequalium ostensa est qua iniuste cruciatuum mortisque damnatur, denuo indicatur et ita quidem ut Deus exhibeatur qui et passionem illam voluerit et ad finem satisfactorium direxerit; *propter scelus populi mei* vel propter apostasiam populi mei (cf. 1, 2) *percussio ipsi* (hebr). Cernitur itaque in passione et hominum malitia et dispositio divina. Vox enim נֶגַע *plaga, percussio* praesertim de plaga *divinitus* inflicta adhibetur (cf. v. 4) et *populi mei* aptius ad Deum loquentem refertur (cf. v. 12) cum *Mar. Men. Tir. Troch.* quam ad Isaiam (cum *Sanct. Lap. Schegg, Bade*). Etiam textus hebr. *percussio ipsi* ad servum Domini referendus est; nam cum v. 4 servus tamquam נָגוּעַ sit descriptus et quidem v. 5 propter populi scelera, ille cui propter scelus populi נֶגַע percussio impingitur, est certe idem; habes ergo parallelismum et verbalem et realem. Adde לָמוֹ minime obstare; nam formam hanc notione numeri singularis adhiberi, iam optime elucet, ut *Salmeron, Sanct. Malv.* notant, ex Is. 44, 15 et ex casu simili Iob 20, 23; 22, 2; 27, 23 et Ps. 11, 7; unde singulari numero rite explicant *Schegg, Bade, Net. Rohl. Troch. Del. Naeg. Or.* et ita explicari posse etiam *Diestel* fatetur. Ad hanc explicationem fulciendam accedit, quod alia de populo cui punitio indicetur, duplici laborat defectu. Nam primo quamvis verum sit populum iudaicum propter caedem Messiae esse punitum, hoc tamen loco reliqua omnia in v. 8 et 9 mortem et conditiones mortis et sepulturam tangunt; quales effectus mors haec habuerit, describitur a v. 10 et seq. neque afferuntur hoc loco nisi effectus salutares; quare minime videtur consultum esse hoc loco agnoscere sententiam plane novam, qua descriptio mortis sepulturaeque interrumpatur et aliquid enuntietur adeo breviter quod in hac oratione iam nullo pacto explicetur. Deinde, ut adsit membrorum concinnitas, debebis coniungere, uti accentus *mas.* LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* et plerique coniungunt : *propter scelus populi mei percussio ipsi,* quae sententia tribus antecedentibus et

quattuor subsequentibus parallela est; iam cum in his omnibus et iam in v. 7 unice de servo Domini sit sermo, non videtur credibile in membro hoc interiecto menti prophetae alios obversari, ad quos subito sermo deflectatur, ut denuo subito ad servum Domini redeat; insuper duplex iste transitus repentinus nullo signo, verbulo nullo indicatur. Demum nulla cerni potest ratio, cur prophetia de ruina populi, pro cuius salute et patitur et rogat servus Domini (v. 12), praecise inter mortem et sepulturam interponatur. Ordo vaticinii adeo insignis quem eousque observavimus eo membro potius perturbaretur. Neque LXX neque *Syrus* vaticinium contra populum h. l. exprimunt. Illi praebent : ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem ; hic : et ex iniquis populi mei tetigerunt eum.

Pronomen לָמוֹ sensu plurali sumunt *Sym. Theod.* ; ille πληγὴ αὐτοῖς, hic ἥψατο αὐτῶν ; quos sequuntur *For. Malv. Reinke, Mayer, Hahn, Sein.* ad populum referentes ; sensu *collectivo* de servo Domini accipiunt *Ges. Kn.* aliique. At certum est eam formam et cognatas alias etiam pro numero singulari adhiberi ; pro qua notione vide *Hupfeld-Riehm*, die Psalmen I p. 329, *Ewald*, Lehrbuch § 247 d, qui ait negari non posse hunc usum pro singulari numero ; *Ges.* Lehrgeb. § 60 A. 6. 62 A. 2. LXX legisse videntur לַמָּוֶת. *S. Hier.* in versione sua sequitur Theodotionem : propter scelus populi mei percussit eos, et explicat in comment. : « persecutores et sceleratos populi sui sua morte percussit » ; pronuntiavit igitur נָגַע, uti LXX quoque et *Syrus*.

Alii ita vertunt, ut praepositionem מִן etiam ad נֶגַע trahant : propter plagam quae illis debebatur ; vel aliter : propter plagam ab iis inflictam (cf. *Hahn*) ; vel : propter iniquitatem populi mei quibus plaga debebatur, vel : a transgressione populi mei, plaga eis (cf. *For. Malv. Reinke* ; alios eiusdem sententiae patronos recenset *Del.*), vel : erat percussio pro eis (*Stier*), scil. servus Domini erat plaga vel percussio pro eis, totus percussus est.

Legitur in *vulg. percussi*, id quod *sensum* clarius effert ; nam Deum esse percutientem ipsa voce נֶגַע cf. v. 4 indicatur ; unde *Del.* quoque concedit, percutientem esse Deum. Ceterum concinnitas membrorum exigit, ut eo modo iungatur quo veteres ; unde ea iam ratione plures explicationes allatae repudiantur.

Morte declarata sacer vates nos de sepulturae ratione edocet; et id quidem verbis simplicibus atque perspicuis in textu hebr. v. 9 *et dant cum impiis sepulcrum eius, et (sed) cum divite post mortem eius* i. e. constituitur sepulcrum eius apud impios; verum post mortem revera accipit sepulcrum apud divitem ; ita textum hebr. revera esse vertendum et veteres viderunt interpretes latini et recentiores fere omnes et catholici et protestantes et rationalistae omnino consentiunt. Unde ei primo destinatur sepulcrum apud impios, verum (particulam ו saepe sensu exigente notione adversativa exponendam esse norunt omnes) post mortem sepulcrum ei datur apud divitem. Quam apte et clare hoc in Messiam

conveniat, non erit opus pluribus declarare. Cum mortis esset turpissimae damnatus, adversarii eius eodem cum malefactoribus genere sepulturae eum contumelia afficere volebant; at minime evenit; iam in eius sepultura gloria eius oriri incipit. Unde in textu hebr. clarum effertur vaticinium rei narratae Matth. 27, 57. Idem sensus exprimitur in versione syriaca : dat (constituit) impius sepulcrum eius et (verum) dives in morte eius. Ergo ibi ubi malefactores sepeliebantur, eum sepelire volebant; sed revera sepultus est ibi, ubi dives habuit sepulcrum; ita *cum impiis* vel apud impios, et *cum divite* vel apud divitem facile intelligitur et particula אֵת habet hanc notionem sensu locali (cf. Gen. 19, 33. Lev. 19, 13. Iud. 4, 11. 1 Reg. 9, 26. Iob 2, 13; vide *Ges.* Handwoerterb. ed. Mühlau und Volck).

Concedunt versionem rationalistae, negant explicationem et applicationem ad Messiam. Contendunt enim עָשִׁיר nomen singulare esse explicandum sensu plurali propter parallelismum. Sed primo non ea est lex parallelismi adeo rigida, ut ita oporteat exponi; in textu adest singularis, quamvis in priore sit pluralis; secundo parum interest, etsi pluralem postulaveris; habebis enim sensum : eum ibi sepultum esse, ubi divitum erat sepulcrum. Et cur hoc non aeque bene conveniat in rem gestam, non perspicitur. Nam Iosephus ab Arimathaea probabilissime non pro se solo, sed pro familia locum sepulcri illum elegerat, vel ubi ille sepulcrum delegit, alia etiam sepulcra nobilium esse poterant. Gravius est alterum quod obiiciunt; volunt enim *divitem* h. l. eadem notione esse accipiendum qua impium (ita *Ges. Kn. Sein. Hitz. Hahn, Or.*). Sed quo iure? עָשִׁיר est *dives,* neque opus est, ut quicumque sit dives, sit impius vel malefactor quoque; neque si saepius in s. literis divites reprehenduntur propter superbiam et pervicaciam, id semper fieri oportet. Atque id minime hoc loco. Impii enim hic, ubi de iudicio mortis est sermo, ii dicuntur qui actione forensi mortis damnati sunt; *hisce* autem non ita comparatur dives, cum sane *dives* non dicat eum qui sententia iudiciali est damnatus vel impius declaratus. Itaque arbitrarium est exponere, servum Domini revera apud impios sepultum esse; proinde verba non in Messiam convenire. In textu hebr. legitur proprie *in mortibus eius;* inservit numerus pluralis ad atrox mortis genus; exemplum habes Ier. 16, 4 et Ez. 28, 8. 10 (cf. *Ewald,* Lehrb. § 179; *Kueper, Hahn, Del. Naeg.*); *in* autem i. e. בְּ induere notionem *post* vide 1 Reg. 13, 31, ubi legis hebr. ad literam : in morte mea sepelite me in sepulcro; eandem notionem בְּ prae se fert cum infinitivo iunctum (cf. Gen. 33, 18. Ex. 3, 12. Ios. 5, 4. Is. 20, 1 etc.).

Versionem textus hebr. eandem proponunt v. g. ex catholicis interpretibus: *Salmeron, Pagninus, For. Pint. Malv. Clarius, Vat. Mald. Calm. Jahn, Dereser, van Ess, Allioli, Bade, Reinke, Loch, Mayer, Net. Rohl. Troch.*; e protestantibus: *Munsterus, Clericus, Vitringa, I. D. Michaelis, Dathe, Hezel, Ges. Umbreit, Hengstenberg, Kueper, Hitz. Sein. Ewald, Kn. Hahn, Del. Naeg. Or.* aliique. In modo vertendi parva solum adsunt discrimina, quibus sensus non multum mutatur. Alii enim tamquam subiectum grammaticale supplent vel Deum vel Christum (*Mald. Pint. Vat.*) i. e. voluit mori in loco ubi sumebatur supplicium de improbis; in Calvariae monte mortuus est, ubi noxii, et in sepulcro novo conditus est quasi dives (cf. *Salmeron, Malv. Mar. Calm.*); alii supplent : populus ei dabit (*Hahn*); plerique concipiunt : dant vel datur, constituitur. Atque hoc optimum est et ita adhiberi tertiam person. sing. notum est et frequens quoque apud Isaiam, pro qua re *Naeg.* v. g. affert 6, 10; 7, 24; 8, 4; 10, 4; 14, 32; 18, 5; 21, 9; 33, 20; 34, 11; 45, 24. Aliqui hunc in modum vertunt alterum membrum : et apud divitem is est post mortem suam (cf. *Reinke, Bade, Mayer, Rohl. Net.*); sed tunc exspectandum esset pronomen הִיא in hoc membro.

Neque iste interpretum consensus in versione facienda interturbatur eo quod aliqui aliquas proposuerint conieeturas. Nam quidam *divitem* coniectura e textu removere volebant; ita *Ewald* fingens novam vocem et ἅπαξ λεγ. efformans עָשִׁיק, vel *Boettcher* corrigens עֹשֵׂי רָע facientes malum vel *Hofmann* iungens *divites per mortes* i. e. qui caedibus divites facti sunt, ac si *mortes* essent caedes. Sed frustra et labore inani. Nam *dives* vel divites adsunt apud LXX, *Syrum, S. Hier.* et *Chald.* i.e. apud omnes testes antiquos quos de hoc versu habemus. Alia coniectura esse legendum בָּמֹתָיו *excelsa eius* vel tumuli sepulcrales pro *in mortibus eius* iam invenitur apud *Salmeronem, For.* et ante eos proposita est ab *Abenesra* aliisque (cf. *Reinke* p. 181); eam etiam recentiores quidam proponunt (*Ewald, Beck, Sein. Boettcher, Or.*); at cum בָּמָה nullibi hanc habeat significationem, relinquenda erit illa coniectura; testes veteres LXX etc. *mortem* exprimunt, non βωμούς.

Quomodo ex textu hebr. versio τῶν LXX orta sit, facile explicatur; accepit interpres graecus אֵת ut notam accusativi; בּ adhibetur in significatu *pro* de pretio, praemio, permutatione v. g. Gen. 29, 18 : serviam tibi septem annos בְּרָחֵל pro Rachel; et hanc praepositionem in altero membro obviam in primo videtur supplevisse. Legitur in LXX δώσω dabo; sed *Theod.* notat tres reliquos legisse δώσει, uti *Syrus* quoque et *S. Hier.* et *Chald.* praebent. *S. Hier.* secutus est interpretationem graecam; etiam *Sym.* habet καὶ δώσει τοὺς ἀσεβεῖς (*Procop.*).

Syrus ad verbum habet: dedit impius sepulcrum eius et dives mortem eius; ad quae verba notat *Barh.* : « hic versus sensu inverso intelligatur oportet et videtur a scribis turbatus; videlicet : impius i. e. Pilatus mortem eius edixit et dives i. e. Ioseph decurio (senator) sepulcrum eius dedit ».

S. Hier. secutus est versionem graecam, unde v. 9 « *et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua* »; — ipse duplicem horum ver-

borum explicationem proponit : ex gentibus et Iudaeis Christo Domino propter mortem et sepulturam Ecclesia congregatur; vel : propter mortem Christo illatam Deus tradidit Iudaeos hostibus Romanis. In priore explicatione impii dicuntur gentes, divites vero Iudaei utpote lege Dei et oraculis divites; in altera divites sensu malo intelliguntur. Priorem explicationem sequuntur *Sasb. Schegg, Loch;* alteram praebent *Euseb. S. Cyr. Theod. Procop. S. Thom. Sa, Mar. Men.;* utramque exhibent *Haimo, Salmeron, Sanct. Lap. Tir.* Sine ulla tamen dubitatione versionem ex textu hebr. propositam praeferendam duco. Nam arcte adnectitur ad mortem antea indicatam et insigne continet vaticinium opere ad literam impletum in morte Christi; unde eo iam titulo commendari debet quam maxime; dein facillime fluit ex verbis hebr., dum versio graeca id habet incommodi, ut in priore membro debeas supplere praepositionem ex altero. Ante impletionem versum fuisse ipsa sua simplicitate obscurum facile conceditur; unde cur ad aliam versionem interpres graecus pervenerit, facile explicatur. Sed haec versio, quam *S. Hier.* adoptavit, in neutra explicatione satis commendatur. Nam ad exprimendam punitionem illud *dabit* vix sufficiet : dein quis dabit? quibus? ad quid? Si in bonam partem explicaveris, *dabit* satis nude ponitur et redeunt eaedem quaestiones : quis, quibus, tamquam quos dabit? Adde quod de asseclis Messiae et fructibus passionis multo melius clariusque in v. 10-12 sermo instituitur. Cum igitur Christus ad mortis suae certitudinem testandam voluerit sepeliri, cur non sepulturam etiam praedictam esse censeamus verbis adeo perspicuis?

Apud divitem igitur et non apud malefactores sepelitur. In qua re iam prima servi Domini gloria quae ipsi post passionem erit cernitur; quare additur ratio : « *eo quod iniquitatem non fecerit neque dolus fuerit in ore eius* »; — passus est et mortuus pro delictis nostris; morte persoluta est satisfactio et finita; ergo in sepultura potuit iam inchoari praemium et glorificatio quae servo Domini pro sua innocentia et sanctitate debebantur. Haec declaratur opere, eo quod iniuriam, oppressionem, non commisit (hebr.), et verbis eius quibus solam veritatem annuntiavit. Hebr. עַל alii vertunt *quamquam* (*Mald. Malv. For. Reinke, Or.*), sed cum ultimo membro in sepulcro apud divitem iam incipiat gloria servi Dei, solum apte convenit notio quae certissime voci inest et quam LXX et *S. Hier.* reddiderunt *quia;* de ea significatione cf. Gen. 31, 20 (hebr.). Deut. 29, 24; 31, 17. 2 Sam. 3, 30. Ps. 119, 136; 139, 14. Esdr. 3, 11 etc. [1]; quare recte eam notionem *Bade, Mayer, Net. Rohl. Troch. Naeg.*

---

1. Immo *Naeg.* contendit hanc unam notionem voce exprimi et in omnibus locis quos pro *quamvis* adducere soleant (38, 15. Iob 10, 7; 16, 17. 1 Reg. 16, 7 — cf. *Ewald,* Lehrb.

retinent. Nam *quamvis* non commiserit iniuriam tunc solum recte adiungeretur, si vel membrum posterius idem enuntiaret quod priore contineretur vel quasi parenthesi includeretur; verum neutrum commode fieri potest.

e) Praemium quod fiet servo Domini 53, 10-12.

In sepultura honorifica iam incipit gloria Messiae. Haec vero ei debetur quia cum ipse fuerit sanctissimus, nihilominus tam atrocia subiit. In quanam re eius praemium et gloria consistat, iam declaratur v. 10 « *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur* »; — prius vates denuo in memoriam revocat, passionem et mortem non sine divina evenisse dispositione, immo *complacuisse* Domino (hebr.) eum conterere eumque infirmitate afficere (hebr.); « ergo ut pateretur, non fuit necessitatis, sed voluntatis Patris et suae » (*S. Hier.*). Salvatoris passio, uti est opus sapientiae (52, 13) et potentiae Dei (53, 1), ita ex beneplacito divino est decreta, non ex necessitate, et ad maximum beneplacitum et insignem Dei gloriam refertur. Si igitur ita *placitum* fuit Deo, iam stultitia et scandalum crucis evanescere debet. Deo non deerant alia redimendi generis humani subsidia, cur hanc rationem elegerit, ad Dei sapientiam, potentiam, beneplacitum referendum esse vates nos docet et cur ita decuerit, aliquatenus declaratur a S. Paulo (Hebr. 2, 10-18) et innuitur hic a vate qui mortem Messiae tamquam sacrificium pro delicto designat et tamquam expiationem sacrificalem. Ita enim in textu hebr. indoles et ratio mortis describitur : *si posuerit anima eius sacrificium pro delicto* i. e. si ipse se piaculum obtulerit; adhibetur enim אָשָׁם quae vox *delictum, culpam* dicit, ut vox usitatissima ad designandum sacrificium pro delicto (cf. Lev. 5, 15 seq. 7, 1; 14, 12; 19, 21. Num. 6, 12 etc.) vel hostiam pro delicto. Talis hostia pro delicto erat offerenda si peccata commissa erant quibus fides Deo debita vel res Deo sacrae vel iura divina laedebantur (cf. *P. Scholz,* die heiligen Alterthümer d. Volkes Israel II p. 161; *von Haneberg,* die relig. Alterth. p. 313) vel etiam si gravis commissa erat laesio iustitiae alteri debitae et generatim pro delictis maioribus. Unde patet quam apte Messias sacrificium pro delicto se ipsum obtulisse dicatur. Notio igitur sacrificii (quae 53, 7 non expri-

---

§. 217 i; 222 b) si accurate expendantur verti oportere *quia*. Verum id nimium est; nam Iob 10, 7 certe subest notio *quamvis* et probabilius etiam 16, 17.

mitur) et 52, 15 et etiam clarius et distinctius hoc loco declaratur; idem enim dicitur hic quod Rom. 3, 26. 2 Cor. 5, 21. Hebr. 9, 14. 1 Ioan. 2, 2; 5, 10 etc. designatur, cum Christus ἱλασμός, ἱλαστήριον vocetur.

Tamquam huius sacrificii fructus ei promittitur : *videbit semen* i. e. posteritatem; innumerabilis multitudo hominum, qui per ipsum ad veram vitam pervenerunt eique quasi parenti et largitori vitae adhaerent per eum regenerati, ut praemium ei conceditur. Bene notat *Sanct.* : « allusum videtur ad Isaac quem pater arae immolandum imposuit, ex quo si non mortuo, morti tamen destinato et opperienti gladium, sic propagatum est semen, ut stellas coeli et terrae pulverem aequaret ». Ita ergo promissio Abraham facta impletur (Gen. 15, 5; 22, 17 etc.). Ad tale *semen* vel posteritatem Messiae pertinent quotquot per regenerationem ad vitam supernaturalem evecti Christo alteri humani generis parenti inseruntur (cf. Rom. 5, 14 seq. 6, 3). Tota ergo sanctorum corona hoc *semen* est, hoc praemium et haec gloria Messiae. Alter fructus in textu hebr. affertur : *prolongabit dies* i. e. vitam i. e. servus Domini vitam vivet perennem, beatam; « fui mortuus et ecce sum vivens in saecula saeculorum » (Apoc. 1, 18). Hoc membro simul implicite continetur vaticinium de resurrectione servi Domini; nam is qui mortuus est et qui se ipsum dedit sacrificium pro delicto, *prolongare dies* dicitur, id quod non de animae solius vita sed de vita in corpore transacta usurpatur, quae vita in corpore etiam vocibus *videbit, in manu eius* connotatur. Tertius fructus consistit in successu prospero quo divinum consilium per manum eius in opus deducetur. Voluntas vel *beneplacitum Dei* (hebr.) est redemptio et instauratio illa quae genus humanum et rerum quoque naturam, tempus et aeternitatem complectitur, quae in antecedentibus iam saepius est descripta : 2, 4; 11, 5 seq. cap. 24 et 25; 42, 6; 49, 6. 9 seq. 51, 11. 17; 52, 1. 13 et quae in subsequentibus etiam illustrius proponetur. Sacrificio igitur servi Domini expiata est culpa, reconciliatus Dominus et ex illo sacrificio triplex exoritur fructus benedictione coelesti abundans : « genus sempiternum ex se divini verbi satu procreatum aspiciet et vitam opibus et imperio florentissimam in omnem saeculorum aeternitatem propagabit et voluntas Domini manibus illius administrata prosperos exitus consequetur » (*Osor.*).

Sacrificium pro delicto a servo Domini offerri idque conceptis verbis enuntiari hoc loco concedunt omnes; discrimina quae in textu hebr. vertendo adsunt sensui illi ab omnibus adoptato non officiunt. Verba hebr. simplicissime vertes *si posuerit anima eius ascham* i. e. sacrificium pro delicto vel piaculum (cf. *Bade, Net. Rohl.* et multi protestantes : *Maurer, Umbreit, Stier, Hengstenberg,*

Sein. Oehler, Del.); quid pro piaculo obtulerit, ex descriptione antecedente et mentione mortis clare eruitur ; nam mors eius nunc vocatur piaculum quod ipse vel anima eius posuit. Alii vertunt : *si ipse* vel *anima eius se piaculum obtulerit* (*Malv. Reinke, Ges. Kn.*) ; alii תָּשִׂים explicant tamquam allocutionem qua Deus compellatur : *si posueris animam eius piaculum* (*Malv. II. Kueper, Ewald, Hitz. Naeg. Or.*) ; sed repentina ista ad Deum apostrophe non potest concipi neque sensus placet, quia non Iahve, sed servus Domini posuit, obtulit piaculum ; neque ponere piaculum idem est quod v. 6 de Iahve dicitur ; deinde quia agitur de praemio Messiae, quid *ipse* fecerit exprimi debet, non quid Iahve fecerit. Alii demum vertunt : *si posuerit animam suam piaculum,* ac si legissent יָשִׂים (cf. *Sasb. Sanct. Mayer*). LXX non valde feliciter verterunt : si dederitis pro peccato, anima vestra videbit semen longaevum ; ita apud *S. Hier.* ; id quod *S. Cyr.* explicat : « posuit pro nobis Christus animam suam... si ergo vos reddere vices velitis, si debiti loco quasi obedientiam reposueritis eiusque iugo cervicem subieceritis, tunc socii eorum eritis qui ad longam vitam reservantur i. e. sanctorum qui aeternae vitae spe locupletati sunt ». *Syrus* expressit sensum passivum : impositum est peccatum animae eius ; ψυχή ut subiectum etiam legitur apud *Aq. Sym. Theod.* (cf. *Field* ad h. l.).

S. *Hier.* vertens *semen longaevum* secutus est LXX σπέρμα μακρόβιον ; unde post semen videntur supplevisse אשר : semen (quod) protrahet dies ; et ita textum hebr. concipiunt *Mald. Malv. I. Mar. For.* ; verum ad talem suppletionem nihil nos cogit ; eam excludit *Syrus* vertens : ut videret semen et prorogaret dies, et ita recentiores (et iam *Malv.*) membrum hoc de servo Domini eiusque vita exponunt (cf. *Bade, Reinke, Mayer, Net. Rohl. Ges. Kn. Del. Naeg. Or.*). Secum miratur *Kn.* quod is qui se dederit piaculum et sacrificium pro peccato, tamen iterum *vivere* et *operari* dicatur ! Ecce, in quantum caecutiunt, quia vaticinium adeo apertum de Messia agnoscere nolunt ! Ei incommodo ut remedium afferat, *Reuss* particulam אם vertit ac si esset iuramenti formula : ah, tu ne donneras pas sa vie en expiation ! Sed haec exclamatio sero venit ; iam in v. 8 et 9 servus Domini moritur et sepelitur ; si nunc vivit, habetur utique mirum illud quod aliquis post mortem et sepulturam vivere in corpore, i. e. resurgere dicatur.

Uti supra praedicebatur mors et sepultura, ita nunc nova servi Domini vita declaratur gaudio plena pro ipso, benedictione ac salute pro aliis ; ita v. 10 magis explicatur v. 11 « *pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur ; in scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit* » ; — *videt* scil. fructus et effectus salutares piaculi a se positi ; *videt* id quod statim subditur, iustificationem plurimorum ; et *saturabitur* : immenso gaudio et beatitate abundabit ; uti antea opprobriis saturatus erat, ita nunc in eadem natura in qua tot acerba sustinuit beatitate fruitur abundantissima. Bene *S. Hier.* : « quia laboravit, videbit ecclesias in toto orbe

consurgere et earum saturabitur fide » et *Sasb.* : « sitivit peccatorum salutem, continget illi; videbit ecclesias consurgere. Si quis posset sentire quam fuerit cordi Christo eunti ad passionem salus omnium impiorum, tunc facile intelligeret quid sit quod hic dicitur : laboravit et saturabitur ». Sed per se patet non ad hanc unam beatitatem verba esse restringenda; sicut enim labor animae et molestia (hebr.) ad omnes illos cruciatus extenditur, quibus totus erat afflictus et oppressus supra omnem modum humanum (v. 2. 3), ita satietas illa debebit dicere perfectissimam totius naturae humanae eius beatitatem. Ad hanc utique pertinet, ut fructus exsistat passionis uberrimus, ut posito sacrificio piaculari etiam quam plurimi revera expientur. Quomodo igitur *semen* illud procreandum sit, enuntiatur : iustus ipse multos reddet iustos i. e. ipse qui est sanctus alios reddet sanctos; uti ipse *vere* est iustus et sanctus, ita efficiet, ut multi quoque vere exsistant iusti, i. e. tales quales Deus eos esse vult; unde veram internam iis communicabit ablato peccato sanctitatem. Simili modo S. Paulus dicit : ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi (Rom. 3, 26). Haec autem iustificatio multorum ita efficitur obiective, ut servus Domini pro culpis eorum et peccatis satisfactionem praestet vicariam et expiationem poenas delictis eorum debitas luens — id quod ultimo membro enuntiatur —, ita autem subiective, ut singulos *in scientia sua* ad illam iustitiam adducat. Haec *scientia* explicanda erit ex 11, 2 et 49, 2 et 50, 4; requiescit enim super eum spiritus scientiae et ipse destinatus est, ut sit lux gentium, ut legem Dei et cognitionem rerum divinarum iis afferat (42, 6. 7; 49, 8. 9). Nemo enim novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (Matth. 11, 27). Cum igitur haec sit vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum et quem misisti (Ioan. 17, 3), iustificationis radix et fundamentum est, ut servus Domini animis singulorum de suo spiritu scientiae lumen et cognitionem infundat. Vult enim, ut *S. Cyr.* docet, Deus et Pater intelligentia, id est, sua sapientia divina scil. eos qui in ipsum credunt formare ipsique conformes reddere per sanctificationem in spiritu; vel secundum *Euseb.* : « dedit Deus ipsi lucem ut eos qui iustitiam per eum assequerentur illuminaret; intelligentiam etiam ipsi contulit, nam requievit super eum spiritus sapientiae et intelligentiae, ut prudentes et iustos eos redderet ». Unde ad iustificationem opus est, ut servus Domini suo lumine et sua cognitione animos illustret; ita erit lumen caecorum eorumque oculos aperiet. Haec cognitio quam servus Dei animis infundit est utique cognitio *sui* i. e. ipse quoque servus Dei et opus eius debet fide apprehendi viva; hanc singulis communicat doctrina sua et annuntiatione evangelii; hoc autem loco directe et per se designatur ipsa scientia servi Dei ut talis

e cuius plenitudine nos omnes accipimus et cuius communicatione status ille iustus et Deo placens, vera scil. iustitia et sanctitas inducitur. Et optime quidem; nam cum peccatum ex doctrina s. literarum sit stultitia, mendacium, vanum, iuremerito iustitia a vera cognitione originem ducere perhibetur. Habes igitur h. l. idem quod S. Paulus docet iustitiam esse ex fide.

Multum interpretes disceptant quomodo illud *in scientia sua* sit accipiendum. Sed si ea quae ipse propheta praebet considerantur, res vix dubia videri potest. Exhibetur enim Messias 11, 2 spiritu scientiae רוּחַ דַּעַת praeditus et 42, 1 denuo dicitur: dedi spiritum meum super eum, et statim subiungitur: iudicium gentibus proferet; item 42, 4 tamquam is exhibetur qui docturus est gentes et ideo lux gentium appellatur qui oculos caecorum sit aperturus; idem repetitur 49, 8. 9; eius docendi munus declaratur 50, 4 et eius sapientia iterum inculcatur 52, 13. Quae omnia si considerantur, iustificatio quam in scientia sua iam largiri dicitur, aliter concipi nequit, nisi ut ipse servus ex sua scientia homines doceat i. e. ut ipse utpote scientia instructus homines quasi communicatione quadam ad cognitionem rerum divinarum adducat. Id iam indicatum habes 11, 9; postquam enim requievit spiritus scientiae super Messiam, etiam terra ipsa dicitur repleta scientia Domini. Ita facile variae explicationes inter se conciliantur; aliqui enim in scientia sua explicant per cognitionem sui, qua fide viva apprehendatur ipse et opus eius (cf. apud *Mald. Malv. Sanct. Salmeron, Lap. Sa, Men. Reinke, Mayer*); id ergo effecrunt quod ut effectus ex illa communicatione per servum Dei facta consequitur; alii interpretantur per doctrinam suam (*S. Hier. For. Sasb.*) vel praedicationem doctrinae; id igitur proponunt, cuius ope homines via ordinaria ad cognitionem Messiae et iustitiam perveniunt.

Semel portavit iniquitates omnium pro eis satisfactionem vicariam praestans (סבל v. 4), continuo eas portat (יסבל v. 11), dum munere sacerdotali fungens continuo interpellat pro nobis et merita sua et satisfactionem praestitam Patri repraesentat. Quare munere mediatoris fungens perpetuo accipit a Patre populos qui ei subiiciantur v. 12 « *ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* »; — quod in v. 10 et 11 est assertum, iam ipsa Dei locutione sollemniore modo confirmatur, multos scil. servo Domini iri attributum; quare apte hoc loco verba in memoriam revocant: dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae (Ps. 2, 8; *S. Hier. Salmeron, Pint. Mald. Sanct. Malv. Sa, Men.* etc.). Deus enim in s. libris novi foederis tamquam is exhibetur qui *vocat* ad regnum messianicum, qui *dat* Christo discipulos, qui parat filio suo nuptias et invitat ad nuptias et sim.

Ut autem multi ei attribuantur, requiritur, ut potestates adversae deiiciantur; quare id quoque potentia servi Domini effectum iri enuntiatur. Messiae victori adaptatur imago bellica (cf. 49, 2); fortibus spolia eripit suisque dividit (cf. 49, 24). Potestates adversae subiicientur earumque opes regno messianico inservient, sicut olim factum est in spoliis Aegyptiorum. Unde multi etiam explicant Messiam praedam a satana captam ei esse erepturum (cf. *Euseb. S. Cyr. Barh. Mald. Sasb. Lap.* etc.). Talis autem praeda et tales opes ei donabuntur et ab ipso acquirentur, quia mortem subiit eamque maxime ignominiosam, et quia in ea mortis contumelia non solum obiective expiationem perfecit, sed etiam suis obsecrationibus gratiam et benedictionem pro sontibus efflagitavit. Hisce quattuor membris optime ratio redditur, cur regnum messianicum magna capere debeat incrementa — in qua re praemium et gloria Messiae magnam partem constituitur — et paucis non solum huius orationis argumentum recolitur, sed etiam nova adduntur indicia: *cum sceleratis reputatus est* vel uti hebr. niphal concipi potest: se sceleratis adnumerari permisit (cf. *Reinke*), unde simul quale iudicium in v. 8 intelligi debeat et qualis condemnatio ad mortem indicatur. Ipsum quoque genus mortis scil. effusio sanguinis, quae 52, 15 innuebatur voce *asperget,* hoc loco clarius enuntiatur, cum hebr. proprie habeatur: *quia effudit in mortem animam suam* vel vitam suam profudit; vita autem vel anima in sanguine est (cf. Gen. 9, 4. Lev. 17, 11), unde animam effundere facile ad notionem sanguinis effusi redigitur; in effusione autem sanguinis notio sacrificalis saepe adest (Hebr. 9, 14; cf. *Bade, Mayer*). In adnumeratione cum sceleratis maior quaedam contumelia continetur. Quo demum animo ea omnia subierit, breviter sed efficacissime describitur ultimo membro: intercedit pro sceleratis. De impletione lege Marc. 15, 28. Luc. 22, 37; 23, 34. Ioan. 18, 30. *Multi* dicuntur quia revera magno numero regno messianico nomen dabunt; *multitudo* declaratur, non negatur in universum pro omnibus satisfactionem esse oblatam; sunt ergo οἱ πολλοί; ita רַבִּים legitur in vaticinio apud Is. 2, 3 de iisdem qui antea v. 2 omnes appellati sunt.

Textum hebr. in priore membro alii vertunt: *partem illi dabo inter magnates* (apud *Malv. For. Mald. Net. Rohl. Sein. Kn. Del. Or.*) vel eo sensu, ut accipiat magnam hereditatem qualis magnatibus soleat convenire (*Mald.*) vel, ut ipsi magnates ei debeant reverentiam exhibere (49, 7. *For. Del.*), vel ut parem cum magnatibus honorem et gloriam sortiatur (*Ges.*). Sed nulla ex his explicationibus dignitati rei satis convenit. Nam comparatio cum magnatibus est languida; et quinam sunt isti magnates? Num servo Domini nihil aliud promittitur, nisi quod cuidam principi etiam obvenire potest vel solet? Id certe post v. 10 et 11

iam non tolerari potest; minime quoque si 49, 6. 8. 9 et sim. considerantur. Quare ea versio retinenda est, quam LXX et *S. Hier.* tradunt: ipsos scil. multos vel potentes ei attribui (cf. *Reinke, Bade, Mayer, Kueper, Hahn, Naeg. Stier, Oehler* aliique), tales nimirum ei tamquam peculium quasi et praemium assignari; ita simul gradatione quadam exhibetur reges ei obsequium esse persoluturos. Ita textum hebr. verti posse, immo debere, patet ex eadem phrasi quae solum Iob 39, 17 occurrit: non impertivit ei de intelligentia, ergo ei tamquam sortem non attribuit intelligentiam; quare hunc nostrum locum intellige: ei tamquam partem et sortem attribuit multos.

In secundo quoque membro vertendo aliquid cernitur discriminis: אֵת enim aliqui non ut notam accusativi agnoscunt, sed altera notione *cum*: *cum potentibus dividit spolia*; id quod accipi potest vel: sicut potentes dividit spolia (*Mald. Hahn*) vel simul cum potentibus terrae spolia victoriarum possidebit (*Rohl.*) vel potentes habet comites et socios pugnae, quibuscum praedam et spolia dividit (*For. Osor. Malv. III. Bade, Del.*). Prior interpretatio est languida multumque friget, neque melior est altera: potentes scil. iam non solos dominari, verum cum ipsis de fructibus victoriarum suam habere partem servum Dei; tertia explicatio bonum prae se fert sensum et exhibet gradationem: inter multos quos iustificat servus Dei et quos Deus ei assignat sunt etiam potentes, quibus spolia dividit, qui igitur socii pugnae ac laboris fuerint. Tales socii utique Messiae adscribuntur Ps. 44, 8: unxit te Deus oleo laetitiae *prae consortibus tuis* et v. 17 filii constituuntur principes super omnem terram. Sed hebr. etiam verti potest: *validos distribuet praedam* i. e. potentes sibi subiicit eosque tamquam praedam suis distribuet. Atque haec acceptio videtur praeferenda (cf. *Reinke, Mayer, Naeg.*); nam arctius cohaeret cum membro antecedente et ad gloriam Messiae spectat describendam, ut potentissimos quosque sibi subiiciat, eos praedam obtineat suisque dividat; socii pugnae iam indicantur in ipsa voce distribuendi vel dividendi; dein aptius videtur, ut exprimatur quaenam sint spolia; ipsos vero potentes considerari spolia et praedam, iam facile fluit ex membro primo. — In textu graeco legitur ut apud *S. Hier.* τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα; versio syriaca in utramque partem intelligi potest: validis distribuit praedam, vel validos distribuet praedam.

Notat *Sanct.*: « haec ad fructum passionis pertinent et Christi gloriam. Pater ergo promittit Filio suo pro tam constanti obedientia et tam indefessa laborum tolerantia non iam populum unum angustis Palaestinae finibus circumscriptum, sed plurimos ad ultimos orbis terminos disseminatos; illud enim est *dispertiam.* Dividet autem Christus spolia fortium, quia quidquid erat egregium aut in regum principumque opibus aut in prudentia ingenioque sapientum qui Christi doctrinam et fidem amplexi sunt, id totum divinae gloriae et honori servivit ».

Appendix de servo Domini.

Servum Domini in hac oratione descriptum esse Messiam, Iesum Christum, rationibus quam gravissimis constat. Primo enim omnia et

singula in Iesu Christo ita sunt impleta, ut plane nemo excogitari queat, ad quem ea omnia et singula specie quamvis tenui veri vel probabilitate solum exigua referri possint. In Iesu vero singulae sententiae sensu vero, plano, proprio impletae sunt. Exortus est ex humili familia in humili conditione posita (53, 2); in sacra passione colaphis, sputis, flagellis ita est vexatus, ut fere hominis aspectus in eo non esset, adeo ut ipse Pilatus quamvis utpote Romanus sanguini, vulneribus, certaminibus gladiatorum assuetus, eius tamen aspectu maxime commoveretur et ipsum quoque populum caedis ac sanguinis maxime appetentem ad miserationem iri flexum speraret. Inde « ecce homo » qua scena illustrantur verba v. 2 et 3. Iesum autem satisfactionem praestitisse et propitiationem factum esse pro peccatis omnium, veritas est in s. literis novi foederis adeo saepe enuntiata adeoque nota, ut hic non opus sit quidquam de ea addere. Hanc vero satisfactionem vicariam Isaias ita rem censet maximi momenti, ut *duodecies* in hoc solo capite efferat servum Domini nostras in se suscepisse culpas: nam, prout ab ipsis protestantibus *Wünsche* et *Naeg.* loci enumerantur: 1) morbos nostros tulit 4 a; 2) dolores nostros portavit 4 a; 3) ipse perfossus est propter scelera nostra 5 a; 4) conculcatus propter iniquitates nostras 5 a; 5) castigatio pacis nostrae super eum 5 b; 6) vibicibus eius sanatio nobis 5 b; 7) Iahve immisit in eum iniquitatem omnium nostrum 6 b; 8) propter scelus populi mei percussio ipsi 8 b; 9) si posuerit anima eius sacrificium pro delicto 10 a; 10) et iniquitates eorum ipse portat 11 b; 11) cum iniquis reputatus est 12 a; 12) peccata multorum portat 12 b. Iam si cum his comparatur doctrina christiana de expiatione per Iesum facta, quid magis evidens esse potest, quam hanc satisfactionem iis in locis iterum iterumque accurate delineari? Quis enim alius hic describitur, nisi « agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, qui mortuus est pro peccatis nostris *secundum Scripturas,* cuius livore sanati sumus, qui tradidit seipsum pro me, quem proposuit Deus propitiationem in sanguine ipsius propter remissionem delictorum, qui est propitiatio pro peccatis nostris »? etc. etc.; cf. Ioan. 1, 29. 1 Petr. 2, 24. 1 Cor. 15, 3. Gal. 2, 20. Rom. 3, 25. 1 Ioan. 2, 2; 4, 10 etc. etc.

Sollemni modo Christus profitetur saepius se libere sese hostibus committere, animam se ponere; ea autem libertas v. 7 describitur simul cum ea patientia et eo silentio, quae ab evangelistis et S. Petro (1 Petr. 2, 23) in Iesu eodem modo laudantur. Iudicium iniustum, tumultuariam actionem forensem in v. 8 propositam in Iesu impletam esse nemo negaverit. Quam accurate ratio sepulturae v. 9 in Iesum conveniat per singula, ipsa facta loquuntur. Innocentiam Iesu verbis ex v. 9 petitis

Petrus commendat (1 Petr. 2, 22) et Ioannes (1 Ioan. 3, 5). Sacrificium Iesum obtulisse semetipsum (v. 10) sollemnis est et saepius repetita doctrina S. Pauli (Hebr. 9, 11 seq. 26. 28; 10, 10. 12. 19 etc.). Iesus resuscitatus vivit in gloria et beatitate summa, videt Ecclesiam suam propagari per orbem; gratia sua illustrat et iustificat quicumque demum ad iustificationem pervenit atque continuo interpellat pro nobis merita sua Patri repraesentans; ergo praeclare omnia praestat quae v. 11 continentur. Continuo regnum eius crescit, hostes divincit (v. 12); ipse Iesus vivens in terris hanc in se prophetiam adimplendam esse asseruit : « dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me : et cum iniquis deputatus est » (Luc. 22, 37; cf. Marc. 15, 28); ipse demum Iesus moriens pro transgressoribus rogavit. Unde singula in eo plane impleta esse luce clarius constat. Neque minus evidens est et ipsum Iesum et evangelistas et apostolos in scriptis suis haec oracula de Christo explicuisse. — Magna quoque sedulitate SS. Patres hos locos de Iesu Christo interpretati sunt locis prope infinitis; multa iam diligenter collegerunt aliqui veteres interpretes; vide *Sanct.* v. g.; inter recentiores huic rei operam impenderunt assiduam *Reinke,* l. c. p. 2. 8 seq. 243 et prae ceteris uberius *Tailhan,* Analysis bibl. P. Kilber, ed. 2 I p. 383 seq.

Neque apud ipsum prophetam desunt indicia omnino clara quibus de quo loquatur constare potest, ita quidem ut si ipsius libri prophetici fines non relinquamus tamen certo possimus eruere quem ob oculos habuerit. Primo enim inter servum Domini in hac parte a cap. 49 et deinceps descriptum et inter servum Domini 42, 1 seq. delineatum, is adest et verborum et rerum parallelismus ut de uno eodemque sermonem fieri in aperto sit positum. Claritatis causa hunc addo conspectum brevem :

42, 6 ego vocavi te	49, 1 Dominus vocavit me
42, 1 suscipiam eum	49, 2 in umbra manus suae protexit me
42, 6 apprehendi manum tuam et servavi te	49, 8 auxiliatus sum tui, servavi te
	50, 7 Dominus auxiliator meus et v. 9
42, 1 dedi spiritum meum super eum	50, 4 Dominus dedit mihi linguam eruditam
	50, 5 Dominus Deus aperuit mihi aurem
	52, 13 ecce sapiens erit servus meus

42, 1 gentibus iudicium proferet	49, 6 dedi te in lucem gentium 53, 11 in scientia sua iustificabit multos
42, 2 non clamabit...	50, 5 ego non contradico; 53, 7 non aperuit os
42, 3 calamum quassatum non conteret	50, 4 ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo
42, 4 legem eius insulae exspectant	49, 6 dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae
42, 6 dedi te in foedus populi in lucem gentium	49, 8 dedi te in foedus populi 49, 6 in lucem gentium; cf. 51, 4; 55, 4. 5
42, 7 ut aperires oculos caecorum et educeres de conclusione vinctum	49, 9 ut diceres his qui vincti sunt: exite, et his qui in tenebris : revelamini

Utramque descriptionem concludit carmen actionis gratiarum 42, 10-12 et 49, 13; 51, 3; 51, 11; 52, 9. Servus Domini laboribus subiectus iam 42, 4 hebr. innuitur, id quod dein 49, 4. 7 et 50, 5. 6 et 53, 2 seq. explicatius proponitur.

Secundo autem servus Domini 42, 1 seq. ita est descriptus, ut idem plane sit iisdemque notis exhibeatur sicut is de quo 11, 1 seq. Quod quo magis pateat, hunc perpende conspectum :

11, 1 virga de trunco et surculus	53, 2 virgultum, radix de terra sitienti
11, 2 requiescet super eum spiritus Domini	42, 1 dedi spiritum meum super eum, complacuit sibi in illo anima mea
11, 3 non secundum visionem oculorum iudicabit...	42, 3 in veritate educet iudicium
11, 4 iudicabit in iustitia, arguet in aequitate	42, 1 iudicium gentibus proferet; 42, 4 donec ponat in terra iudicium
11, 10 stat in signum populorum	42, 6 dedi te in lucem gentium
11, 10 ipsum gentes quaerent	42, 4 legem eius insulae exspectant
11, 11 in die illa adiiciet Dominus ad possidendum populum...	42, 6 ut educeres de conclusione vinctum

In utroque loco gloria insignis pro Deo ex opere illius consequitur 11, 10 hebr. 42, 8.

Iam de quo sermo est in cap. 11 ? Ibi rationalistae quoque Messiam deprehendunt et Iudaei quoque recentissimi (cf. *Hamburger*, Realencyclopaedie für Bibel und Talmud I p. 748; Strelitz 1884). Sed si in cap. 11 describitur Messias, idem agnoscendus est 42, 1 seq. et cap. 49. 50. 53; nam iisdem verbis, rebus, eodem opere, munere, eadem indole iisdemque notis in hisce locis depingitur. Proinde quamdiu lex illa valet, ut iisdem verbis eadem designetur res, iisdem notis ac nominibus idem appelletur homo, tamdiu certum et inconcussum esse debet, in cap. 11 et 42 et 49 de uno eodemque agi, ergo de Messia. Cum ergo Isaias tam multiplicem efferat parallelismum et verbis et rebus contentum et expressum, nullius momenti est quod obiicit *Kleinert* : at servus Domini neque Messias neque filius David vocatur (cf. Studien und Krit. 1862 p. 741); nam haec *nomina* ne cap. 11 quidem leguntur neque quisquam propterea ibi Messiam describi negat. Sed Isaiam tamen etiam in hac parte servum Domini considerare tamquam intime nexum et colligatum cum promissionibus Davidi olim datis, elucet ex 55, 3 et 4 : misericordias David fideles, ecce testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus, quibus verbis declaratur, gratiosas illas ac firmas promissiones (hebr.) Davidi concessas per eum iri impletum.

Cum locus iste adeo insignis sit, non pigebit etiam eam afferre paraphrasin quae in targum chaldaico legitur et quae Ionathani ben Uziel attribuitur (de quo vide *Cornely*, Introd. I p. 401 seq.). Locum esse messianicum *Chald.* omnino agnoscit; at quae de Messia patiente et expiante in textu Isaiae traduntur plano verborum sensu penitus relicto ita detorquet, ut vel Messiam gloriosum vel populum Israel miseriis afflictum prodant. Ita vero habet :

52, 13 : ecce prosperabit servus meus, Messias (מְשִׁיחָא), exaltabitur et augebitur et confortabitur valde (eminenter); v. 14 : sicut exspectavit eum domus Israel diebus multis, qui (Israel) erat pauper inter populos — aspectus eorum et splendor eorum a filiis hominum (ita scil. erat aspectus eorum pauper, ut splendor qualis homines decet iam non adesset [1]) — v. 15 : sic disperget populos multos, super eum conticescent reges, ponent manus suas super os suum, quia quod non narraverunt eis viderunt et quod non audierunt intellexerunt. 53, 1 : quis credit huic

1. Hac ratione illud מִבְּנֵי a filiis hominum explicandum erit : aspectus scil. et splendor iam non humanus; ita textui hebr. omnino congruit et מן habet in chald. omnes notiones et functiones sicut in hebr. prout *Levy*, Chald. Woerterb. affirmat. *Reinke* vertit : prae filiis hominum.

nuntio nostro et potentia brachii fortitudinis Iahve nunc cui revelata est? v. 2 : et magnificabitur iustus coram eo; en, sicut surculi florentes et arbor quae mittit radices suas ad torrentes aquarum, sic multiplicabitur familia sacra in terra quae indigebat eo. Non (est) aspectus profanus aspectus eius et timor eius non est timor idiotae (i. e. non timetur ut homo quilibet, sed multo maior ei penditur reverentia), sed decor sanctus (est) decor eius, ut omnis qui viderit eum contempletur eum. v. 3 : tum erit in contemptum et delebit gloriam omnium regnorum (omnium impiorum רשיעיא *Levy* legit. Chald. Woerterb. p. 280); erunt infirmi et tristes sicut vir dolorum et destinatus morbis et quando erat subtractio vultus maiestatis (schechina) a nobis, despecti eramus et non reputati; v. 4 : tum pro culpa nostra deprecabitur et delicta nostra propter eum dimittentur et nos reputamur caesi, percussi a Iahve et afflicti; v. 5 : et ipse aedificabit domum sanctuarii quod profanatum est propter culpas nostras, traditum propter iniquitates nostras, et in doctrina eius pax multiplicabitur super nos et cum obedierimus verbis eius, culpae nostrae dimittentur nobis; v. 6 : nos omnes ut oves dispersi sumus; versus suam quisque viam migravimus et coram Iahve fuit beneplacitum dimittendi culpas omnium nostrum propter eum. v. 7 : deprecatus est et responsum est ei (exauditus est) et dum non aperiret os suum acceptus est (antequam aperiret?); robustos populorum sicut agnum ad mactandum tradet et sicut ovem quae coram tondente se tacet et non erit coram eo qui aperiat os suum et loquatur verbum; v. 8 : ex castigationibus et punitione adducet captivitatem nostram et mirabilia quae fient nobis in diebus eius quis valebit enarrare? quia auferet dominium populorum de terra Israel; peccata quae peccavit populus meus usque ad eos pervenient. v. 9 : et tradet impios gehennae et divites opibus qui rapuerunt in mortem exitiosam, ut non permaneant facientes peccatum et non loquantur dolum in ore suo ; v. 10 : et coram Iahve beneplacitum fuit conflare et mundare reliquias populi sui, ut purgaret a culpis animam eorum; videbunt regnum Messiae sui, multiplicabunt filios et filias, prolongabunt dies et facientes legem Iahve in beneplacito eius prospere agent; v. 11 : a servitute populorum liberabit animam eorum, videbunt punitionem odientium se, saturabuntur praeda regum eorum; in sapientia sua mundavit mundos ad subiiciendos multos legi et pro culpis eorum ipse deprecabitur. v. 12 : tum dividam ei praedam populorum multorum, et opes civitatum fortium distribuet spolia, propterea quia tradidit morti animam suam et rebelles servire fecit legi et ipse pro culpis multorum deprecabitur et rebellibus dimittetur (ignoscetur) propter eum.

Ita paraphrastes chaldaicus. Ex qua paraphrasi constat locum hunc a

Iudaeis antiquis de Messia esse intellectum; explicite quoque traditur peccata dimitti propter eum, ipsum deprecari pro culpis, immo eum tradere animam suam (vitam) morti. Ceterum cuncta quae de Messia patiente et expiante dicuntur in textu hebr. vel in sensum plane alium versa sunt vel ad populum relata. Solum in v. 3 de eius contemptu est sermo et v. 12 de eo quod tradit morti vitam suam, id vero *Weber* (System der altsynagogalen palaestin. Theologie p. 345, Leipzig 1880) explicandum esse dicit non de morte obeunda, sed de mortis periculo cui se obiiciat pugnans cum rebellibus. Sed quidquid est de paraphrasi hac, rei caput in eo consistit quod hic locus agnoscitur messianicus; atque ut talis non solum ab hoc paraphraste agnitus est, verum ipsi Iudaei posteriores qui interpretationem messianicam reiiciebant, uti Abenesra, Iarchi, Abarbenel, Maimonides, tamen distincte contendunt, multos antiquiorum ipsius populi interpretum firmiter credidisse hunc locum pertinere ad Messiam (cf. *Reinke,* l. c. p. 14. *Weber* l. c. p. 344). Eius rei testimonia afferuntur complura a *Reinke,* inter quae nonnulla quoque sunt, quibus Messias peccata expians distincte exhibetur; ita legitur in libro Pesikta in tractatu Abkat Rochel : « Deus cum mundum crearet tendebat manum suam infra thronum maiestatis suae et Messiae animam producebat dicens ad eam : visne curare et redimere filios meos post sex millia annorum? respondit ei : ita; dixit Deus : portabisne poenas ad delenda peccata, id quod scriptum est : vere nostros morbos portavit? et respondit ei : portabo eos in laetitia » (*Reinke* l. c. p. 15); alia testimonia invenies apud *Galatinum,* de arcanis cathol. veritatis 4, 12; 6, 2; 8, 11. 15. 19. 20; 10, 6 p. 224. 436. 574. 586. 596. 599. 663 (Basileae 1550) et *Reinke* p. 15 seq. 253 seq. Sed apertissimum testimonium in eo continetur, quia Iudaei ne gloriosum Messiam, filium David, istis poenis et doloribus subiicerent, alium Messiam eius praecursorem excogitarunt, filium scil. Ioseph vel Ephraim, qui morte sua expiaret crimina Israel et ita regi Messiae et populo viam sterneret ad regnum gloriae constituendum; de eo vide *Weber* l. c. p. 346. 347.

Quod igitur veteres Iudaei omnino profitentur agi scil. hoc capite de Messia, id multos christianos nolle agnoscere cogimur fateri. Sequuntur illi et malunt sequi Iudaeos posteriores qui quo efficacius argumenta christianorum effugerent caput hoc iam alio prorsus modo, a sensu literali et veterum traditione alienissimo, explicare maluerunt. Explicarunt enim de populo israelitico *Abenesra, Iarchi, Kimchi, Abarbenel, Salomon ben Melech, Isaac ben Abraham;* immo iam Origenes hanc sententiam a Iudaeis prolatam oppugnavit et plana verborum explanatione re-

futavit (cf. c. Cels. 1, 55; *M.* 11, 761). Volunt scil. gentes loquentes induci, quae agnoscant populum israeliticum peccata ipsorum tulisse et expiasse, nullo modo autem illum punitum esse propter sua ipsorum peccata. In qua sententia absurda hoc unum notatu dignum est, quod satisfactionem vicariam omnino in textu exprimi concedunt, quam quidem a populo israelitico pro gentibus praestitam absurde contendunt. Hanc explicationem sermonem fieri de populo israelitico amplexati sunt *Doederlein, Schuster, Eichhorn, Telge, Ros. Hendewerk, Hitz. Koester* (cf. *Ges. Kn. Reinke*). Ad quam sententiam proxime accedunt *Ewald, Beck,* qui in servo Domini non quidem populum totum simpliciter cernunt, sed populum qualis ex Dei volontate esse et concipi debet. Hisce refutandis immorari non est opus. Nam populum Israel in exsilio non peccata gentium expiasse, nimis evidens est.

Unde alii, ut prioris sententiae absurditatem minuerent, non de toto populo, sed solum de parte meliore ac saniore locum interpretati sunt; ita *Paulus, Thenius, Maurer, Ammon, Ges.* (in *Thes.* aliter in comment.), *von Coelln* et *Seinecke*, qui non quidem ex norma hermeneutica, sed « secundum logicam rationem historiae » rite in servo Domini Messiam ab Ecclesia Christi agnitum esse fatetur. Verum ex regulis hermeneuticis non alium nisi Messiam posse deprehendi, supra demonstratum est.

Id demum etiam perspexit *Cheyne* qui sententiam suam priorem depingi figuram quandam et formam praeclaram Israelitae iusti ac pii relinquens ipsum Messiam describi iam admittit. Iure advertit notionem servi Domini petendam esse praeprimis ex locis illis praecipuis quibus eius imago quam maxime distincte delineetur (42, 1-7 : 49, 1-9 ; 50, 4-10 ; 52, 13-53, 12), in hisce autem servum Domini exhiberi eum qui revera sit redemptor et populi israelitici et gentium ; similiter iam 42, 1 seq. servum Domini iis efferri notis moribusque, ut unus quidam necessario sit intelligendus qui quamvis homo sit tamen etiam supra humanam naturam emineat, paucis, proponi eandem notionem quam evangelia de Christo exhibeant. Accipe ipsa eius verba : « in the sublimest description of the Servant I am unable to resist the impression that a historical person is intended and venture to think that our general view of the Servant ought to be ruled by those passages in which the enthusiasm of the author is at its height. Servant of Jehovah in these passages seems about equivalent to « son of Jehovah » in Ps. 2, 7. viz. the personal instrument of Israel's regeneration, or as we may say on the authority of 61, 1 the Messiah.... In the description at the head of chapter 42 the Servant of Jehovah is distinctely individualised ; his person is at once human and superhuman, in a word, it is substantially the same conception as that given of Jesus Christ in the Gospels.... It was not (as I once thought) the ideal and yet real Genius of Israel who preached to an unbelieving generation, who was slain, but not given up to the power of Hades and for whom an endless life and posteritv were reserved — but a litteral human

being, perfectly righteous himself and able therefore to make the many righteous.... In the more salient and elaborate passages the Servant is the historical Redeemer of Israel and the world » (The prophecies of Isaiah, London 1881 I p. 253. II p. 198).

Alii meliorem ac saniorem populi partem vel ut cum quibusdam loquamur « nucleum theocraticum » etiam magis contraxerunt et solum ordinem prophetarum vocari servum Domini censebant; ita *Ges.* (in comment.), *de Wette, Winer, Schenkel; Kn.* vero cum prophetis etiam seniores, sacerdotes, levitas adnumerat qui instaurationem post exsilium perfecerunt. Verum quam parum vel prophetis vel senioribus Israel ea conveniant quae h. l. dicuntur, omnia pene verba textus clamant. Nam neque prophetae neque seniores neque sacerdotes unquam talia sustinuerunt, neque pro peccatis aliorum se ipsos victimas et sacrificia dederunt, neque mortui et sepulti denuo vixerunt etc. Praeterea si de multis esset sermo, valde mirum foret per integram orationem semper et ubique ita sermonem fieri, ut *unus* solum numero singulari efferatur. Id nullibi eo modo usuvenit, ubi de pluribus est sermo; neque contrarium demonstrari v. 8 לָמוֹ vel v. 9 בְּמֹתָיו supra iam ostensum est.

Unde alii ipsa sermonis conformatione adacti de *uno* aliquo sermonem institui probe perspicientes varios excogitarunt, ad quos oraculum referretur. Audiamus aliqua eius rei specimina. In oraculo sermo est de percusso a Deo, qui fere est leprosus. En, Azarias rex lepra percutitur pro culpa adeo levi (!); unde Isaias in carmine funebri de eo canit expiationem per ipsum esse factam totius populi; ita *Augusti*. Praeclaram sane interpretationem, qua hoc loco carmen funebre in Azariam deprehenditur; proh dolor, Azarias leprosus mortuus est; ubi est eius exaltatio? ubi ea quae v. 11. 12 dicuntur? Cum etiam de morbo Ezechiae regis narretur, alii in eo servum Domini deprehenderunt (*Konynenburg, Bahrdt*). Porro de ipso Isaia fert traditio illatam ei esse mortem violentam; quare carmen hoc Isaiae vexationes mortemque referre *Voltaire* et *Stäudlin* voluerunt. Etiam Ieremiam scimus persecutionibus obnoxium fuisse; quare non mirum de eo locum hunc accipi a *Saadia* (cf. *Ewald und Dukes,* Beitraege II p. 95) et *Grotio*. Sed prae his omnibus palmam tulit *Abarbenel*, qui de multis aliis locum hunc posse exponi docet v. g. de rege Iosia, vel de Moyse, vel etiam de celeberrimo rabbi Akiba!

Mediam quandam viam ingreditur *Davidson* (in fasciculis The Expositor, 1884, second series t. 8); ex una parte concedit omnia quae de servo Domini dicantur impleta esse in Christo; id apertissime ostendi libris novi testamenti et ipsa Christi explanatione quam dederit in synagoga nazarethana de cap. 61 (p. 358. 364); unde omnes exceptis Iudaeis ait in eo consentire sublimem illam formam et figuram servi

Domini opere et re expressam esse in Christo, neque dubitari posse quin spiritus Christi qui fuerit in propheta eius mentem illis imbuerit cogitationibus, quibus via quaedam sternatur ad Christum (p. 450); at ex altera parte vehementer negat hisce contineri vel exprimi id ipsum quod propheta cogitaverit. Quare contendit duo esse bene distinguenda : in quo omnia illa de servo Dei revera impleta sint? et quid ipse propheta describens servum Domini in mente habuerit? Ad alteram hanc quaestionem dari debere dicit responsum plane diversum [1]; a propheta enim servum Domini intelligi eo plane modo quo loquatur de Sion et Ierusalem, ita ut duae illae prosopopoeiae, Sionis scil. et servi Domini, sint revera una eademque figura loquendi; servum Domini, uti propheta eum mente conceperit, esse populum Israel, quatenus a Deo electus in aeternum vivat, esse similem loquendi figuram sicuti sapientiam in Proverbiis. Ratio autem qua *Davidson* potissimum inducitur ad eam sententiam ea est : una eademque expressio servi Domini non potest applicari nisi ad unum subiectum, ita ut quam primum certum est populum semel ita vocari a propheta etiam exploratum sit ubique intelligi populum, quamvis fieri possit ut ipsa populi notio modo latius modo strictius concipiatur [2]. Verum haec ratio fallax est. Nam unum idemque attributum de illis omnibus potest dici et dicitur, in quibus ratio et vis attributi invenitur. Ita sane in s. literis multi dicuntur filii Dei; v. g. angeli, et populus Israel et rex theocraticus et iusti omnes, quia in his omnibus *aliqua* ratio filiationis et adoptionis vel propria vel analoga adest. Eodem modo multi dicuntur servi Domini. Idem cernis de notione sapientiae in libro Sapientiae, quae notio modo de divino attributo dicitur, modo de hypostasi divina, modo de creata aliqua sapientiae divinae participatione. Unde cum logice aliqua appellatio omnibus tribui possit quibus ratio eius aliqua inest, solum inquirere oportet, utrum propheta clare distinguat populum servum Domini ab

---

1. Verba eius sunt : « in whom have the features of the Servant of God been seen in fact? Indeed when the question is put in this form, no other answer can be given than the Christ Messiah... but the question put is : what subject had the prophet present to his own mind, when speaking of the Servant? To the former question the interpreter can give but one answer; to the second he may give an answer quite different..... it can hardly be doubted, that the prophet's thought is national » l. c. p. 358. 359. 364. Et p. 450 : « the question is not, whether the prophet's great figure of the Servant has been verified in Christ; on that all except Jews are agreed. Nor is the question, whether the spirit of Christ which was in the prophet led his mind to the great thoughts which he expressed with a view to Christ and in preparation for him. Over this also there need be no dispute ».

2. « The idea of the Servant cannot change and the subject can change only as far as its bulk or character is concerned. The Servant in the narrower sense must still be Israel..... The subjects to whom the epithet is applied must all have an essential identity... The servant is a creation of the prophet's mind, the ideal Israel itself » l. c. p. 267. 331. 450.

alio servo Domini necne. Prophetam autem apertissime distinguere supra demonstratum est.

Iam cum verba sint adeo plana, cum omnia et singula in Iesu sint plenissime impleta et in s. literis novi foederis eadem et saepius quidem iisdem verbis de Iesu dicantur, quae tandem rationes afferuntur contra explicationem messianicam? Nam *Kn.* sollemniter profitetur messianicam explicationem nullo modo posse sustineri (ganz unhaltbar). Et ratio prima est, « quia vetus testamentum neque novit neque noscere *potuit* Messiam patientem ». Sed sciturne hoc a priore? Nonne si quis ad investigationem accedit, hanc debebit quaestionem ponere, utrum inveniatur talis Messias in vetere foedere necne? Verum a limine statuere : neque novit neque nosse potuit, est pessima petitio principii. De facto Messias apparuit et passus est; iam si de eo aliqua manifestare Deo placuit, quis limites praefigens Deum iubeat haec manifestare, alia minime? Aut ergo omne oraculum messianicum negandum erit aut ab ipso quoque rationalista concedi debet etiam Messiam patientem *potuisse* revelari. Sed, obiicit *Kn.*, Messias patiens non solatium attulisset et spem, sed contrarium tantum! At num in hoc loco solum patiens exhibetur ita ut populus talia audiens ad desperationem de felicitate aliquando habenda adigatur? Quis hoc serio dixerit? Eius exaltatio et felicitas eorum qui ipsi adhaerent iam hoc loco 52, 13 et 53, 10-12 ita proponitur, ut non desperatio, sed spes laeta exsurgat; praeterea adde quae 42, 6 seq. 49, 6 seq. de gloria Messiae eiusque populi praedicantur, adde quae statim a cap. 54 subduntur, adde alios locos messianicos 9, 5; 11, 6 seq. et mecum miraberis, homini ratione utenti potuisse in mentem venire populum iri ad desperationem adactum hac imagine Messiae patientis? Nonne in ipsa passionis descriptione nostra bona prominent? pax nostra, sanatio nostra, immo spoliorum distributio! En, habes quod *Kn.* desiderat, populo scil. ad sui abnegationem et humilitatem minime prono etiam spoliorum distributio proponitur. Ergo non erit periculum desperationis! Omitto alia quae ad doctrinam spectant, fuisse v. g. utile, immo necessarium scire quis demum pro peccatis nostris sit expiaturus, fidem in Messiam esse et fuisse necessariam ad salutem; demum ex Messia patiente non colligi desperationem, sed plane alia, quae v. g. apostoli docent (cf. 2 Cor. 8, 9. 1 Petr. 2, 21 seq. Iac. 5, 11). Num historia Iob et persecutionum David etiam ad desperationem legentes adigit?

Insuper consideranti Isaiae vaticinium totum haec imago Messiae non oritur subito et repente quasi deus ex machina, verum multis modis praeparatur et praeformatur simulque iis gloriae radiis admixtis, ut scandalum crucis plane in gloriam crucis convertatur. Nam iam in

priore parte et Messiam ex humili origine ad gloriam esse perventurum et populo demum humiliato et afflicto salutem fore non semel clare indicatur. Id iam cernis in visione inaugurali 6, 13 : arbore caesa truncus solum remanet; postquam 2, 12 et seq. omne quod est sublime deiectum et prostratum est, oritur germen Iahve 4, 2; postquam Libanon mons magnificus concidit, ascendit surculus ex trunco Iesse 11, 1 et eundem surculum e terra arida egredientem habes 53, 2 in nostro oraculo. Ergo iam in parte priore per gradus quosdam humiliatio Messiae praeformatur. Etiam magis eius labores innuuntur 42, 4 (hebr.); iterum 49, 4. 7. 8; accuratius 50, 5. 6 seq. et tum demum istis praemissis singula lineamenta quae implicite antea dederat vates explicat. Eodem modo per gradus indicatur Messiam pati propter populi peccata eaque sua passione expiare. Id iam nomine servi Domini significatur, quo et ipse et quandoque etiam populus appellatur. Quia enim populus qui debuit esse servus Domini ab hoc officio turpiter descivit, alter servus Domini pro eo satisfacit; vide quae dicta sunt ad 50, 4. Populum autem ex afflictione demum ad salutem esse evehendum, per totum Isaiae vaticinium constanter asseritur; cf. 1, 27; 4, 2; 9, 4; 11, 4; 14, 32; 21, 10; 25, 4; 26, 6; 35, 1. 3; unde salus messianica ex humilitate efflorescit. Quare Messiam patientem in cap. 53 demum propositum nemo qui attente verba prophetae perpenderit subito inferri iure affirmaverit.

Praeterea num revera, ut recentiores quidam volunt, Messias patiens nullibi in vetere testamento invenitur? quid quod primum iam vaticinium messianicum labores et dolores Messiae clare exhibet? Nam in pugna illa inter serpentem et semen mulieris victoria quidem est a parte seminis mulieris, serpenti enim caput demum conteritur, at simul haec victoria semini mulieris non sine labore et vulnere contingit, nam *ei conteritur calcaneus* (Gen. 3, 15 hebr.). Quid aliud hac pugnae imagine depingitur, nisi victoriam messianicam non acquiri nisi labore, periculo, vulnere, dolore? inimicum salutis in ipso suo interitu eam capere ultionem et id infligere vulnus quod poterit infligere? Dein nonne Davidi dictum est de regibus post eum futuris : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum? immo quaenam futura sit haec virga, iam Salomoni regi indicatur : auferam Israel de superficie terrae, templum proiiciam (cf. 2 Reg. 14. 3 Reg. 9, 7); sed stirpe regia in conditionem humilem redacta non erit mirum, quod ipse quoque Messias qui ex hac stirpe oriri debet humili conditione primum ingreditur in mundum. Afflicta haec conditio etiam a Michaea describitur; dum enim Ierusalem urbs opprimitur et iudex populi summa contumelia afficitur, ex parvo viculo et humili loco prodibit Dominator (Mich. 5, 1. 2). Adde alia per se satis conspicua ex Ps. 21 qui totus est de

Messia patiente in parte priore et in altera de fructibus praeclaris ex eius passione oriundis; adde Zach. 9, 9; 11, 12 seq. 12, 10; 13 7 et hominum audaciam miraberis asserentium in vetere foedere nihil contineri de Messia patiente. Isti simul impudenter ipsum Christum mendacii aut ignorantiae arguunt qui ut passionis suae ostendat necessitatem ad oracula prophetarum provocat non uno in loco (cf. Luc. 24, 26. 46), immo ad nostrum hoc oraculum (Luc. 22, 37). Quid ergo si in vetere foedere nihil adest de Messia patiente? quomodo apostoli tam fidenter ex Scriptura probant Christum esse passum? etc. etc.

Secundo loco obiicit *Kn.* in vetere foedere Messiam non exhiberi ut doctorem gentium per quem in Dei cultu et moribus informentur. Miram assertionem! Nam in omnibus vaticiniis messianis id fere sollemne proponitur, ut omnes gentes sint scientia Dei imbutae et morum sanctitate conspicuae; sed si hoc adeo intime nexum est cum periodo messiana, haec bona per Messiam demum allatum iri patere debet, nisi quis putet bona messiana conferri per alium sine Messia. Vide quae dicta sunt ad 2, 2 seq. — Messias ut est rex ita etiam munus propheticum et sacerdotale ad summam perfectionem adducens in se uno exhibebit; unde ut Deus per prophetas locutus est ad homines edocendos, ita a fortiore per Messiam loquetur. — Reliqua quae *Kn.* obiicit, iam aliis locis praeoccupata sunt. Si autem non intelligit, quomodo Christus passus sit propter peccata populi sui (53, 4-8), reliqui omnes multo minus capient, quomodo prophetae passi sint ad expianda et auferenda peccata populi sui!

Reliquae quae fieri solent obiectiones hisce fere continentur : Messiam nunquam vocari servum Domini — at eadem est appellatio, qua παῖς vocatur Matth. 12, 18. Act. 3, 13. 26; 4, 27. 30; παῖς enim vertitur apud LXX 42, 1; 43, 10; 49, 6; 50, 10; 52, 13 —; multa non esse in Iesu impleta : eum non aperuisse carceres neque annuntiasse reditum ex exsilio 42, 7; 49, 5. 9; 61, 1-3; neque ei a regibus honorem esse exhibitum 49, 7; neque Iesum hereditates dissipatas terramque vastatam restituisse et distribuisse 49, 8; neque spolia et praedam suis divisisse 53, 12; dolores et contemptus et mortem describi et exhiberi ipsa forma verbali tamquam res praeteritas; solam exaltationem ut rem futuram; prophetis autem cuncta messianica solum videri res quae futurae sint, non posse messiana describi tamquam iam peracta; cum 52, 11. 12 de reditu ex exsilio sermo fiat, non posse subdi oraculum quod post quingentos demum annos sit complendum, quod scire exsulum nihil intersit; tam determinatam rerum futurarum praedictionem recedere ab indole prophetali et reliquis vaticiniis quae non exhibeant nisi vaga quaedam et satis generalia desideria de condi-

tione meliore aliquando futura; scriptores novi testamenti sacros hoc oraculo uti solum sensu accommodato vel eorum interpretandi rationem non posse esse normam qua nos in explicatione historico-grammatico-logica ducamur. — Ecce praeclarae rationes quibus oraculum hoc destruatur! Singulas refutare non opus est; pleraque iam praeoccupata sunt in explicatione tradita; alia regulis sanae hermeneutices expediuntur (cf. *Cornely,* Introd. I p. 573 seq.).

5. *Oratio quinta* 54, 1-17.

Arg. — Ierusalem, olim sterilis, iam multitudine filiorum tanta abundabit, ut locum habitationis dilatare debeat (54, 1-3). Deus auferet ignominiam ab urbe, quia ipse rex in ea dominabitur; urbem infidelem punivit, sed iam in misericordia eius miseretur neque unquam ab ea illam auferet (54, 4-10). Quare urbs gemmis quasi et lapidibus pretiosis aedificabitur, incolae sancti erunt et divinitus edocti; alienigenae adiungentur, urbs ab omni impugnatione hostili potenter defendetur (54, 11-17).

Uti supra 49, 6 et 50, 9 et 53, 10-12 post labores servi Dei statim opus eius praeclarum subditur et effectus illi et fructus insignes enumerantur qui ex eius humiliatione orituri sunt, ita nunc ea quae paucis 53, 10-12 indicata erant iam explicatius proponuntur. Quemadmodum enim in altera parte cap. 49 Sionis gloria post labores et gloriam servi Domini splendido modo delineabatur, ita nunc eadem ratione post labores Messiae gloria describitur urbis instauratae. Atque primo quidem ita exhibetur, ut potissimum verba illa declarentur : videbit semen, iustificabit multos (53, 11). Ipso nexu interno et serie oraculorum indicatur gloria Messiae quae in opere eius relucet et ex opere et effectu in ipsum Messiam refunditur. Messias enim et Sion vel Ierusalem eodem inter se nexu continentur quo regnum David et Ierusalem, quo templum et Sion. Unde consequens est ut instaurata theocratia in ea urbe describatur quae veteris theocratiae centrum et sedes erat. Vide quae dicta sunt ad 2, 2.

a) **Filiorum multitudo novae Sionis 54, 1-3.**

« Cum fructus passionis Domini commemorasset et inter eos multiplicationem sobolis et multitudinem iustificandorum ac reducendorum ad veram Dei cognitionem praedixisset, id iam spiritu praevidens non potuit se contineri quin tot filiorum matri congratularetur et ad decan-

tandas Deo gratiarum actiones invitaret » (*For.*) ; simili modo nexum cum antecedentibus adstruunt *Euseb. S. Hier. Cyr. Malv. Osor. Sanct.* aliique. Forma orationis est eadem quae supra 49, 14 ; 51, 17 ; 52, 2 adhibebatur ; v. 1 « *Lauda sterilis quae non paris, decanta laudem et hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet virum, dicit Dominus* » ; — ter invitatur ad maximam laetitiae et iubilationis significationem, quia *plures sint filii desolatae quam filii coniugatae* (hebr.). Compellari Ierusalem, quam vocem *Chald.* addit, ex sequentibus patet et ex 49, 14 ; 51, 17 ; 52, 2 consequitur. Ipsa vero compellatio *sterilis quae non peperit* (hebr.) urbem dicit viduam, populo suo filiisque orbatam, ita ut iam sit quasi sterilis quae nullum ediderit partum ; nam non intelligi sterilem quae omnino non habeat prolem ex ultimis verbis elucet. Ea autem compellatio fit quia salus messiana prophetice ex desolatione et humilitate efflorescere cernitur. Quamdiu respublica iudaica et templum consistebant, urbs Ierusalem erat *maritata* i. e. foedus illud cum Deo externa quoque specie exsistebat et rex theocraticus thronum Iahve obtinebat, Dominus populi sui rex erat et dominator in Sion ; sed regno iudaico destructo et populo in exsilium abducto urbs Ierusalem facta est deserta, desolata, quam Dominus vir eius reliquit solam (cf. 50, 1). Hanc mulieris infidelis desolationem iam delineat Osee propheta : dies multos exspectabis me et non eris viro, sed et ego exspectabo te (Os. 3, 3). Ruinae quippe urbis et templi et regnum iudaicum theocraticum iam destructum aperte profitebantur violationem foederis esse factam et populum a Deo punitum. Verum ex hac abiectione et conditione vili Deus miserator populum suum erigit et theocratiam instaurat eamque ad messianam perficit. Haec mente contemplatus propheta consolatur urbem derelictam cum iubilatione annuntians post ruinam fore instaurationem multo gloriosiorem et uberiorem.

Hac consideratione adhibita facile patet, quaenam urbs compelletur et cur sterilis vocetur. Ierusalem compellari certum est. Volunt quidem aliqui (*Euseb. S. Cyr. Theod. Sasb. Mald. Sa, Men.*) sermonem fieri ad ecclesiam gentilium vel ad Ecclesiam ex gentibus collectam vel ad coetum gentilium et hunc coetum dici sterilem quia eousque paucissimos protulerit cultores Dei, sed regnum messianicum ex gentibus praecipue iri collectum et ea multitudine longe superari numerum cultorum Dei ex una gente Israel. Haec quidem vera sunt et aliquo modo etiam in vaticinio hoc expressa, at coetum gentilium compellari nullo modo admitti potest. Sionem vel Ierusalem per modum prosopopoeiae exhiberi in hac parte frequens est ; vide 49, 15 ; 50, 1 ; 51, 17 ; 52, 1. Unde idem hoc loco statim per se ingeritur ; idque quam maxime tota hac oratione sequenti ostenditur. Vocatur autem Ierusalem sterilis eodem sensu quo antea Sion dixit :

dereliquit me Dominus (49, 14), quo antea vocata est captiva filia Sion (52, 2); est sterilis quia filii eius proiecti sunt (51, 20). Ergo miseriam exsilii propheta ob oculos habet et cum tantam filiorum multitudinem Sioni dari cernat, instaurationem messianam delineat, in qua Sion mater fit populorum (cf. 66, 8 et supra 49, 18 seq.). Unde intelligitur quo sensu hic de Ecclesia ex gentibus collecta sermo sit. Inter plures filios desertae adnumerantur gentes; et hoc modo de coetu ex gentibus collecto sermo fit; eorum autem mater est Sion vel Ierusalem, Ierusalem utique messiano sensu; unde S. Paulus de Ierusalem coelesti quae sit mater nostra ad hunc locum loquitur (Gal. 4, 27). Bene *S. Ephr.* explicat scribens : filii Ecclesiae multo plures erunt quam filii synagogae.

Cum instauratio futura sit multo splendidior atque uberior, quam veteris theocratiae conditio etiam prosperrimo tempore fuerit, iure dicit plures filios fore desertae quam fuerint coniugatae, quos scil. Ierusalem vetus Domino coniuncta habuerit. Ad hanc filiorum multitudinem multo maiorem priore designandam et accommodate ad prosopopoeiam exhibendam monet vates ut urbs ampla ad habitandum spatia provideat v. 2 « *dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida* » ! — cf. 49, 20; simili modo novum urbis aedificium ingenti spatio esse extendendum videt Zacharias (2, 2 seq.). Hebr. *et aulaea tabernaculorum extendant, ne cohibe.* Ad tentorium amplissimum religandum longi opus sunt funes et paxillos solide oportet in terram defigere, quibus funes et tentorii moles sustententur. Proinde tentorium vel habitaculum requiritur amplissimum et robustissimum. Indoles ergo theocratiae instauratae est amplitudo (universalitas) et firmitas; prior theocratia concidit iniquitate populi; nova firma erit et stabilis nulli iam interitui obnoxia.

Amplitudinem illam ita describit vates, ut simul novam suggerat pro iubilatione Ierusalem rationem v. 3 « *ad dexteram enim et ad laevam penetrabis et semen tuum gentes hereditabit et civitates desertas inhabitabit* »; — ad dexteram i. e. meridiem versus, ad sinistram i. e. aquilonem versus erumpet; proinde in omnem partem urbs nova crescet et augebitur. Et uti perpetuo fit in instaurationis descriptione, statim mentio fit aggregationis gentium; semen tuum (cf. 53, 10) sunt filii Sionis messianicae, per quos salus gentibus afferetur. Duo asseruntur : gentes sibi subiicient, eas possidebunt; quo modo, iam Gen. 22, 18; 24, 60; 26, 3. 4; 28, 13. 14 indicatur : benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae; dein vastitates quoque ac solitudines, urbes destructas instaurabunt i. e. ea est indoles et vis instaurationis, ut priora damna per bella et inimicitias, brevi per effectus peccatorum illata reparentur, ut

ipsa quoque creatura particeps suo modo reddatur benedictionis messianae. Illam possessionem gentium quam capient fore pacificam ultimo membro declaratur ; si enim quae antea bellis destructa sunt reparant et vulnera regionibus quasi illata sanant, certe non censendi sunt ipsi velle novis stragibus gentes terrasque proscindere. Quare etiam hebr. ירשׁ h. l. intelligi debet cum veteribus versionibus eodem modo quo saepe (Gen. 15, 3. 4 ; 21, 10. 17. Lev. 25, 46. Num. 36, 8) adhibetur scil. de *possessione* gentium, non cum aliquibus (*Ges. Kn.*) de expulsione. Nam gentes iri congregatum ad theocratiam instauratam ita continuo per prophetam annuntiatur, ut spatio habitationis dilatato iam de gentium expulsione nequeat cogitari. Ceterum infra v. 15 quomodo gentes sint possessuri indubie declaratur, et ad hanc acceptionem omnia illa faciunt quae habentur 49, 23 ; 52, 15 ; 53, 12 ; et in parte priore 2, 3 ; 11, 10 ; 14, 1 etc. Talis ergo erit nova theocratia : universalis, pacem afferens et prosperitatem. Adest igitur cur Sion laudes Deo canat : pro una terra omnes iam accipit, pro uno populo omnes gentes. Unde simul ratio affertur pro v. 2 ut amplissimum habitandi spatium seligatur, ut Ierusalem eius amplitudinis memor qua gentes quoque comprehendantur magis magisque extendat habitationem neve unquam cohibeat quominus addant.

b) Quid intersit inter veterem et novam theocratiam 54, 4-10.

Quo magis illa crescat exsultatio de tanta filiorum copia et gloria instaurationis, Deus Sioni omnem eximit timorem quem praeterito tempore edocta forte de futuro quoque concipere posset. Unde proponit quid interfuturum sit discriminis inter utramque conditionem et primo quidem removet timorem confusionis denuo obventurae v. 4 « *Noli timere, quia non confunderis neque erubesces, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiae tuae oblivisceris et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius* » ; — concinne in hebr. *noli timere quia non confunderis ; neve pudefias, quia non pudore suffunderis ;* prius generatim asseritur iam non fore ignominiam pro urbe theocratica ; dein speciali modo additur etiam confusionem et ignominiam prioris temporis oblivioni datum iri. Ignominia adolescentiae est infidelitas illa qua populus foedere inito mox vario modo in deserto contra Deum peccavit populus enim qui educitur ex Aegypto tamquam sponsa consideratur iuvenis quam Dominus ignominiae ereptam sibi foedere et amore coniungit (cf. Ier. 2, 2 hebr. Ez. 16, 6 seq.), verum haec sponsa mox evasit infidelis et contumax (Ier. 32, 23), quare variis castigationibus a Deo affligitur. Cum commoratio in Aegypto et servitus non fuerit poena,

vix confusio adolescentiae in illa commoratione reponi poterit; populi adolescentia tempus dicitur egressionis ex Aegypto et foederis initi, v. g. Ez. 16, 60 : recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiae tuae. Huic infidelitati a sponsa iuvene iam admissae adiungitur opprobrium viduitatis i. e. exsilii et eiectionis a terra Domini hereditate; hac enim viduitate constituitur Ierusalem *deserta* v. 1. Sed in theocratia instaurata (messiana) iam non est, cur quis de illa apostasia olim facta pudefiat. Tanta enim adest salutis gloria et laetitia, ut veteris dedecoris memoria exstinguatur.

Cur autem nulla adsit ignominia neque ea ex delictis et opprobriis praeteritis iure timeri possit, ratio redditur, quia Dominus foedus illud amoris et gratiae denuo restituit v. 5 « *quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, et redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terrae vocabitur* » ; — in hebr. accommodate ad v. 1 et viduitatem in v. 4 *quia vir tuus creator tuus* (cf. *For. Mald. Mar. Malv. Sanct. Lap.*). Is enim qui populum condidit eum non disperdet, verum foedere amore pleno sibi eum copulat ; amat populum sicut sponsus sponsam et cum sit Dominus agminum coelestium et terrestrium etiam potestate valet qua foedus illud exornet. Conditionem theocratiae collapsam eriget, vindicabit, restituet *Sanctus* Israel, qui qua talis sanctitatem suam in populo relucere vult (cf. 6, 3) ; eamque restituet non iam in arctis prioris Israel finibus, verum se Deum totius orbis terrarum re praestabit et manifestabit, quare illam in universa terra relucere vult : plena est omnis terra gloria eius (6, 3). Unde pariter patet, cur adhortatio ad spatium dilatandum facta sit et quo sensu incolae Ierusalem gentes hereditare dicantur (v. 2. 3). Ergo sis « secura, quia habebis maritum et potentem et amantem et fecundum qui te defendat » (*Mald.*).

Haec promissio denuo confirmatur, dum Deus simul populum de poena inflicta amanter consolatur v. 6 « *quia ut mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit te Dominus et uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus* » ; — vocat eam Dominus ad novum foedus ineundum et ad novum thalami honorem ex conditione misera ; ostendit suam misericordiam et benignitatem quia uxorem illam revocat quam iuvenem iuremerito eiecerat propter delicta ; sed simul indicatur quid in uxore necessario requirat, ut eam denuo admittat ; debet illa scil. esse moerens spiritu, afflicta spiritu, dolore scil. contrita et pudore de iniquitate admissa et de bono foederis sua culpa deperdito. Id igitur postulatur tamquam fructus castigationis et exsilii, et tamquam praeparatio ad instaurationem, ut populus de culpis admissis vere doleat; unde propheta iam incipit innuere quomodo obviandum sit instaurationi. Ean-

dem animi dispositionem postmodum pluribus exsequitur; eandem describunt et expostulant reliqui prophetae (cf. Os. 2, 14. Mich. 7, 9. Ier. 3, 23. Baruch 1, 17. Dan. 9, 5 etc.). Deus autem mulierem infidelem non dure increpat, sed amanter consolatur.

Quanto enim in eam amore etiamnum feratur ostendit, quia pro castigatione inflicta iam clementiam spondet sempiternam, quasi duritiem illam quam coactus ei adhibuit largissima amoris perpetui effusione compensare vellet. Unde v. 7 « *ad punctum in modico dereliqui te et in miserationibus magnis congregabo te;* v. 8 *in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus* »; — imminutio et extenuatio culpae ad veniae et amoris significationem pertinet eamque eo magis reddit iucundam et gratam, quo magis is cui ignoscitur gravem suam esse culpam cognoverit. Unde Deus modum consolandi adoptat quo animi maxime permulceantur. Breve est exsilii tempus « quia multo longius est tempus misericordiae suae et in infinita saecula procurrit: breve enim et contractum est irae tempus, si ad longitudinem benignitatis nunquam finiendae nobis a Deo datae conferatur, qui nos a potestate tenebrarum eruit et ad regnum Filii dilectionis suae in lucem transtulit » (*S. Cyr.*). Excellentia novi foederis prae vetere hisce pariter declaratur; duobus enim praestare dicitur: *miserationibus magnis* i. e. maioribus et uberioribus Dei donis ac gratiis et *amore sempiterno* (hebr. חֶסֶד) vel benevolentia Dei perpetua; unde implicite promittitur sanctitas novi foederis nunquam deficiens, quia Deus nunquam amorem suum a nova theocratia amovebit. Vetus iniquitate populi concidit, nova autem inconcussa stabit, quia erit inviolabiliter sancta; cf. 51, 6. 8. 22; 52, 1. 10. Igitur hic quoque valet: non sicut delictum, ita et donum, sed multo magis gratia Dei et donum abundavit (Rom. 5, 15; cf. *Mald Tir.*). In hebr. v. 6 et 8 « propheta utitur eleganti paronomasia » (*Malv.*). Adnotat *Sanct.* a pio atque attento philosopho coniectari posse, quanti fieri debeant miserationes illae magnae, id est beneficia quae Deus promittit iis quos in Ecclesiae sinum congregabit, quando illorum comparatione tot annorum repudium, tam diuturni labores a prudentibus rerum aestimatoribus instar puncti censentur.

Amorem hunc quem continuo instauratae theocratiae impendere vult, sollemni iureiurando Deus confirmat v. 9 « *sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram, sic iuravi ut non irascar tibi et non increpem te* »; — hebr. *quia ut aquae Noe haec mihi, in quibus iuravi..* LXX ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐπὶ Νῶε; non *aquas* sed *dies* Noe exprimunt *Syrus, Aq. Sym. Theod.*

S. Hier. Chald. [1]; ceterum sensus demum idem eruitur. Alludit vates ad Gen. 9, 11 : « statuam pactum meum vobiscum et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram ». Proinde tale iudicium quod Deus exercuit ac devolvit in veterem theocratiam regnum iudaicum tradendo hostibus et populum in exsilium eiiciendo iam non erit; aliis verbis : nova theocratia iam non eo modo quo vetus castigabitur; proinde cum nexus sit statuendus individuus inter culpam et castigationem, nova theocratia erit sancta, ita ut talem ei infligere castigationem iam nullo modo opus sit futurum. Haec igitur irae Dei effusio quae facta est in exsilio erat ut diluvium; talis iam non erit. Quibus verbis apertissime patet Deum alloqui Ierusalem messianam et nullo pacto urbem iudaicam qua talem vel populum iudaicum qua talem ; nam in *urbem illam* et stirpem iterum tale iudicium devolutum est simile priori, immo gravius priore, scil. vastatio per Romanos facta et dispersio por Romanos inducta. Unde de cuius urbis restitutione sermo propheticus instituatur, patere debet neque opinamentis chiliastarum vel antiquorum vel recentium est attendendum, cum et ipse propheta et S. Paulus (Gal. 4, 27) nos doceant minime urbem lapidibus constantem esse argumentum prophetiae, verum theocratiam novam messianam, cuius symbolum apte assumitur Ierusalem, utpote sedes ac centrum theocratiae veteris.

Iurisiurandi sacramento additur ulterior confirmatio similis illi 51, 6. 8, scil. Dei promissa firmitate et constantia eminere prae cunctis rebus creatis; unde etsi quae firmissima sunt hisce in terris contremiscant et pereant, Dei gratia tamen nunquam recedet a theocratia nova; v. 10 « *montes enim commovebuntur et colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus* » ; — i. e. etsi firma terrae fundamenta nutent et concutiantur, verba Dei tamen non nutabunt; cf. Matth. 24, 35. Ex rebus gestis (v. 9) et ex rerum natura ea seligit propheta quae firmissima sunt, ut Dei promissa prae cunctis stabilitate et firmitate eminere doceat. Hac promissione sanctitas novi foederis denuo corroboratur; misericordia enim et foedus pacis in eo potissimum elucent quia stabilis adest fidelitas, et si illa perseverare dicuntur, eo ipso uberrima promittitur gratia, qua constans sanctitas in nova theocratia conservatur. Haec autem concessum iri ex Dei miserentis gratia, quae novae theocratiae propria est, ultimis verbis edicitur. Nota singula promissa formula

1. Discrimen scilicet in hebr. est minimum; voculas כִּי־מֵי alii legerunt iunctas כִּימֵי; ita unam vocem faciunt *sicut dies*; ita *Saadias* quoque legit et legunt codices complures; cf. *de Rossi.*

quadam adiecta confirmari; v. 1 dixit Dominus; v. 6 dixit Deus tuus; v. 8 dixit redemptor tuus Dominus; v. 10 dixit miserator tuus Dominus; quo maiora sunt promissa et magis ad consolationem facta, eo graviori formula quasi sigillo apposito roborantur. Hisce quoque metire ac pondera, quanti aestimanda sit iustitia illa quam largitur servus Domini (53, 11).

c) Theocratiae novae gloria et securitas 54, 11-17.

Cum tam praeclara promissa dentur, iam facile patet quantopere nova theocratia prae vetere emineat. Id vero symbolica quadam ratione magis etiam et distinctius effertur. Unde veteris miseria commemorata quam praeclaro aedificio nova sit exstruenda ostenditur v. 11 « *Paupercula, tempestate convulsa absque ulla consolatione! ecce ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris* »; — uti in v. 1 denuo inculcatur salutem esse exorituram, dum urbs sit in conditione vili et abiecta; quae conditio tribus designatur vocibus : misera, saeva quasi tempestate concussa et convulsa et dispersa (cf. Os. 13, 3) et ab aliis non consolatione, sed ignominia et opprobriis affecta; nam « longe factus est a me consolator » et « cui comparabo te et consolabor te, quis medebitur tui » (cf. Lament. 1, 16; 2, 13 etc.)? Verum secundum multitudinem afflictionum consolationes ei fient. Instaurationem splendidam splendida urbis aedificatione repraesentat : *ecce ego :* ipse Dominus operis effector et auctor erit. Unde aedificium singulari pulchritudine splendebit; nam in hebr. *sternam in stibio lapides tuos,* uti ipse *S. Hier.* hebr. vertit et explicat idem : « in similitudinem comptae mulieris quae oculos pingit stibio, ut pulchritudinem significet civitatis »; « quemadmodum enim cum mulier, ut formae decorem addat, stibio linit oculos, ita et ego, inquit, omni specie ac decore formosiores ponam structurae tuae lapides » (*Euseb.*). Est stibium fucus quo mulieres ad palpebras illinendas utebantur, ut oculis maiorem adderent splendorem. Unde dicitur lapides iri inter se coniunctum non calce, sed stibio, quo splendor moenibus et aedificiis concilietur (cf. *For. Malv. Sanct. Lap. Tir. Troch.*). In fundamentis ponuntur sapphiri, qui, ut ait *S. Hier.* « habent coeli similitudinem et supra nos aeris, et Ezechielis quoque Scriptura commemorat quod locus in quo thronus Dei sit sapphiri habeat similitudinem et gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercoelestis ». Unde declaratur fundamentum adesse coeleste, immotum firmamenti instar, firmum ac stabile, ut thronus Dei (cf. Ez. 1, 26; 10, 1). Eiusmodi aedificii imagine S. Paulus quoque regnum

messianicum describit : « superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino » (Eph. 2, 20. 21).

Fundamento et moenibus reliqua quoque adaptantur v. 12 « *et ponam iaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapides sculptos et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles* » ; — propugnacula, ἐπάλξεις LXX, pinnae conficiuntur ex rubino (uti plerumque vocem hebr. explicant); *portas tuas ponam in carbunculos;* portae igitur ex carbunculis fient et omnes termini ex margaritis; terminos intellige, uti Deut. 19, 14; 27, 17. Os. 5, 10. Prov. 22, 28 etc., de lapidibus vel signis quibus limites agrorum describuntur; ergo campi, agri, fines urbis pretiosis lapidibus definiuntur, ab aliis separantur et distinguuntur (cf. *Mar. Sanct.*). Minus placet quod alii exponunt, totum muri circuitum ostentaturum esse lapides pretiosos (*Ros. Ewald, Kn.*), vel : quocumque te vertas, pretiosa quaeque calcabis, quasi viae omnes totumque usque ad terminum spatium margaritis vel gemmis essent constrata (*Osor. For. Lap. Hahn, Del. Naeg.*).

Ceterum de singulorum nominum explicatione aliqua satis dubia sunt. Adnotat *S. Hier.* : « ubi nos iaspidem sequentes LXX diximus in hebr. scriptum habet *chodchod* (כַּדְכֹּד), quod solus Symmachus χαλκηδόνιον transtulit ». Iam *Mald.* scribit : « alii *margaritam*, ut *Chald.*, alii *gemmas*, alii *carbunculum*, alii *rubinum*, alii *crystallum*, alii *adamantem* interpretantur ». Vox praeterea solum invenitur Ez. 27, 16, ad quem locum *S. Hier.* notat : « *chodchod* omnes interpretes ita ut in hebr. positum est transtulerunt » ; LXX eo loco legunt χορχόρ. Recentiores *rubinum* intelligunt. Ubi *S. Hier.* ponit lapides *sculptos*, LXX habent lapides κρυστάλλου et teste *S. Hier.* « *Symmachus* et *Theodotio scalpturae*, id est, γλυφῆς ,*Aquila* τρυπανισμοῦ, quod verbum foratarum caelatarumque gemmarum sensum sonat ». Recentiores interpretantur carbunculum ; et ita iam apud *Mald. Malv. Calm.*, et vocem אֶקְדָּח proprie lapides flammantes, lucentes explicant vel lapides splendoris ignei.

Talis igitur est Sion, de qua Dominus : ecce in manibus meis descripsi te ; muri tui coram oculis meis semper (49, 16). Iam quid magnificentia ista aedificii sibi vult? *S. Cyr.* explicat de Christo qui sit fundamenti instar et de apostolis et doctoribus qui sint pro propugnaculis portisque Ecclesiae, per quos Ecclesia defenditur et ad Ecclesiam intratur ; *S. Hier.* de doctrina, virtutibus, charismatibus quibus Ecclesia ornatur et similiter *Pint. Sanct. Lap.* aliique quorum loco audiatur *Osor.* : « eris itaque pietate fundata et cupiditate rerum coelestium inflammata et invicto robore animi divinaque constantia munita omniumque virtutum maximarum claritate et splendore collucebis, ita ut divino praesidio

cincta sis et opibus divinis egregie locupletata ». Per singula tamen nomina non opus est explicationem velle pertexere. Symbolum enim est haec aedificatio atque id praeprimis depingitur splendorem ac dignitatem theocratiae instauratae esse singulare Dei opus et longe eminere prae vetere theocratia; tantum adesse discrimen ac si urbi communi opponas urbem margaritis exstructam. Iam ut Isaias saepius solet, imagini et symbolo subdit explicationem (cf. 1, 22. 23. 25. 26 etc.) declarans qui sint lapides vivi quibus urbs sit aedificanda : v. 13 « *universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis* » ; — ponam scil.; novae theocratiae iam non dicitur vituperium illud 50, 2; huius cives vel filii se Domino docendos promptis animis committunt, ut ipse servus Domini 50, 5, et hac institutione proficiunt. Maior Dei cognitio atque magis intima propria exhibetur novae theocratiae (cf. 11, 9. Ier. 31, 34), idque eo magis quia Messias iudicium, legem proferet et in lucem gentium erit (42, 1 seq. 49, 6); unde decet homines maiore scientia Dei imbui. Cum vetus etiam theocratia habuerit prophetas a Deo edoctos praeter institutionem legis omnibus promulgatam atque communem, id quo nova theocratia eminebit, in eo erit reponendum, ut et maior adsit et magis universalis cognitio Dei. Neque enim utriusque discrimen in eo constituitur, ut vetus habuerit magisterium externum, nova habitura sit excluso hoc solum magisterium internum divinitus cuivis concessum, sed uti in vetere theocratia « discipuli Domini » efformabantur magisterio externo et interna gratiae Dei illustratione (cf. 8, 16), ita erit in nova quoque eo solum discrimine, ut in hac amplior sit magisque generalis cognitio Dei (cf. Ioan. 6, 45. 1 Thess. 4, 9). Idem habes expressum in illa populorum inter se adhortatione : ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob et docebit nos vias suas (2, 3); dum enim dicunt se ascendere ad domum Dei Iacob, ad eam se accessuros spondent familiam, in qua Deus sua reposuit oracula, ergo magisterium profitentur adeundum esse externum, dum autem dicunt *et docebit nos* internam illam uberemque gratiae illustrationem concessum iri rite quaerentibus et ad Deum Iacob i. e. in certa familia sese manifestantem accedentibus indicant.

Hanc autem cognitionem divinitus ubertim infusam consequitur *pacis* abundantia, quae pax omnium bonorum cumulum exhibet et periodi messianae constans est signum et tessera (cf. 9, 6. 7; 11, 6). Nova igitur theocratia et intellectum hominis et voluntatem propriis bonis donisque imbuet; nam « lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est » (Ioan. 1, 17). Haec pacis bona oriri dicuntur ex intima illa cognitione Dei; optime quidem; nam « haec est vita aeterna ut cognoscant te, solum Deum verum, et

quem misisti Iesum Christum » (Ioan. 17, 3). Unde quid magnifica illa aedificatio Ierusalem sibi velit, vates ulterius declarat v. 14 « *et in iustitia fundaberis; recede procul a calumnia quia non timebis, et a pavore quia non appropinquabit tibi* » ! — hebr. *iustitia firmaberis;* firma novae theocratiae conditio in eo consistit quod in ea perpetua adest sanctitas. Priori enim theocratiae hostes ideo nocere poterant quia populus a pietate desciverat; nova e contra stabili pietate firmabitur; quare ei dici potest : *procul esto ab oppressione;* iam nullum adest periculum quod timeat, quia dum sanctitate firmatur, nullus ei hostis damnum inferre poterit. Id autem certissime fore modo loquendi per imperativum denotatur. Nullus ei pavor poterit appropinquare sanctitate munitae; nam uti Zach. 2, 5 dicitur : ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. In nova Sion demum implebitur quod Balaam praedixerat, Dominum fore populi sui defensorem ac tutorem, quamdiu ei fideliter servierit : « non est idolum in Iacob nec videtur simulacrum in Israel : Dominus Deus eius cum eo est et clangor victoriae regis in illo » (Num. 23, 21). Illam conditionem vetus Sion non adimplevit, quare etiam promissione illa non est potita; implebit nova; unde perpetuo Dominus erit cum ea et clangor victoriae in illa.

Haec autem novae theocratiae sanctitas non ad unum restringitur populum, sed uti constanter fit in oraculis messianis, promissio indolem universalem induit. Simul nova subditur ratio, cur Sion procul futura sit a pavore; nam alienigenae aut fient subditi theocratiae et tunc sane nihil periculi ab iis imminet (v. 15), aut si eam impugnare conantur, peribunt (v. 16. 17). Unde v. 15 « *ecce accola veniet qui non erat mecum; advena quondam tuus adiungetur tibi* » ; — qui antea a Deo plane alienus erat, ergo gentilis, fiet accola Israelitarum, fiet sicut proselyta; et qui verum Deum iam colebat, eousque proselyta erat portae, etiam arctiore vinculo populo Dei iungetur. Modus loquendi depromptus est a duplici genere proselytarum i. e. alienigenarum, qui in Palaestina simul cum Israelitis habitare poterant. Nam qui dicebantur proselytae portae vel peregrini inter portas tuas verum Dei cultum ita exercebant, ut tamen non omnia praecepta foederis legisque observarent, dum proselytae iustitiae circumcisione assumpta penitus in populum Israel assumerentur (cf. Ex. 12, 49). Etiam illi iuribus quibusdam fruebantur (cf. Lev. 19, 10; 23, 22. Deut. 14, 29; 16, 10 etc.). Erit igitur sensus : in nova theocratia efficietur, ut qui Deum nondum noverint eum cognoscant et colant, qui iam cognoverint eique servierint, maiore studio et ardentiore ei adhaereant. Unde facile consequitur gradus quosdam in perfecto cultu Dei innui.

Ita *vulg.*; similem sensum dant LXX : ecce proselytae accedent ad te per me et coloni erunt tui et ad te confugient (ex versione *S. Hier.*); sim. *Syrus*: omnes qui alieni sunt a manibus meis (aversi a partibus meis) ad te ingredientur et eris asylum habitatoribus tuis; *Chald.* : en, congregatione congregabuntur ad te exsules (transmigrationes) populi tui in fine, reges populorum qui congregantur ad opprimendum te, Ierusalem, in medio tui prosternentur. Et cum *S. Hier.* nihil de aliorum versionibus adnotet, valde probabile est etiam *Aq. Theod. Sym.* verba hebr. vertisse eo modo quo LXX et *S. Hier.* Verbum גּוּר saepius apud Is. adhibetur; cf. 11, 6; 16, 4 *habitare, commorari*; 23, 7 *peregrinari*; 33, 14; 52, 4; quare sane hoc nostro loco eodem sensu accipi potest. Unde hebr. verbotenus verti potest : *en habitando habitabit* (*qui*) *non est mecum*; id quod eundem cum *vulg.* sensum exhibet; parumper alio modo *Net.* : nemo tamquam peregrinus aberit a signo meo (foederis scil.). In altero membro נפל על eodem sensu accipiendum erit quo adhibetur 1 Sam. 29, 3. 2 Reg. 25, 11. 1 Par. 12, 19. 20. 2 Par. 15, 9. Ier. 21, 9; 31, 9 et cum ל Num. 34, 2. Iud. 18, 1. Ios. 17, 5. Ez. 47, 14. 22. Ps. 16, 6 scil. ad aliquem transire, alicui obtingere. Hoc modo verba acceperunt LXX, *Syrus, S. Hier.* et e recentioribus complures (cf. *Malv. Mald. Calm. Reinke, Net. Ges. Hahn, Or.*). Quare versio *vulg.* iure sustineri potest. Sensus qui in ea habetur ad contextum omnino aptus est; immo multo melior quam ille, quem alii e recentioribus ex textu hebr. eliciunt. Accipiunt enim גּוּר notione *congregandi* sensu tamen hostili et explicant : si qui sese congregaverint ad te impugnandum, id fit absque me, iniussu meo, contra meam voluntatem; quisquis congregaverit se contra te, propter te cadet (ita iam *Osor. Clarius, For. Rohl. Sein. Kn. Del. Naeg.*). Alii explicant גִּיר notione *disceptandi,* quae tamen significatio nullo exemplo probari potest. Explicatio autem haec propterea minus placet, quia ea quae demum in v. 16. 17 dicuntur iam praeoccupantur, ita ut fere tautologia textui imponatur. Cum ergo versio *vulg.* et verbis hebr. omnino accommodetur et in veterum versionum acceptione fundetur et insuper meliorem exhibeat sensum, omnino praeferenda esse videtur.

Neque quidquam erit ab hostibus timendum. Nam v. 16 « *ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas et proferentem vas in opus suum et ego creavi interfectorem ad disperdendum* »; — *vas* intellige arma, quae faber facit vel secundum munus suum vel ad suum consilium exsequendum. Et eum qui arma parat creavit Deus et eum quoque qui perniciem infert; « tam hostes tui quam eorum industria et vires in manu mea sunt; ego eos creavi et ex dono meo habent vires, industriam, arma bellica; si ergo iubeo te securam agere, non est quod timeas » (*For.* sim. *Mald. Sanct. Lap. Men.*). Cum igitur et is qui arma parat et is qui eis utitur ad perniciem inferendam totus plene a Deo dependeat, utpote a Deo creatus, nihil est quod timeatur; uti enim illi in vita, ita in quocumque etiam opere ad unum Dei nutum diriguntur et ab eius

imperio sese eximere nullo modo possunt. Vel duo membra versus etiam ita concipi possunt : uti Deus eum creat qui arma conficit ad bellum inferendum ita etiam illum creat qui huiusmodi hostem comprimat et exstinguat (cf. *Osor. Malv. Rohl.*). Hostes igitur plane in Dei potestate sunt; « quae res valde confirmare ac solari debet eos qui in Ecclesiae fide atque complexu sunt, cum illius auctor ac conditor Deus omnia adversariorum machinamenta et vires dissolvere possit ac perdere solo nutu » (*Sanct.*). Si alii *fabrum* hunc diabolum interpretantur (*S. Hier. Pint. Sasb.*), eum nominant qui omnium hostium in theocratiam furentium princeps est et antesignanus et qui sane arma contra eam proferre et adhibere non cessat.

Cum ergo cuncta a Dei potestate dependeant, Deus autem Sionem velit firmiter restauratam, facile sequitur v. 17 « *omne vas quod fictum est contra te non dirigetur et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis; haec est hereditas servorum Domini et iustitia eorum apud me, dicit Dominus* »; — i. e. nullus impetus hostilis contra Sion prosperum habebit exitum [1]. Duo genera impugnationum indicantur : alterum quod fit *vase* i. e. bellico instrumento, igitur vel armis vel vi et violentia, persecutionibus, brevi potentia *materiali;* alterum quod fit *lingua,* quae est mentis et intellectus interpres, oppugnatione quae fit eloquentiae et scientiae auxiliis. Neutrum genus succedet. In utroque autem omnes impugnationes quae concipi possunt includuntur. Bene notandum est, in hebr. magis nervose dici : *omnem linguam quae tecum (contra te) consistet ad iudicium condemnabis;* ergo Sion habebit ius et potestatem, ut omnem qui iudicio contendat cum Sione condemnet, reum vel impium declaret. Contendere autem cum Sione is dicitur, qui vel obedientiam et submissionem denegat vel Sionem erroris accusat vel doctrinam eius impugnat. Ut ergo nova theocratia omnem linguam contendentem iudicio possit condemnare efficaciter, adesse debet in ea summa auctoritas iudicialis, cui omnes se subiicere tenentur. Ad hanc autem auctoritatem praeprimis pertinet ut in nova theocratia adsit magisterium infallibile, quo sine ullo erroris periculo constet, quid sit *vera* doctrina; nam quomodo sine tali auctoritate Sion posset *omnem linguam* condemnare? etiam illam qua ipsa doctrina fucatis rationibus impugnatur? Promittitur itaque theocratiae victoria perennis, qua prosternet hostes aperta vi insultantes vel calumniis, mendaciis, falsis doctrinis et rationibus eam impugnantes. Et talis victoria perpetua est *here-*

---

1. *S. Ephr.* : « omne regnum tibi oppositum non perducet opus suum ad finem, id est, voctes inferui non praevalebunt adversum te; *et omnem linguam...* i. e. dabo vobis os ut nequeant adversarii vestri vos superare ».

ditas, sors inalienabilis *servorum* Domini, quibus scil. ea contingit quia intime iuncti sunt cum servo Domini. Servus enim Domini in lucem gentium erit; hanc autem lucem omnibus afferet ope theocratiae instauratae i. e. ope suae Ecclesiae; ergo sors ei attributa et ius illud quod Deus apud se sartum tectumque servabit (*Mald.*) erit indefectibilitas Ecclesiae, qua omni impetu superior omnem impugnationem et errorem perpetuo victrix efficaciter reiiciet. Duo illa hostium genera ita describit *S. Cyr.* : « hi grassantur in sanctos, interdum et iacula emittunt multifariam saevitiae suae tela iactantes, persecutiones et afflictiones et varia tentationum inventa inducentes; sed non prosperabuntur a Christo, ut possint animas sanctorum corrumpere; impiarum dein haereseon inventores, blasphemas voces contra ineffabilem maiestatem proiicientes tantum non vocant in ius sanctos qui veritatem propugnant et sinceram ecclesiasticorum dogmatum rectitudinem iuveniliter et animose defensant; verumtamen vincuntur Christo etiam hoc sanctis largiente. Ab eo enim proficiscitur quod possunt omnem hostium impetum omnemque impiae vocis reluctationem superare et confutare ». Nova theocratia est semen illud quod servus Domini videbit (53, 10); haec autem theocratia erit universalis (v. 2. 3), erit sancta (v. 4-14), erit invicta (v. 9. 10. 16. 17), omni impetu et errore superior et potestate et auctoritate iudiciali omnes adversarios condemnans (v. 17; sim. *Sasb. Pint. For. Sanct. Lap. Tir. Troch*).

6. *Oratio sexta* 55, 1-13.

Arg. — Admonentur ut relicta rerum vanarum atque inutilium consectatione ad Deum verum vitae et salutis auctorem et largitorem se convertant, qui promissiones Davidi datas implebit dans Messiam ad quem gentes congregabuntur (55, 1-5). Ad Deum autem sese convertant abiecta omni iniquitate; ad quem reditum quo efficacius invitentur, quam sublime sit Dei consilium et quam certo in opus deducendum explicat. Egredientur enim laetantes ex captivitate, innovabitur terra et Dominus regnabit in aeternum (55, 6-13).

In oratione praecedente vates novam theocratiam, opus Messiae, ostenderat et pacem et securitatem quae in ea continentur descripserat. Iam in hac oratione doctrinam propositam pro suis aequalibus utilem reddere ac proficuam conatur. Salute enim illa adeo praeclara per se fluit adhortatio, ut abiectis vanis studiis et conatibus ibi pacem et felicitatem quaerant, ubi plene adest, id est apud Dominum. Dein vates illis ostendit viam qua iam nunc ad salutem illam animos praeparent vitaeque

praecepta proponit. Quae quo libentius opere exsequantur, Dei sublime consilium magnificis verbis eis ob oculos ponit. — Est haec oratio iterum nobis argumento, quomodo vates ex oraculis messianis pro aequalibus suis vitae normam et praecepta colligat. Messias enim omnibus in salutem mittitur et non est aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri. Ante eius adventum fides in ipsum requirebatur; salus iis hominibus non potuit esse obstructa et negata. Unde vates ostendit et docet, qua ratione salutis se possint participes reddere et quid ea temporum conditione ab iis sit praestandum, qua fide et spe divina promissa sint amplectenda.

a) Salus apud Dominum est quaerenda 55, 1-5.

Eam temporis conditionem vates ob oculos habet qua multi sedulo conatu et magno desiderio reipublicae populique statum feliciorem reddere student vel saltem res meliores magisque prosperas exoptant difficultate temporum pressi. Eiusmodi rerum conditionem iterato tempore Isaiae adfuisse qua optimus quisque inquireret quo tandem remedio malis praesentibus esset obviam eundum, nemo in quaestionem vocabit. Vana et inutilia conamina ut relinquant, veram ut seligant viam vates hortatur v. 1 « *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum properate, emite et comedite ! venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac* » ! — quid magis per se patet quam ut sitientes veniant ad aquas? praesertim si quibus sitim exstinguant, vinum et lac, absque ulla solutione pretii, gratis habere possunt? Unde monitio in eo consistit, ut ibi tandem remedia quaerant, ubi *vere* adsunt ! ut ne falsis fucatisque implicentur. Eam loquendi rationem vates adhibet quae proverbiis est propria. In proverbiis autem vera doctrina aquae, vini symbolo saepius proponitur (cf. Prov. 9, 2. 5 ; 18, 4 ; 20, 5 ; 25, 25) ; insuper vates iam supra sermonem intulit de aquis salutis (12, 3 ; 44, 3), de convivio pinguium vinique meracissimi (25, 6). Unde ad vera bona i. e. messiana inquirenda invitat et in tali inquisitione omnem sitim omneque desiderium exstingui ac satiari docet. Bona ea describit tamquam bona prorsus gratuito danda, tamquam bona ordinis altioris, quare pretio soluto vel ullius rei commutatione acquiri nullatenus possunt. Homo igitur per se nihil afferre potest quo ad illa pertingat ; gratis autem donantur properantibus. Hae aquae salutis optime declarantur per eum qui dixit : si quis sitit veniat ad me et bibat (cf. Ioan. 4, 13. 14 ; 7, 37. *S. Hier. Cyr. Sanct. Lap.* etc.). Admonitio autem ut est generalis, ita omni tempori facillime accommo-

datur et omni valet aetate : pro aequalibus Isaiae, pro exsulibus, ut data opportunitate ad verum salutis fontem redeant neve cisternas sibi fodiant dissipatas quae aquas nequeunt continere etc. ; valet pro tempore messiano, de quo haec habet *S. Hier.* : « spreto igitur illo argento et pecuniis quibus aquas Domini emere non possumus, pergamus ad eum qui tenens calicem sacramenti discipulis loquebatur : accipite et bibite... quod vinum miscuit et sapientia in cratere suo omnes stultos saeculi mundique sapientiam non habentes provocans ad bibendum ; et ut non solum vinum emamus sed et lac quod significat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in occidentis ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur ».

Ad verum igitur fontem accedant ! Cur enim vano labore et inutili consumantur ? Unde adhortationem fulcit v. 2 « *quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate? audite audientes me et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra* » ! — hebr. *quare appenditis argentum in non-panem et laborem vestrum in non-saturitatem?* pecuniam expendunt et laborem impendunt, verum in eas res quibus panis et saturitas minime acquiritur. Ergo exserunt conamina ad conditionem rerum emendandam ; at ibi quaerunt auxilia, ubi non sunt ; « in alia studium confertis vestrum, ex quibus non potest anima enutriri neque cibo ad satietatem frui » (*Euseb.*). Increpatio haec aeque valet de studio foedera ineundi cum exteris (cap. 30 seq.) ac de labore et argento idolis impenso (46, 6 ; 57, 5 ; cf. 2, 18. 20) ac generatim de omni conatu quo quis suis viribus vel ope humana salutem ac felicitatem acquirere vult. Loquitur vates commiseratione quadam de inutili labore et conatu quo vires exserant, molestias subeant pro nihilo ! Ubi vero labor et sedulitas maxima utilitate collocari possit ac debeat, indicat monens ut ad se animos advertant, ut Domino dicto sint audientes, quo fiet ut bonorum abundantia fruantur et delectentur ubertate divina.

In hac animorum obedientia et promptitudine bona pro iis cuncta reponuntur ; quare v. 3 « *inclinate aurem vestram et venite ad me! audite et vivet anima vestra et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles* » ! — magna epitasi Dominus fidem, obedientiam, promptitudinem animi postulat ; si verba Dei audierint, fide et obedientia susceperint, *vivet* anima eorum, vera vita coram Deo et vera felicitate fruetur ; qua in re beatitas illa consistat, sequentibus declaratur ; Deus scil. pactum aeternum quod promisit omnino exsequetur (cf. Os. 2, 18), huius autem pacti aeterni quasi culmen et fastigium sunt gratiae illae quas Davidi stabili modo et constanti se daturum promisit. Verba חַסְדֵי דָוִד promissa illa dicunt quae iisdem vocibus

2 Sam. 7, 14 seq. et Ps. 89, 29 seq. declarantur; sunt promissa de throno aeterno David, proin de Messia ex domo David prodituro. In hisce omnium bonorum cumulus continetur et *misericordiis David* speciali ratione quale sit pactum declaratur; nam, ut bene *S. Cyr.* : « quale sit igitur illud aeternum foedus quod accedentibus ad ipsum per fidem consummabit, planum facit cum subdit statim : sancta (ὅσια, ita LXX) David fidelia; vel enim pollicitationem factam divino Davidi de omnium nostrum servatore Christo gentibus revertentibus praestandam dicit, vel divina vocat et sacra vaticinia de Christo ». Haec autem promissa *fidelia* i. e. stabilia, inconcussa vocat, uti 2 Sam. 7, 16. Pactum suum in istis potissimum consistere declarat (cf. *Mald. For. Malv. Sasb. Lap.*); apta monitio et pro tempore schismatis inter regnum iudaicum et israeliticum et pro tempore exsilii; qui igitur salutis se participes reddere volunt, ne a domo David se separent, sed illi subiectione adhaereant, ducem ex stirpe davidica sequantur! In hac enim domo ex tempore Nathan omnia promissa messiana reposita sunt, huic sollemni iureiurando sunt attributa (cf. 1 Par. 17, 14. Ps. 89, 29. 30. 36-38) ita ut foedus Dei cum populo in hac promissione suam habeat perfectionem absolutam, quia in Messia demum omnia bona nobiscum communicantur. Quam bene autem David intellexerit promissiones illas in Messia demum iri absolutum, elucet ex ultimis eius verbis (2 Reg. 23, 3-5; cf. *de Hummelauer*, comment in h. l.).

Quia igitur *misericordiae David fideles* i. e. gratiosae promissiones firmae atque robustae (*S. Hier.*) de throno aeterno et regno sempiterno Messiam dicunt filium David qui ab aliis prophetis iam immediate David appellatur (Os. 3, 5. Ier. 30, 9. Ez. 34, 23. 24; 37, 24. 25), etiam vates noster immediate transire potest ad ipsum illum, de quo in hac parte iam eadem fere annuntiaverat : v. 4 « *ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus* »! — cf. 42, 6; 49, 6. 8; 53, 11. Unde Deus cum post illas admonitiones (v. 1-3) Messiam introducit, eo ipso clare ostendit, a quo aquae illae salutares sint expetendae, quis sit audiendus, ad quem sit properandum, ut comedant bona, ut vivat anima et abundantia bonorum delectetur. De Messia enim hic fieri sermonem, ex eo patet, quia iis inducitur titulis qui in hac parte soli Messiae attribuuntur; dein cum hae orationes arcte cohaereant cum 53, 10-12, transitus ad Messiam non est repentinus, abruptus, immo in misericordiis David fidelibus iste ad Messiam transitus iam adest, quia summa promissionum teste Davide in Dominatore illo consistit. Quare cum *S. Hier. Cyr. Euseb. Theod.* et plerisque interpretibus catholicis et multis etiam protestantibus (*Ros. Hahn, Naeg.*) hic non ipse David rex, verum is cuius typus erat David, Messias agnosci debet. Messias *testis* est,

quia de foedere a Deo promisso testimonium exhibet omnium gravissimum et maximum, pactum scil. plene adimplens et omnia foederis bona nobis merens, et quia nobis de Dei veritate et voluntate testimonium perhibet, et tamquam talis testis simul est princeps nationum et illarum legislator.

Neque desunt qui verba ea de Davide rege explicent; cf. *S. Thom. Schegg Kn. Del. Or.*; monent Davidem victoriis suis testem potentiae Domini fuisse, item psalmis laudes Dei annuntiasse neque semel in psalmis spopondisse se Dei laudes annuntiare velle in gentibus (Ps. 17, 50; 56, 10); dein alios populos ab eo esse subiectos quibus praecepta dederit etc. Haec utut vera sunt, hic tamen rem non evincunt. Nam cur subito ea ex historia David in hoc contextu commemorentur, nulla ratio afferri potest; neque enim in his ostenduntur *eae* misericordiae David fideles quae aequalibus Isaiae solatio et confortationi esse possunt, et cum exsilium et dissolutio veteris theocratiae iam ob oculos prophetae versetur, etiam pactum sempiternum, de quo v. 3, hisce illustrari nequit quae ad solum Davidem referuntur. Dein bene notari oportet, sermonem fieri de pacto *futuro* et prophetam totis viribus in id incumbere, ut populum ad fidem Dei et obedientiam adducat. Iam in ea admonitione difficile cernitur quid sibi velit David qui olim victor exstiterit et dominator in gentes vicinas; optime vero ad totam adhortationem convenit ostendi et exhiberi Messiam, in quo vera illa bona quorum desiderio tenentur reposita sunt et qui est pacti sempiterni et promissionum Davidi concessarum ultima et summa perfectio et terminus. De Messia tandem ea quae v. 4 dicuntur vere valent et plene; sed quot et quantis limitibus opus est, ut verba adeo ampla ad Davidem restringantur? Quibus transitus ad Messiam [1] nimis abruptus videtur, vel in v. 3 iam explicant misericordias Davidi et semini eius datas et eodem modo in v. 4 *eum* de Davide et semine eius interpretantur, vel statim David ut nomen Messiae in v. 3 capiunt. At neutrum opus est neque commode admitti potest. Posteros enim David non tales se praestitisse, quales verba in v. 4 postulant, non indiget probatione; et quamvis Osee vocet Messiam David (Os. 3, 5), Isaias tamen id non facit hoc loco quia ea affert verba quae ex libris historicis et psalmis non possunt intelligi nisi de Davide. Sed si quis transitum explicat ita ut vatem dicat a typo Davide immediate transiisse ad antitypum Messiam, non repugno; at addi debet in ipsis verbis v. 4 et in contextu huius partis quae tota est in servo Domini eiusque opere describendo satis adesse indiciorum, quibus cognosci possit de quo loquatur propheta.

Iam quomodo Messias dux futurus sit et legislator gentibus et qualis

1. Cum propheta Messiam ita proxime adiungat ad promissiones gratiosas Davidi concessas, patet immerito *Ewald, Kn.* aliosque contendere vatem huius partis auctorem nihil scire de Messia ex stirpe davidica oriundo.

inde gloria in ipsum populum Israel redundatura sit, proponit, ut ostenso gentium studio ipsi quoque ad talis salutis aemulationem et amorem incitentur. Quare arctus adest cum antecedentibus nexus isque non solum cum v. 4, sed etiam cum admonitionibus praeviis v. 5 « *ecce gentem quam nesciebas vocabis et gentes quae te non cognoverunt ad te current propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te* » ; — quae similia David de se dixit (2 Reg. 22, 44. Ps. 17, 44), modo eminenti in eius filio, in Messia, adimplebuntur. Populus enim messianicus gentes alias eousque ignotas ad Dei cognitionem et foedus advocabit ; aliae iterum gentes longinquae ad Dei populum sese insigni aemulatione aggregabunt; et ratio est *propter Dominum*, Dei causa, quia eum tamquam *Iahve* cognoverunt et quia Sanctum Israel qui gloriam suam et sanctitatem in populum electum effundit et ibi se gloriosum reddit agnoverunt. Si ergo gentes gloria Domini et gloria qua suum populum exornat ad assiduum studium quaerendi Deum incitantur, quanto magis aequum est, ut ipsi Israelitae, populus electus, quem Dominus tanto honore praevenit, pari assiduitate salutem exquirat? Eos ergo stimulos adhibet propheta quos 2, 5 gentium fervore proposito properantium ad montem Sion et ad domum Dei Iacob : domus Iacob venite et ambulemus in lumine Domini ! Splendore Sionis messianicae gentes efficaciter invitantur ; cf. 60, 3 et iam 2, 3; 44, 5; 49, 23. Quantopere autem Israel sit glorificatus per Messiam, lege apud S. Paulum (Rom. 9, 4. 5)

b) Quomodo et cur Dominus sit quaerendus 55, 6-13.

Igitur apud unum Dominum est salus eaque praeclarissima. Immo gentes quoque sacro quodam studio ad eius salutis participationem accurrentes cernit propheta. Quid ergo ex iis consequitur pro populo? quomodo ad dignitatem illam in v. 5 indicatam sese debet praeparare? et quid iam nunc facere? Respondet vates v. 6 « *Quaerite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est* »! — monet ne gratiam oblatam sibi elabi patiantur; simul subobscure minatur dicens *dum* ... fieri posse ut Dominus aliquando recedat a populo infideli et gratias adeo abundantes iam non concedat. Apertiora sunt quae apud Amos habentur : « ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini ... circuibunt quaerentes verbum Domini et non invenient » (Am. 8, 11. 12). Quae igitur contumacibus imminent, vates innuit (cf. 50, 11) postea rem fusius declaraturus (56, 9 seq.). Unde « quaerite eum, dum datur locus poenitentiae, et quaerite non loco sed fide; et invocemus eum dum prope est, ne nostris vitiis atque peccatis procul recedat » (*S. Hier.*). Quomodo

autem quaeri oporteat Dominum, declaratur v. 7 « *derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum* »! — duo illa inculcantur : declina a malo et fac bonum, quibus utique continentur omnia; recedere a malo et accedere ad Deum iubentur. Hisce duobus, aversione a creaturis et conversione ad Deum, omnis in melius emendatio, omnis coram Deo iustificatio consistit. Monet propheta internam animi mutationem esse peragendam, fontem malorum i. e. cogitationes et desideria mala esse obstruendum. Unde propheta eodem modo praeparationem esse faciendam dicit ad salutem percipiendam, quo a praecursore et ab ipso Christo regnum messianum est annuntiatum : poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum(Matth. 3, 2. Marc. 1, 4. Luc. 3, 3); dicit enim μετάνοια mentis mutationem, ut ergo animus avellatur ab illis quibus male adhaesit et ei adhaereat a quo aversus male erat. Haec adhortatio spe fulcitur miserationis amplissimae consequendae; nam *multus est* i. e. saepe et multum et libenter ignoscit, condonationes multiplicat (cf. *For. Mar. Osor.*); quare nemo etsi scelerum sarcina oneratus animum abiiciat, sed ad laetam spem et fiduciam assurgat.

Hanc adhortationem propheta confirmat ex sublimitate divinorum consiliorum, qua ratione et pusillanimis dubitantibusque omnem diffidentiam eximit et omnium animos ad tantam salutem capessendam vehementer impellit v. 8 « *non enim cogitationes meae cogitationes vestrae neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus;* v. 9 *quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris* »; — hac sententia et comparatione vehementer admonemur, ne de rebus consiliisque divinis humano more i. e. secundum angustas nostras et limitatas normas sententiam feramus. Nam et consilia divina (*cogitationes*) et modi auxiliaque (*viae*) quibus illa in opus deducere Deus constituit ita ab humana cogitandi agendique ratione recedunt et sublimitate excellunt, sicut a terra elevati sunt coeli; aliis verbis sunt incomprehensa. Huius autem doctrinae applicatio ad antecedentia complura in se continet. Exhibetur enim in hac sublimitate et excellentia ratio gravissima, cur relictis rebus vanis totis animis Deum quaerant; Deus enim adeo praeclara iis donare vult quae ipsi ne excogitare quidem possunt; ea comparatione idem fere innuitur quod S. Paulus dicit: oculus non vidit nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum (1 Cor. 2, 9). Unde nexum bene adstruit *Mald.* : meliora ego erga vos cogito. Sed simul in ea sublimitate continetur summa quaedam ratio et consolatio ne quis de Dei misericordia et fidelitate (*S. Cyr. Sasb.*) vel de Dei potentia ad salutem illam adducen-

dam dubitet (*S. Hier. Reinke, Schegg*); continetur misericordiae Dei descriptio : « homines vel semel vix condonant in se peccanti; si autem bis vel ter id quispiam faciat, praeter hominum naturam facere videtur; longe ab his moribus est Dominus » (*For.* sim. *Theod. Osor. Troch.* etiam apud *Pint. Lap. Men. Tir.*). Comparationem autem distantiae coeli a terra attulit, quod nulla alia maior esset in rebus creatis, qua simul declarare velle videtur se velle efficere, ut numerus peccatorum dummodo resipiscant infinitis modis a misericordia sua superetur (cf. *Procop. Malv.*). Neque a proposito alienum est quod alii connectunt efferentes necessitatem conversionis, cum hominum viae et cogitationes longissimae absint a divina sanctitate et iustitia (cf. *Sanct. Calm. Rohl.* sim. apud *Pint. Hahn, Del. Or.*); quam acceptionem, uti *Sanct.* monet, iam *Chald.* quoque in sua paraphrasi exprimit. Haec autem omnia in eo conveniunt, consilia divina non esse dimetienda secundum angustam mensuram mentis humanae.

Dei quidem consilia in se sunt hominibus incomprehensa prae sublimitate ; nihilominus in opus deducentur; qua in re nova ratio continetur, cur ad Deum revertantur Deoque uni omnium bonorum auctori adhaereant neque de praeclara salute dubitent; nam v. 10 « *et quomodo descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti :* v. 11 *sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud* »; — comparatione illustratur quam efficax sit *verbum Dei* i. e. promissio a Deo facta (v. 3), sed simul *modus* operationis divinae praeclaro exemplo delineatur. Dei enim gratia blande ac leniter sese animis infundit, eos excitat et elevat et germine divino fecundat, ut fructus demum praeclari edantur. Neque igitur repentinae rerum mutationes neque inaudita quaedam ac strepitu et admiratione plena exspectanda erunt, sed promissiones Dei ratione placida paulatim ad fruges laetissimas maturescent. Nonne etiam iste *modus* operandi longissime abest ab humana ratione? Deus enim non uno impetu hostes prosternit, non subito regnum suum universale instituit neque statim ad plenum adducit triumphum, quamvis homines de illa Dei mora ac patientia facile conquerantur (cf. Ier. 12, 1 seq.). Vide comparationes quibus idem modus agendi placidus ac quietus innuitur 50, 9 et 51, 6. Verbum Dei h. l. est promissio Dei de qua sermo fuit. Pulchre verba *accommodant* ad Verbum quod erat in principio apud Deum et in mundum missum est neque vacuum reversum est ad Patrem (cf. *S. Hier. Cyr.*); sed sensu literali non esse hic mentionem Filii Dei, non opus erit advertere; habes similem locutionem 9, 8 et Ps. 106, 20 et 147, 18.

Atque pactum illud sempiternum et misericordias David fideles (v. 3) in opus iri deductum, uti habent pignus firmissimum in ipsa Dei fidelissimi ac potentissimi promissione, ita in liberatione ex exsilio habebunt eiusdem rei testimonium et initium v. 12 « *quia in laetitia egrediemini et in pace deducemini; montes et colles cantabunt coram vobis laudem et omnia ligna regionis plaudent manu* »; — egredientur e Babylone non in tumultu nec in fuga nec in pavore (cf. 52, 12), sed in laetitia; secure et cum honore proficiscentur (cf. 40, 11. 31). Ipsa rerum natura iis de recuperata libertate gratulabitur; neque id solum quia laetis omnia laeta et festiva videntur, neque solum modus loquendi est usitatus, quando ingens aliqua laetitia atque triumphus significatur (*Sanct. Calm.*), sed significatur ipsam rerum naturam si opus fuerit eis fore emolumento et adiutorio ad prosperum reditum (cf. 41, 18. 19; 43, 20; 44, 23; 49, 13) et uti fuerint res creatae suo modo poenae participes, ita etiam fore redemptionis et salutis (cf. ad 11, 6; 35, 1. Rom. 8, 23).

Iste egressus initium quoddam est conditionis et instaurationis multo melioris, quam symbolo quodam e rerum natura deprompto declarat vates v. 13 « *pro saliunca ascendet abies et pro urtica crescet myrtus, et erit Dominus nominatus in signum aeternum quod non auferetur* »; — hebr. *pro vepreto* (senticeto) *ascendet cypressus* i. e. generatim pro re vili substituetur alia multo praeclarior, uti simili modo 32, 15 dictum est. Symbolum tale eo melius eligitur, quia gloria instaurationis in ultima sua perfectione etiam ad glorificationem rerum creatarum redundabit, quando scil. liberabitur a servitute corruptionis creatura, cui nunc invita subiecta est. Nota aliquam iam rerum creatarum elevationem et liberationem contineri et exprimi in sacramentis et sacramentalibus Ecclesiae et varia ad eandem spectantia occurrere in vitis Sanctorum. Quibus aliisque patet has imagines a natura depromptas non esse nuda symbola neque meras fictiones vel inanes prosopopoeias, sed ex intimo cum homine eiusque redemptione nexu et ex veritate quadam gloriae hauriri; quare etiam illi a proposito aberrant, qui in eiusmodi symbolis varios hominum ordines vel varia hominum opera delineari opinantur. Exsistet ergo nova quasi terrae facies in locis desertis et horridis et iucundissima quaedam amoenitas apparebit, in qua rerum in melius mutationem egregie adumbratam cernere licet. Atque haec nova rerum facies erit *Domino in nomen et in signum aeternum quod non auferetur* hebr.; in ea relucet gloria Dei et magnifica maiestatis eius manifestatio et gloriae divinae monumentum illustre, nova theocratia, laudem Dei eiusque magnitudinem per orbem annuntiabit neque unquam deficiet vel delebitur (hebr.). Ita implebitur illud: plena est omnis terra

gloria eius (6, 3). Et nova haec rerum conditio cuius gloria et homines et res creatae collustrantur, splendore suo atque ornatu in Domini honorem et praeconium magnificentissime redundabit. Tunc habebitur illud : in te gloriabor (49, 3 ; cf. 42, 12). Atque hoc exitu ostenso efficaciter sustinetur admonitio illa in v. 6 et 7 proposita et ubertim declaratur quanta felicitatis copia Deus desideriis suorum sit satisfacturus, unde ratio potentissima est proposita pro illo : omnes sitientes venite ad aquas (v. 1) et ad quid ultimatim tendat *iustificabit multos* (53, 11) praeclare ad animos voluptate perfundendos est exhibitum.

De nominibus arborum et plantarum haec notat *S. Hier.* : « στοιβή quoque et κονύζη (κόνυζα) sive saliunca et urtica in abietem vertentur ac myrtum et cyparissum. Στοιβή iuxta *Symmachum* et LXX in hebr. scribitur *nesus* (נַעֲצוּץ), quem *Aquila* et *Theodotio* κονύζην interpretati sunt. Est autem κόνυζα herba vilissima et amara odorisque pessimi. Ubi autem LXX transtulerunt κόνυζα quae in hebr. dicitur *sarphod* (סִרְפָּד, vel ut alii scribunt סִרְפַּד ; cf. Liber Iesaiae, ed. *Baer*), *Symmachus* vertit *urticam*; utcumque se habet nominum proprietas, hoc dicendum est, quod mala vertantur in bona et pro vitiis nascantur virtutes ».

7. *Oratio septima* 56, 1-57, 21.

Arg. — Beatus erit qui Deum colit et iustitiam sequitur. A qua beatitudine neque alienigena, neque eunuchus excluditur. Immo si eunuchus fide constanti Deo adhaeserit, honore praecipuo in domo Dei potietur; item alienigena qui Dei legem custodierit Deo erit gratus et acceptus, non minus quam Israelitae (56, 1-8). Vae autem impiis ! Ruinae autem causa reponitur in socordia atque vesania et impietate ducum ac principum, qui ad indicia iudicii et ultionis ingruentis animos minime advertunt (56, 9-57, 2). Pari impietate tenetur maior populi pars : prophetas irrident et multiplici idololatriae impliciti sunt ei sedulitate magna operam dantes et timorem Dei omnino reiicientes (57, 3-11). Quare Deus impiis retribuet secundum opera eorum ; piis vero et iis qui resipuerint pro sua benignitate gratiam donabit et pacem abundantissime, dum impii continua tempestate iactentur (57, 12-21).

Oratio haec arcte ad antecedentem pertinet. Postquam enim gloriam Sionis vel theocratiae instauratae descripsit (cap. 54) et ad talem gloriam et salutem omnes invitavit via demonstrata qua ad eam pervenire oporteat (cap. 55), hoc loco gloriam Sionis et indolem universalem novae theocratiae explicatius eo ostendit, quia remotis limitibus legis mosaicae etiam alienigenae et eunuchi (cf. Deut. 23, 1 seq.) locum et honorem praecipuum habebunt. Qua re simul illud *iustificabit multos* 53,

11 magis declaratur et quae 54, 15 et 55, 5 paucis dicta sunt uberius illustrantur. Magna emphasi vates urget spem beatitatis et honoris praecipui in theocratia unice collocari in Dei cultu et fideli observatione iustitiae. Ad quam observationem ut omnes stimulet, transit ad delineandam sortem illorum qui abiecto timore Dei cupiditatibus suis et sceleribus et idololatriae variis generibus indulgent. Iis ruinam et interitum denuntiat et ita sibi viam parat sorte piorum atque impiorum inter se comparata ad notam illam clausulam : non est pax impiis. Hac vero impiorum sortisque eorum descriptione vates latius ea prosequitur, quae iam passim in huius sectionis orationibus tetigerat; scil. fore multos ex Israel qui Deo et servo Domini fidem et obedientiam denegent; ita 49, 4; 50, 11; 53, 1. 8. Impiorum miseria et poena descripta quasi a parte contraria (cf. 8, 21 seq. 29, 9; 30, 16. 33; 34, 1 seq.) stimulos addit ad prosecutionem verae iustitiae et salutis. Denique minime negligendum est quantopere propheta eiusmodi et adhortationibus et increpationibus indolem theocratiae novae esse spiritualem et omnino ad veram pietatem fovendam atque ad exstirpanda scelera esse natam factamque doceat atque inculcet. Id quod uberius etiam et efficacius in tertia sectione praestatur.

a) Limites legis mosaicae removentur 56, 1-8.

Magna illa salute et gloria proposita (55, 12. 13) vates denuo, uti 55, 6. 7, viam demonstrat qua ad eam perveniri possit; v. 1 « *Haec dicit Dominus : custodite iudicium et facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur* » ; — ut normam iuris ac iusti sequantur monet; eam enim turpiter negligi iam in parte priore saepe acerbe conquestus est (cf. 1, 23; 5, 7. 23 etc.), in ea autem omnis ordo reipublicae et familiarum fundatur. Si igitur normam iuris a Deo datam sancte custodiunt et vita exprimunt, tunc salus Domini iam nunc cuique prope adest et status ille rectus quem Deus efficere vult et hominibus inesse revera in opus deducetur (cf. 46, 13). Qua adhortatione id indicatur posse unumquemque se pro temporis ratione participem reddere salutis a Domino oblatae, dummodo normam iuris ac recti a Deo propositam observet; pro toto autem populo edicitur, quomodo se debeat praeparare ad periodum illam qua Deus insigni modo salutem et iustitiam revelare decrevit. A qua praeparatione et conditione dependebit, utrum bona illa maiore vel minore copia iis sint obventura. Salus autem Dei et iustitia insigni modo revelabitur ex orationibus in prima sectione consideratis per duos illos liberatores, Cyrum et servum Domi-

ni. Unde haec admonitio pariter ad utramque pertinet liberationem ad quam accipiendam animorum quaedam praeparatio exigitur. Atque revera non omnes priore illa oblata usi sunt. Proxime vero ex oratione antecedente et salute ultimo loco descripta salus et iustitia pleno sensu dicit illas misericordias David fideles, ergo ultimatim salutem messianicam. Ergo admonitio est generalis et legem exhibet Dei universalem qua in omni demum periodo hominis cooperationem ad bona divina accipienda exigit.

Ut autem normam iusti strenue prosequantur animis et opere vitaque exprimant (*facite*), opus est religione, timore et cultu Dei; quare secundo loco vates et adhortatur et allicit eos dicens beatos qui istis legibus insistunt v. 2 « *beatus vir qui facit hoc et filius hominis qui apprehendet istud, custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum* »; — i. e. ex noto hebraismo: ne quidquam mali faciat. Requiritur, ut non solum faciat bonum una fortasse alterave vice, sed ut *apprehendat* i. e. constanter ac firmiter retineat. Ex priore decalogi tabula unam legem sabbati commemorat, quia in ea cultus Dei et fides in ipsum et spes et amor continentur et exercentur (cf. 58, 13). Adde prophetam alias quoque per modum synecdoches unum actum unamve virtutem pro toto genere commemorare; ita v. g. iurare per Iahve (19, 18 et 45, 24 et 48, 1). Demum probabilissime haec lex sabbati ut inculcaretur, ipsa negligentia et socordia aequalium Isaiae postulabatur; nam tempore quoque Ieremiae haec sabbati lex multimodo violabatur; unde explicite monentur aequales Ieremiae : nolite portare pondera in die sabbati (Ier. 17, 21 et seq.) et saepe accusantur Iudaei de violatione sabbati (cf. Ez. 20, 12. 13. 16. 21. 24; 22, 8. 26 etc.), quam ante exsilium admiserunt. Haec observatio etiam propterea optime commemoratur, quia in ea certum quoddam habetur indicium quo loco apud populum sit et habeatur cultus et adoratio Dei; est scil. sollemnis et publica professio qua fide et qua in Deum reverentia et obedientia populus rebus terrenis posthabitis bona altioris ordinis quaerat.

Hac legis mentione facta aliqui putant indicium exhiberi vaticinium hoc tempore exsilii esse conscriptum, quo scil. sacrificia non potuissent offerri et tota fere religio ad observationem sabbati esset redacta (*Ges. Kn. Sein.*). At haec illatio minime valet. Nam etiam stante templo et ante exsilium Ieremias multum hanc legem inculcat magna voce de eius violatione conquestus (Ier. 17, 19-27). Si autem Ieremias antequam populus in exsilium eiiceretur tanto pondere eam legem commendat, certe adhortatio haec nullo modo ex solo exsilii tempore explicari potest vel debet. Et si tempore Ieremiae talis adhortatio erat necessaria, quare eadem non etiam Isaiae tempore esse potuerit vel opportuna vel necessa-

ria non intelligitur. Accedit quod ex Ezechielis querelis scimus (cf. Ez. 20, 12 seq. 22, 8 seq.) revera multum ante exsilium in sabbati violatione peccatum fuisse : sabbata mea polluisti, a sabbatis meis averterunt oculos suos, sabbata mea violaverunt vehementer etc. Cur ergo talis adhortatio aliena censenda est a tempore Isaiae ? Quam aegre multi tulerint observationem sabbati, etiam per Amos (8, 5) docemur. Ergo non solum Nehemias (10, 31 ; 13, 15) de eius violatione conqueritur ; proinde talis adhortatio minime arguit tempus exsilii.

Et ab hac salute a Domino per servum Domini oblata excluditur nemo; limites quos lex mosaica fixit removentur; ibi enim Deut. 23, 1-3 et eunuchus et Ammonites et Moabites prohibentur ab ingressu in ecclesiam Dei. Sed iam alia promulgatur lex v. 3 « *et non dicat filius advenae qui adhaeret Domino dicens : separatione dividet me Dominus a populo suo; et non dicat eunuchus : ecce ego lignum aridum* » ! — cf. Mich. 7, 11. Soph. 2, 11. Electio particularis qua Israel prae reliquis gentibus est in peculium Dei assumptus iam non dicit exclusionem aliorum; cf. 19, 25. Maceries qua separabantur est ablata; gentes ad domum Dei Iacob accedentes (2, 3) etiam in populum Dei assumuntur. Hac promissione illimitata simul declarantur ea quae 45, 6 et 54, 15 et 55, 4. 5 dicta sunt. Cum in vetere lege fecunditatis promissio tamquam divinae benedictionis signum esset data (Ex. 23, 26. Deut. 7, 14), eunuchus peculiari maledictioni subiacere videbatur. Sed hanc iam tollit Dominus promissione singulari v. 4 « *quia haec dicit Dominus eunuchis : qui custodierint sabbata mea et elegerint quae ego volui et tenuerint foedus meum*, v. 5 *dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis quod non peribit* »; — sanctitas interna postulatur quae triplici ratione declaratur : in fideli sabbati observatione, in vita reliqua qua quae Domino placita sunt (hebr.) opere peragunt et in constanti foederis custodia. Quae si praestiterint, in familia Dei vel inter Dei familiares habebunt *locum et nomen melius filiis et filiabus* (hebr.) vel nomen melius prae filiis et filiabus, nomen praeclarius quam si haberent filios et filias; nomen scil. eorum i. e. gloria, aestimatio, laus in aeternum non cessabit. Vetere lege excludebantur ab ecclesia Domini ; iam iis in domo Dei, in templo, in muris Domini, in civitate Dei, ergo inter cives ac familiares Dei conceditur locus et nomen i. e. admittuntur cum honore ; immo excellentiore gloria digni censentur quam prole numerosa acquirere potuissent. Praeterea *nomen aeternum* habebunt. Hoc aliqui explicant : in aeternum vivent in hominum memoria (*Kn. Sein. Del.*) ; sed haec consolatio esset uti falsa, ita futilis. Quomodo enim fieri potest, ut memoria eunuchorum in aeternum in templo et in civitate Dei et

apud homines conservetur? Respondent aliqui : monumento (יָד) erecto. Sed num propheta censendus est *serio* promittere velle cuivis eunucho monumentum in templo et civitate in aeternum duraturum? Si vero haec promissio in se est ridicula neque *serio* fieri potest a viro sensato, certe a sensu longe aliena est reputanda. Proinde *nomen* dicit, uti saepe, honorem, gloriam; ille ergo coram Domino, in conspectu Domini vivet in aeternum peculiari honore insignitus (cf. *Osor. For. Sanct. Pint. Sasb. Sa, Lap. Mar.* etc.). Unde certissime innuit vates in nova theocratia virginitate et coelibatu locum et honorem in familia Dei acquiri excellentiorem quam generatione et posteritate; quare hisce promissis omnino praeludere censendus est verbis Christi Matth. 19, 11. 12. Si enim qui ab hominibus facti sunt eunuchi vel tales nati, honorem maiorem apud Deum acquirere possunt dummodo hanc cum pietate conditionem ferant, ab eodem certe non excluduntur qui propter regnum coelorum ad maius Deo obsequium praestandum statum coelibem eligunt. Quare hic locus insignis est de praemio et dignitate virginitatis (cf. *S. Hier. Cyr. Sanct. Lap. Tir.* apud quos praeclari quoque SS. Patrum loci allegantur).

Vox יָד *manus* notione monumenti occurrit 1 Sam. 15, 12 et 2 Sam. 18, 18; nomen et notio inde peti videtur quod cippi vel lapides instar manus erigebantur ad memoriam demonstrandam; immo in cippis nonnullis sepulcralibus manus elata comparet (cf. *Ges.* Thes. p. 568). Sed ex hoc usu non sequitur nostro in loco eandem notionem voci necessario esse tribuendam. Nam יָד multo frequentius in significatione *loci* vel *partis*, portionis adhibetur. Et revera cum unicuique pio eunucho non possit sano modo monumentum promitti in templo et in moenibus civitatis collocandum, necessario alia notio de loco vel parte erit seligenda, eo magis quia Deut. 23, 13 eo sensu vox adhibetur et forte etiam Is. 57, 8. [1] *Nomen* quidem saepius dicitur de fama post mortem, de memoria; immo quamdiu in posteris durat nomen parentum, ut notat *Sanct.*, tamdiu parentes in vivis agere censentur: « mortuus est pater et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se » (Eccli. 30, 4); quare filii in s. literis vocantur *lucernae parentum*, quia splendere faciunt neque interire sinunt illorum memoriam. At ex eo solum sequitur, in promissione eunuchis facta verba eligi ratione habita et comparatione cum parentibus instituta; id quod etiam mentione filiorum et filiarum patet; minime autem conficitur vatem nihil aliud dicere velle quam: uti nomen aliorum vivit et propagatur in filiis, ita nomen eunuchorum in monumentis erectis. Nam monumenta iam supra exclusimus; dein nomen *melius* et locum meliorem (haec duo enim iungenda esse plerumque bene censent) pro-

1. Et Sap. 3, 14 pariter dicitur de eunucho : δοθήσεται... χάρις ἐκλεκτὴ καὶ κλῆρος ἐν ναῷ κυρίου θυμηρέστερος.

mittit, sed qua ratione monumentum iam eo ipso maiorem famam ac celebritatem cuivis conciliet quam benedictio Dei in filiis filiabusque conspicua, iterum difficile intelligitur. Quod ut reddant probabile, advertunt fieri posse vel ut filii sint degeneres et ita ignominiam parentibus pariant vel ut posteri post aliquas generationes sine heredibus e vita excedant et ita nomen parentum deleatur, eunuchum autem monumento erecto in meliore esse conditione; nam neque ei quidquam timendum esse opprobrii a filiorum iniquitate neque nomen eius interiturum esse posteritate deleta ; adesse scil. pro eunucho monumentum perpetuum famae eius praeconem. Vides quot opus sit hypothesibus, ut sensus habeatur ; et num revera habetur sensus promissione prophetica dignus ? Minime. Nam ubi erit eunuchi nomen et gloria, si monumentum illud iam nemo prae aliorum multitudine aspexerit ? vel si casu conciderit ? num quodvis monumentum in aeternum stabile sibi finxit Isaias ? Unde *nomen melius* hoc sensu capi nequit. Remanet ergo sensus quem supra dedi, ut nomen sit gloria et honor apud Deum, apud quem talis in aeternum vivit. Nomen *melius* ergo revera excellentiorem quandam in theocratia dignitatem dicit et perperam id a *Schegg* negatur.

Si vero alii suam explicationem eo fulciant, quod Israelitis vita post mortem qua quisque immortalis sit plane fuerit incognita (*Sein. Naeg.*), vehementer errant. Nam animam esse immortalem Israelitae plane noverunt. Id iam ex modo colligitur quo de animae creatione sermo est in Genesi (2, 7), quo mortui dicuntur colligi et congregari ad patres ; et cum apud Aegyptios antiquissimos et apud Assyrios et Babylonios haec sententia de vita post mortem fuerit pervulgata (cf. liber qui dicitur mortuorum apud Aegyptios, das Todtenbuch, vel apud Assyrios et Babylonios in mythis de Izdubar et de descensu in infernum ; plurima testimonia collecta invenies a *de Hummelauer* in Stimmen aus Maria Laach 1877, XII p. 21 seq. XIII p. 91 ; 1876 X p. 395 et *Knabenbauer*, Zeugniss des Menschengeschlechtes p. 9 seq. 159), quomodo quis ea solum consideratione adhibita in quaestionem vocare poterit eandem apud Israelitas fidem ? Nonne ipsa necromantia adeo ubique pervulgata eandem testatur fidem ? Et si Isaias adeo urget et inculcat salutem Domini esse sempiternam, nunquam deficere etsi coeli et terra liquescant et atterantur (51, 6), quid aliud poterit cogitari nisi fore post mortem aliam vitam ? Praeterea cf. Ps. 15, 10 ; 48, 16 ; 72, 24. Prov. 15, 24. Iob 19, 25 etc. de qua re vide *Zschokke*, Theologie der Propheten p. 594-617 et fasciculos : Der Katholik 1877. II.

Cum igitur eunuchus locum obtineat vel portionem et honorem meliorem in Dei familia et in theocratia, iam non est lignum aridum (v. 3) et querela illa quae in vetere foedere iure fundi poterat iam nullo modo valet in nova ; in hac illud obtinet : qui potest capere, capiat. Iam filio quoque advenae (v. 3) eae fiunt promissiones quibus in eadem cum Israelitis dignitate agnoscitur v. 6 « *et filios advenae qui adhaerent Domino ut colant eum et diligant nomen eius ut sint ei in servos, omnem*

custodientem sabbatum ne polluat illud et tenentem foedus meum v. 7 *adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae; holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis* » ; — iterum prius, ut v. 4, recensentur conditiones in v. 6. Iam alienigenae penitus aequiparabuntur Israelitis : ut isti ad montem Dei, ad montem templi, tamquam ad centrum et sedem theocratiae ascendunt, ita alienigenas Dominus ipse adducet, in templum suum eos admittet, benedictionibus ditabit, eorum sacrificia magna cum approbatione suscipiet; iam enim templum est domus orationis pro cunctis populis. Vide ad 2, 3. Cultum Dei describit vates ex norma vetere. Duo commemorat : sacrificia et orationem; quae duo varie inter se differunt. Ergo pro nova quoque theocratia mentionem facit sacrificii praeter orationem. Et revera quomodo actus ille nobilissimus cultus Dei qui in sacrificio consistit desit in nova theocratia, quippe quae longe superior et excellentior priore cultum etiam debebit Deo exhibere longe sollemniorem et praestantiorem? Adde quod Is. 66, 21 de sacerdotibus sermo fit ex gentibus assumptis. Innuitur ergo sacrificium revera fore in nova theocratia, de quo explicatius vaticinatur Malachias (1, 11). Dei amor et benevolentia in nova theocratia pulcherrime depingitur in *laetificabo eos in domo orationis meae;* ibi ergo bona et dona Dei sunt reposita, inde exhilarantur donis eius affluentes et spe sanctorum ditati (*S. Cyr.*). Quanta bona et quae consolatio reposita sit in oratione, docet propheta, ad quae verba optime convenit illud : tristatur aliquis vestrum? oret (Iacob 5, 13). Illi praesertim *laetari* dicebantur coram Domino qui sacrificiis laudis et gratiarum actionis oblatis epulis accumbebant sacrificalibus, quibus intima cum Deo coniunctio, amicitia, bonorum communicatio repraesentabatur (cf. 25, 6. 9, quo loco et novae epulae illae sacrificales et exsultatio coram Domino describuntur).

Domum Dei esse domum orationis cunctis nationibus et theocratiam novam continuo magis magisque iri propagatum et dilatatum, indicatur v. 8 « *ait Dominus Deus qui congregat dispersos Israel : adhuc congregabo ad eum congregatos eius* » ; — salus est ex Iudaeis et Iudaeo primum evangelium est annuntiandum et Deus populum suum non abiicit, congregabit dispersos Israel, sed praeter Israelitas : *amplius congregabo ad eum* (addens) *ad congregatos eius* hebr. i. e. idem quod Christus dixit : alias oves habeo... ut fiat unum ovile et unus pastor (Ioan. 10, 16); cf. 44, 5; 45, 24; 54, 15; 55, 5. Hoc continuo augmento theocratiae pulchre quoque illustratur illud : videbit semen, iustificabit multos (53, 11). Cum diserte sermonem inferat propheta de congregatione dispersorum Israel, patet eum loqui de periodo instaurationis; proinde ea

quoque quae de eunuchis dixerat, ad eam periodum spectare. Unde prorsus immerito et omni orationis contextu neglecto aliqui ex hoc loco deducunt vatem contradicere vel sese opponere legi mosaicae vel vatem indolem habuisse multo benigniorem quam legislatorem etc. (ita v. g. *Sein.*). Verum ea omnia in ventum dicuntur et vane declamantur, cum ex v. 8 et ex oratione antecedente cui haec intime conserta est appareat vatem de instaurata loqui theocratia; huius ergo indolem universalem depingit, sicut iam in parte priore (2, 3; 25, 6 etc.) depinxerat et etiam saepius in hac parte.

b) Invehitur in improbitatem ducum 56, 9-57, 2.

Repente vates transit ad increpationem malorum. Sed reprehensio ista iam etiam in antecedentibus est praeparata. Non solum enim saepius quid bonis quidve malis obventurum esset arcte omnino inter se contexuit (cf. 3, 10. 11; 7, 16. 17; 8, 14; cap. 34 et 35; 41, 5. 8; 48, 21. 22 etc.), sed modo 55, 7 monuerat : derelinquat impius viam suam; hanc monitionem ut se praeparent ad salutem accipiendam, iam fulcit descriptione contraria, ostendens ruinam rebellium et singula quae apud populum grassantur scelera perstringens. Ita propheta quae pro periodo futura annuntiaverat pro suis aequalibus reddit proficua iis ostendens quam longe absint a norma quam Deus observatam vult. Locutus erat v. 8 de benigna congregatione qua congregabit *Israel;* verum ne nominis communione et cognatione sanguinis elati falsae se tradant impii securitati, quid iniquis immineat pro benigna illa assumptione, breviter ac nervose proponit v. 9 « *Omnes bestiae agri venite ad devorandum, universae bestiae saltus* »! — tamquam poenam minatus erat Deus : immittam in vos bestias agri quae consumant vos (Lev. 26, 22), et devorabunt eos aves morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos (Deut. 32, 24; cf. Ier. 12, 9. Ez. 34, 5; 39, 4. Os. 13, 8), quare de vero sensu dubitari nequit. Certe enim poena denuntiatur. Gentes igitur ea imagine invitantur inimicae, gentes quae prope sunt et quae longius absunt, ut veniant et infideles ex Israelitis deleant. Consideratur etenim populus sub malis ducibus, de quibus v. 10 seq., tamquam grex dispersus, relictus sine custodia, quem igitur omnes facile et impune praedam agunt. Ea adhortatione vates declarat, quanta indignatione feratur in rebelles et contumaces; habes idem quod 2, 9 : ne ergo dimittas eis. Verba haec sensu minaci plerique accipiunt; ita v. g. *Theod.* qui de clade a Romanis illata explicat, *S. Ephr. Haimo, Thom. Osor. Pint. For. Sasb. Mald. Sanct. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg,*

Rohl. Troch.; pauci sensu fausto ac si gentes invitarentur ad bona messianica capessenda (*Euseb. Hahn*); utramque explicationem afferunt *S. Hier. Cyr. Procop.* et singularem *Naeg.* qui versum ad v. 8 adiungens ita exponit, ut quemadmodum 55, 12. 13 pro plantis glorificatio praedicitur in regno messianico, ita simile quid iam bestiis quoque annuntietur. De qua re vide notata ad 11, 6 seq. — Sed verba ipsa, adhortatio, et quae subsequuntur sensum adesse minacem ostendunt.

Cur enim gentibus in praedam et conculcationem futuri sint, declaratur ex eo quia qui curam populi agere debebant et custodes esse ac vindices iusti turpiter ab officio desciverunt v. 10 « *speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia* »; — speculator, qui in alta specula positus in longinquum prospicit, hostium adventum nuntiat etc. communiter dicitur propheta (cf. 21, 6. Ier. 6, 17. Ez. 3, 17; 33, 7. Hab. 2, 1). Hoc ergo loco vel de pseudoprophetis est sermo vel in universum de iis quibus incumberet prospicere populo. Iam quantopere a munere sint alieni, inepti, proinde quot et quanta damna ab eis necessario proventura sint, describitur : sunt *caeci,* ergo ad prospiciendum e specula et ad hostis adventum videndum quam ineptissimi; *nescierunt,* intelligentia, rerum cognitione carent; nihil valent edicere et annuntiare de periculis imminentibus; sunt *delirantes;* si quid edunt, deliria vel somnia vel vana proferunt quibus alios in errorem inducunt; sunt *cubantes* (hebr.) quieti scil. dediti et *amantes somni* (hebr.). Proinde in omnibus quam maxime oppositi sunt *speculatoribus.* Cum v. 11 de pastoribus fiat mentio, qui populi duces et magistratus nominari solent (cf. Ier. 2, 8; 3, 15; 50, 6. Ez. 34, 7. Zach. 11, 5 etc.), etiam hoc loco consultius erit vocem de iis accipere et non tam arcte de pseudoprophetis solum; hos etiam suas agere partes perniciosas, utique certum est; quae in latina versione quam maxime pseudoprophetas designare videntur : *videntes vana, amantes somnia* in hebr. non adsunt; quare nihil obstat interpretationi magis amplae.

Ubi scil. *S. Hier.* vertit videntes vana, legitur in hebr. הֹזִים ἅπ. λεγ. quae vox utique alludit ad חֹזִים *videntes*, quales esse debebant. Explicant eam ex arab. *delirare*, loquentes deliria (*Mar. Malv. Del.*); alii vertunt *somniatores* (*Sein. Or. Rohl.*), alii explicant de sono quem canes dormientes quandoque edere solent (*Naeg.*). LXX verterunt ἐνυπνιαζόμενοι; *Aq.* φανταζόμενοι, *Sym.* ὁραματισταί, *Syrus* reddidit verbo חדי *gaudere*, laetari; *Chald.* vertit *dormientes; S. Hier.* potius sensum quam vocem ipsam reddere voluisse videtur *videntes vana* vertens et notionem coniectans.

« Removit supra propheta a speculatoribus et praefectis id quod in canibus laudamus et experimur, nempe fidem, domus custodiam et vi-

giles excubias latratumque non minus opportunum et gratum domino quam ingratum et importunum furi; nunc illud speculatoribus attribuit quod in cane fastidimus et exsecramur » (*Sanct.*), v. 11 « *et canes impudentissimi nescierunt saturitatem ; ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam ; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum* » ; — una res in qua non molliter quiescunt et dormiunt sed valde acres sunt et alacres est avaritia et cupiditas insatiabilis; hebr. *et canes validi appetitu* vel fortes cupiditate (cf. *Mald. Mar. Malv.* et recentiores) i. e. voraces, insatiabiles; quos ergo auri sacra fames excruciat et qui avaritiae implicati ius pervertunt, rapiunt, opprimunt alios. Unde non sine indignatione vates subdit in hebr. *et tales sunt pastores!* i. e. eiusmodi non hominibus, sed bestiis cura populi incumbit? quam misere gregem lacerabunt? Pergit eos describere : nihil muneris sui intelligunt, nesciunt neque quidquam vident quod ad communem utilitatem promovendam pertineat; ergo omni prudentia destituti plane inepti sunt ad gubernandum. Neque Dei legem vel populi commodum respiciunt; verum suas singuli vias respiciunt et sequuntur, propriae utilitati et cupiditati tantum intenti, publicam salutem vero flocci habentes; hebr. *ad suum quisque quaestum,* haec itaque est via quam alacriter terunt *a summo ad novissimum,* ut *S. Hier.* phrasim hebr. (proprie *ab extremo eius* i. e. quasi in toto ambitu, per singula) bene reddidit. Tales nobis h. l. exhibentur pastores et duces populi quales propheta etiam cap. 5 descripsit (cf. v. 8. 23).

Oppressione aliorum ditescunt; divitiis abutuntur ad ebrietatem, uti viri illi fortes (5, 22) et potentes ad miscendum vinum. Quam sint praeclari pastores, mimesi vates exhibet v. 12 « *venite, sumamus vinum, impleamur ebrietate! et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius* »! — en bonum pro futuro propositum! hebr. *venite, afferam* [1] *vinum et inebriemur sicera et erit sicut hic dies crastinus magnus supra modum valde* i. e. omnibus diebus crapulam continuabimus, immo augebimus (*Mar. Malv.*). Animos igitur produnt in malo obfirmatos, voluptatibus plane immersos, a resipiscentia alienissimos; cf. 28, 7. Neque quidquam mali sibi timent, quamvis ingruentis calamitatis signa haud obscura iam adsint (57, 1), e contra illa ludibrio habentes sibi in dies lautiora convivia et ampliores promittunt compotationes. Talia scil. respondent vati admonenti et minanti.

---

1. Hebr. *vinum afferam*; unus ergo inducitur apud quem alii ad compotandum conveniunt. Ceterum aliqui codd. legunt numerum pluralem נקחה et hunc exprimunt *Theod. Syrus, S. Hier. Chald. Saadias;* cf. *de Rossi* supplementum. Sed *Aq.* habet singularem καταλήψομαι.

Quemadmodum supra 5, 12 heluones illos descripsit poculis et lasciviae immersos, at opus Domini non respicientes nec opera manuum eius considerantes, ita eodem modo hic subdit gravia illa indicia instantis calamitatis ab iis plane negligi, re nulla illos ad resipiscentiam adduci; ita 57, 1 « *iustus perit et non est qui recogitet in corde suo, et viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat; a facie enim malitiae collectus est iustus* » ; — hebr. *et viri pii auferuntur dum nemo intelligit* vel ita ut nemo intelligat, attendat vel perpendat quid ea re portendatur. Mors enim praematura iusti magnam continet admonitionem, quia Deus eum e vita avocat ne maiora mala ingruentia experiatur, uti dicitur ad Iosiam regem pium : « colligam te ad patres tuos et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quae inducturus sum super locum istum » (4 Reg. 22, 20). Quare in eiusmodi mortibus frequentioribus praesagia adsunt non obscura ruinae instantis; sed *speculatores* illi caeci, nihil intelligentes, eiusmodi indicia minime advertunt. Ita plerique verba intelligunt (cf. *S. Ephr. Osor. Sasb. Mald. Pint. Est. Sanct. Malv. For. Mar. Lap.* etc.) et potest adiungi cum *Sanct.* cum viris iustis simul tolli civitatis et reipublicae praesidium quod irae divinae impetum suspendat atque retardet. Nam si Sodoma decem habuisset iustos, non interiisset, immo unum virum iustum quaerit Deus in Ierusalem, ut universae ignoscat civitati : circuite vias Ierusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem et propitius ero ei (Ier. 5, 1). Quid vero portendatur in mortibus piorum et quid non advertant, indicatur ultimo membro : *a facie* i. e. propter malum imminens, ne in illud incidat, iustus e vita tollitur a numine benigno, ne scil. dicere cogatur cum Mathathia : vae mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei et contritionem civitatis sanctae (1 Mach. 2, 7). Diligenter nota et perpende, in hoc versu adesse testimonium egregium vaticinium hoc non potuisse scribi versus finem exsilii. Nam versus finem exsilii non calamitas, sed id prope erat quod amantissimus quisque religionis et patriae maximis expeteret votis ; ergo eo tempore iusti non e vita tolli debebant, ergo eo tempore propheta non de ruina imminente, sed de salute instanti locutus fuisset. Verba autem tempus indicant ingruentis calamitatis publicae, quales Isaiae aetate plures acciderunt, nulla vero in fine exsilii.

Pauci verba accipiunt de mortibus violentis quibus prophetae et pii occidantur (cf. *Sein. Naeg. Or.*) et id solum efferri volunt neminem ad hoc animum advertere, nemini ex primoribus curae esse vel cordi quod malitia et iniquitate iusti interimantur. Sed in hac acceptione sententia est satis languida et ieiuna et

ultimum membrum ei explicationi omnino refragatur; nam in ea suppositione non potest dici: nemo intelligit iustum pravitate aliorum esse interemptum. Quomodo enim hoc ignorari potest, si ipsi primores malitia pios occidunt? vel quam mira esset et plane incredibilis sententia ne tantum quidem iis inesse intelligentiae, ut perciperent per malitiam et impietatem publice grassantem fieri, ut iusti mortis condemnarentur? In priore vero explicatione adest sensus gravis et vehemens et ultimum membrum plane et nervose adnectitur. Hebr. proprie dicitur *e conspectu mali* מִפְּנֵי id quod aliqui vertunt: *antequam* infortunium eveniret (cf. *Diestel, Del.*) aliis eam notionem quae proprie in לִפְנֵי habetur negantibus; sed etsi notio usitata retinetur sensus fere idem elicitur. — Sunt qui *iustum* intelligant Christum (cf. *S. Hier. Cyr. Theod.*); sed praeter alia membrum parallelum, ut iam *For.* monet, ostendit neque proprie neque praecipue de Christo esse sermonem. Sententia est generalis; sed applicatio ad tempus Christi facile fluit; iure enim dicemus quod S. Paulus Iudaeis dixit de cap. 6: bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros.. (Act. 28, 25; cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Lap.*). Atque revera quae vates modo reprehendit in ducibus populi ea etiam de tempore Christi valere, satis ex evangeliis elucet. Uti ergo ipse Christus ea quae Isaias de suis aequalibus dicit etiam applicat ad suae aetatis homines (Is. 27, 13. Matth. 15, 8. Marc. 7, 6), ita quae hic dicuntur iterum iterumque Christi et apostolorum tempore opere sunt expressa.

Bene autem agitur cum iustis morte sublatis. Dum enim impii ingruenti reservantur calamitati, illi in pace quiescunt et tranquillitate: v. 2 « *veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua* »; — clarius in hebr. *ingredietur in pacem, requiescent super strata sua, quicumque ambulat recte,* qui recta via incedit, pie et probe vivit. Non de sola quiete in sepulcro sermonem esse (*For. Mar. Del.*), verbis ipsis demonstratur; *pax* enim conditionem felicem designat; *ingredi in pacem* certe non est idem ac deferri in sepulcrum, id quod etiam impiis vita functis obtingit; neque *quiescere super strata* idem est ac in sepulcro iacere; quid enim iustus haberet prae impio mortuo qui senectute confectus etiam ruinam ingruentem morte effugerit? Necessario igitur, ut sensus adsit aptus, de vita post mortem cogitandum erit, in qua iustus pace ac quiete fruitur; similiter Ez. 32, 25 sermo est de cubili vel strato (מִשְׁכָּב) in scheol. Quare hoc quoque loco, ut argumentatio vatis sit efficax et iusto morte sublato prae impiis verum conferatur commodum et praemium, de vita post mortem cogitari debet qua iusto merces iustitiae pendatur et qua ipse requiescat a labore et molestia pace fruens (cf. *Osor. Sasb. Pint. Mald.*). LXX habent quidem ἔσται ἐν εἰρήνῃ ἡ ταφὴ αὐτοῦ, at reliqui testes omnes textui hebr. adstipulantur; ita *Aq.* ἐλθέτω ἐν εἰρήνῃ; *Sym.* et *Theod.* εἰςελθέτω εἰρήνη; sim.

Syrus et *Chald.;* igitur *S. Hier.* vertens *veniat pax* optantis in modum *Aq. Sym. Theod.* praeeuntes habuit; melius tempus futurum LXX reddiderunt.

c) Invehitur in improbitatem populi 57, 3-11.

Iam vates transit ad scelera populi, ita alio modo demonstrans, quo iure gentes invitaverit ad ruinam populo inferendam (56, 9). Populus enim haud absimilis est suis principibus. In ipso compellationis modo sacra vatis indignatio cernitur v. 3 « *Vos autem accedite huc filii auguratricis, semen adulteri et fornicariae* »! — « accedite ad me et audite quae dicam » (*S. Hier.*); cf. 48, 16; quasi invitos cogit ad audiendam reprehensionem. Filios eos nominat auguratricis, quia mater (cf. 50, 1) i. e. populus multum divinationi et variis superstitionum generibus indulgebat (cf. 2, 6; 8, 19) quae cum idololatria coniuncta esse solebant. Cum Aegyptii in hac quoque parte satis eminerent (cf. Ex. 7, 11), reprehensio in eos cadere potest qui foedus aegyptiacum promovebant (cf. 30, 2; 31, 1). Ex adulterio autem et fornicatione nati dicuntur propter idololatriam longiore iam generationum serie inolitam (cf. 1, 21. Ex. 34, 15. Lev. 20, 5. Iud. 2, 17; 8, 33. 1 Par. 5, 25. Ier. 3, 1. 9. Ez. 16, 15; 20, 3 etc.), qua foedus cum Deo initum turpiter violabatur. Ad modum loquendi compara quod legitur Ez. 16, 3 : pater tuus Amorrhaeus, mater tua Cethaea; utroque parente commemorato quam magnam improbitatem quasi iure hereditario habeant indicatur. Atque revera per omnes fere generationes idololatria populum aliqua ex parte inficiebat.

Cum prophetae custodes essent ac vindices theocratiae ideoque quam maxime idololatriam persequerentur, patet cur maxime ab idololatris iis iniuriae et irrisiones sint illatae. De iis, uti iam 5, 19 et 28, 10, etiam hic vates conqueritur v. 4 « *super quem lusistis, super quem dilatastis os et eiecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax* »? — et cum 57, 1. 2 de iustis ac piis sermo fuerit, etiam illos ludibrio haberi ab impiis explicare possumus (cf. *For. Pint. Sasb.*); de Deo autem interpretari (*Mald. Mar.*) non erit consultum quia eius mentio in hoc contextu non fit. Quantis opprobriis servos Dei proscindant, trina interrogatione exprimitur; quam indignum sit, graviter effert propheta irrisores vocans filios iniquitatis (apostasiae) et semen mendacii (hebr.) qui quasi ex apostasia et mendacio progeniti et facti sint ac compositi. Et quantopere hos titulos mereantur et quantopere res sit indignatione maxima abominanda, a talibus pios Dei

cultores ludibrio haberi, ulterius declarat v. 5 « *qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus subter eminentes petras* » ! — hebr. *qui incalescitis* vel exardescitis impura scil. idololatriae libidine *in terebinthis* (cf. *Mar. Malv.* et recentiores) ; vide ad 1, 29 hebr. ; terebinthus enim in cultu Astartes locum praecipuum habuisse videtur et eiusmodi symbolis arborum ipsa colebantur idola. De re vide Deut. 12, 2 ; 16, 21. 4 Reg. 16, 4 ; 17, 10. 2 Par. 28, 4. Ier. 2, 20 ; 3, 6 etc. Quam insano idololatriae furore correpti sint, ostendunt eo quod parvulos suos, carissima pignora, mactant et immolant *in convallibus subter fissuras petrarum* (hebr.) i. e. in speluncis et cavernis saxorum. Eiusmodi mactationes puerorum fiebant in valle Hinnom (cf. 4 Reg. 23, 10. Ier. 32, 35). Cultum illum idololatricum describit quem a Phoenicibus mutuati in Palaestina exercebant ; unde vates non scripsit versus finem exsilii.

Quantae vero reprehensionis ea res sit in populo a Deo electo urget v. 6 « *in partibus torrentis pars tua, haec est sors tua, et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium ; numquid super his non indignabor* » ? — paronomasiam in hebr. imitatus est *S. Hier.* : in partibus pars; in hebr. proprie *in laevibus lapidibus convallis est pars tua ;* populus est *pars* Domini, חֵלֶק יהוה Deut. 32, 9, hunc enim sibi elegit in populum hereditatis (Deut. 4, 19. 20), in peculium de cunctis gentibus (Ex. 19, 5) et vice versa ipse Dominus est pars hereditatis populi (cf. Ier. 10, 16. Ps. 15, 5 ; 72, 26. Lament. 3, 24) ; sed tali parte divina reiecta laeves lapides sibi praeelegerunt, lapides coluerunt divinis honoribus, ut Ieremias quoque conqueritur : praevaricatrix Iuda moechata est cum lapide et ligno (Ier. 3, 9) dicens lapidi : tu me genuisti (Ier. 2, 27 ; cf. Deut. 4, 28 ; 28, 36. 64). In idololatria phoenico-syriaca cultus arborum et lapidum multum erat propagatus (cf. *Movers,* die Phoenizier I p. 343. 353. 411. 569 seq. ; *von Haneberg*, relig. Alterth. p. 77 ; *Scholz,* Goetzendienst p. 157. 292 ; *Vigouroux,* la Bible et les découvertes mod. 3 ed. III p. 256). Et quam sedulo lapidibus servierint, libaminibus et fertis (hebr.) oblatis ostenditur. Cum igitur h. l. tam explicite mentio fiat cultus lapidum, in versu antecedenti de cultu arborum sermonem inferri omnino confirmatur; unde hoc quoque versu valide comprobatur אֵלִים in v. 5 non de diis dici (uti veteres versiones expresserunt) sed de terebinthis, uti 1, 29.

Non solum in convallibus et in cavernis petrarum abominationes exercent, sed in collibus quoque et montibus; transit vates ad cultum in excelsis observatum v. 7 « *super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum et illuc ascendisti ut immolares hostias* » ; — idololatria tamquam fornicatio cum diis consideratur; quanto studio et constantia

sese dedant idolis, in strato posito declaratur. In libris historicis frequenter populus accusatur, quod immolabat in excelsis vel quod reges excelsa non abstulerunt (cf. 3 Reg. 3, 2. 3; 12, 31; 13, 33; 14, 23; 15, 14; 22, 44. 4 Reg. 12, 3; 14, 4; 15, 4 etc.); de quo cultu vide *Movers* l. c. 571 seq. *von Haneberg* l. c. 80. In lecto vel cubili altare videt *Mald.* in quo idolis sacrificabant, « eadem scil. metaphora qua sacrificium ipsum fornicationem vocare solet propheta ». Quam longe lateque serpserit idololatria, vates ulterius exhibet describens idololatriam quam in suis domibus et in ipso templo exercebant v. 8 « *et post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum; quia iuxta me discooperuisti et suscepisti adulterum; dilatasti cubile tuum et pepigisti cum eis foedus; dilexisti stratum eorum manu aperta* »; — memoriale sunt idola vel signa idololatrica, quae in sua quisque domo collocabat; « post ostium autem et retro postem positum esse dicitur memoriale, id est ad interiorem et exteriorem portarum faciem ut sive domo egressuri sive ingressuri domum deos intuerentur eorumque fidei atque tutelae se suaque omnia commendarent » (*Sanct.*). Et quam sedulo domi quoque idolomaniae operam dederint, ostenditur in visione Ezechieli: certe vides quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui (Ez. 8, 12); exhibentur autem ei « omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta in pariete et septuaginta viri de senioribus... et unusquisque habebat thuribulum in manu sua » (Ez. 8, 10. 11). In hortis quoque (Is. 1, 29; 65, 3) et in tectis (Ier. 19, 13; 32, 29) cultui idolorum sedulam navabant operam. Hanc idololatriam coniungebant cum cultu Domini, ita quidem ut sacrificio Domino oblato ad idola colenda se converterent. Immo cum quandoque in ipso templo idola constituerentur et cultus abominandus exerceretur, verba *quia iuxta me...* (vel hebr. proprie *a me* scil. ex latere meo surgens te alteri tradidisti) explicanda esse videntur de tali abominatione in ipso templo patrata, qualem legimus de tempore Manassis, qui aras exstruxit idolis in domo Domini et altaria in duobus atriis templi Domini (4 Reg. 21, 4. 5. 2 Par. 33, 4. 5) vel qualem vidit Ezechiel in templo fieri (Ez. 8, 5). In hac acceptione apta adest gradatio neque sane ea rei veritati opponitur neque verbis vim infert, quin potius illud מֵאִתִּי revera indicare videtur quod *S. Hier.* expressit *iuxta me*; id quod ea explicatione facillime declaratur. Multitudinem idolorum designat vates dicens: *dilatasti lectum* (hebr.). In pactione foederis commoda illa intelliguntur quae sibi obventura esse a cultu idolorum ope protectionis deorum sperabant (cf. Os. 2, 5. Ier. 44, 17); quantopere vero ad cultum illum exercendum exarserint, ultimo membro declaratur; « ut non erubesceres in peccato

tuo nec fornicationis cuperes abscondere turpitudinem sed tota libertate peccares » (*S. Hier.*). Rei turpitudinem vates etiam *pactione* foederis declarat ; ex idolis enim sibi seligunt quibuscum ineant foedus ii qui foedere sollemni Domino fidem spoponderunt et tot ac tanta iam experti sunt foederis beneficia.

Memoriale quod posuerint post ostium et postem veteres intelligunt idola vel signa idololatrica ; ita *S. Hier.* de laribus et penatibus sermonem infert ; *Chald.* memoriale idolorum tuorum explicat ; sim. *S. Cyr. Thom. Sasb. Pint. Sanct. Mald. Sa, Osor. Mar. Malv. For. Calm. Mayer.* Plerique in ipso loquendi modo fieri allusionem agnoscunt ad Deut. 6, 9 et 11, 20, quibus locis populus iubetur legem praecipuam de dilectione Domini scribere in limine et ostiis domus ; prophetam itaque improbitatem magno pondere efferre quia Domino posthabito signa idololatrica ianuis et postibus affixerint. Recentiorum autem plerique *memoriale* intelligunt ipsa illa verba legis : Deum Israel unum esse, quae iussi sint scribere in limine et ostiis domorum, sed quae iam abstulerint et pone ostium et postem absconderint, ne eorum aspectu de scelere suo admonerentur. At quamvis videam recentiores fere omnes huic explicationi subscribere, tamen priorem praeferendam esse censeo. Nam idololatria iam adeo exhibita et descripta satis ieiune addi videtur illud memoriale ab iis esse remotum ; si sensus est : legem illam ex mentibus et animis abiecerunt, modus loquendi *ponere post ostium* satis mirus et inusitatus est ; si vero sensum esse volunt : illa verba scribi iam non in ostiis sed post ostia, duo adsunt quae scrupulum movent. Primo enim valde dubitandum erit, num iam eo tempore Iudaei adhortationem illam sensu proprio intellexerint, ita ut verba illa revera postibus et ostiis inscriberent. Iudaei quidem posteriores verba illa legis (Deut. 6, 4-9 ; 11, 13-21 aliaque) chartis inscripta et arculis inclusa ad postes appendebant et exeuntes domo vel intrantes domum digitis osculo dato attingere solebant ; sed ex eo more certe non concluditur iam Isaiae tempore tale quid in usu fuisse. Deinde cura illa qua scriberent verba pone ostia, ne iis conspectis arguerentur impietatis, prorsus putida, ridicula, plane improbabilis est ; nam in ea animorum conditione talia omnino non scribere velle censendi sunt. In veterum autem explicatione gradatio cernitur quae rei veritati omnino adaptatur : irrident pios (v. 4), idola colunt in convallibus et montibus i. e. publice et statis temporibus (v. 5-7) ; hisce non contenti domi quoque sedulo idola ob oculos sibi ponunt, ita ut quae Deus de assidua memoria legis mandaverat iam plane in idolorum cultu observent. Hanc explicationem e recentioribus adoptant *Boettcher* (Neue Aehrenlese II p. 146) et *Mayer* in comment. ad h. l.

Ultima versus pars יָד חָזִית varias explicationes experta est. LXX eam omittunt ; *S. Hier.* vertit *manu aperta*, *Syr.* et *Chald.* aliique יד locum interpretantur : dilexisti stratum eorum in loco quem elegisti ; alii : latus decidisti i. e. determinasti, liberum relinquis pro moechis. Recentiores plerique sensu obscoeno verba capiunt ; pro quo tamen ex hebr. nulla afferri potest ex iisdem verbis analogia et quam affert *Del.* ex arabica lingua et persica nescio annon

longius sit petita; ex locis Ez. 16, 26 et 23, 20 potius concludendum erit obscoenum illud aliis exprimi verbis. Si additur : stratum eorum dilexisti ubicumque vidisti, id non videtur esse adeo ieiunum et languidum; ad eum autem sensum demum reducitur : locum eligis vel locum vidisti.

Cum idololatria connectitur studium foedus ineundi cum exteris, ut auxilium quod a Domino propter impietatem iam non accipiunt ab exteris sibi efflagitent. Ita completa demum habetur apostasia a theocratia. Quam sedulo talia foedera exquisierint, vates non sine ironia describit v. 9 « *et ornasti te regi unguento et multiplicasti pigmenta tua; misisti legatos tuos procul et humiliata es usque ad inferos* »; — hebr. *et profecta es ad regem cum oleo* vel regem cum oleo adiisti; sensu generali dicitur *rex*; modo enim cum Assyriis, modo cum Aegyptiis foedera inire tentabant. Ita quae Achaz rogavit : servus tuus sum, salvum me fac (4 Reg. 16, 7) et munera quae argento et auro collecto ex templo et thesauris regis misit, et legationes in Aegyptum missae (Is. 30, 6; 31, 1) satis accusationem hanc illustrant. Apte quoque haec reprehensio priori adiungitur. Foedera enim eiusmodi semper consequebantur defectionem a Deo (cf. Os. 5, 13; 7, 11; 12, 1) et cum gentis alicuius potentia et gloria intime connexa censeretur cum deo nationali, opem exterorum invocare fere idem erat ac ad dei externi auxilium confugere. Insuper quantopere id contrarium fuerit legi theocraticae et normae a Deo propositae, iam ex Pentateucho elucet; vide ad Is. 30, 1. 2 et 31, 1 et Ier. 17, 5 : maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor eius. Cum Palaestina oleo et balsamo abundaret (cf. Deut. 12, 17; 33, 24. Ioel 1, 10. Ez. 16, 14. 1 Par. 27, 28. 2 Par. 32, 28) et unguenta pretiosa etiam in thesauris regiis recenserentur (Is. 39, 2), munera declarantur quibus amicitiam regis sibi conciliare studebant; eodem modo Osee dicit de Ephraim : foedus cum Assyriis iniit et oleum in Aegyptum ferebat (Os. 12, 1). Haec munerum transmissio per legatos facta ita describitur ac si ipsa meretrix Israel se fuco et pigmentis exornasset ut gratiam captaret regis; hunc in modum non solum versio *vulg.* sed textus quoque hebr. in membro priore accipi potest (cf. Ez. 23, 40) : adiisti cum oleo i. e. oleo uncta et ornata, similiter ut Iezabel se ornavit ad captandam gratiam Iehu (4 Reg. 9, 30). Locutio metaphorica propriis verbis in altero membro explicatur : legatos miserunt in regiones longinquas et quam profundissime, usque ad orcum, se inclinaverunt et sese abiecerunt coram nationibus externis, uti sese humiliaverunt coram idolis (cf. 2, 9). Populus igitur a Deo electus et elevatus sese abiecit coram aliis usque ad inferos, non contentus se in terram prosternere, infra

terram quasi descendere affectabat scil. usque ad orcum, « sicut in aliis comparationibus cum aliquid maxime amplificare volumus terminum adhibemus supra quem non est aliud; ut Ionas : bene irascor usque ad mortem » (*Sanct.*). Forte etiam alludit ad 28, 15.

Sunt qui hunc versum de idololatria explicent. Ii regem intelligunt vel Moloch (Am. 5, 21. Ier. 49, 1. Soph. 1, 5) vel Anamelech idolum Sepharvaim (4 Reg. 17, 31) vel Baal idolum Phoenicum (cf. *S. Hier. Cyr. Haimo, Thom. Sanct. Lap. Men. Tir. Gord. Schegg, Mayer, Hitz. Kn.*). Sed in v. 11 sermo est de timore hominum quo erant correpti; contra quem igitur foedere inito sese munivisse iure censentur; idem indicatur v. 13. Unde de foedere cum hominibus ineundo verba erunt explicanda; hanc expositionem non solum verba ipsa adeo plana suadent et res aliunde notae et loci similes (cf. Os. 12, 1. Is. 30, 2; 31, 1. Ex. 16, 37), verum etiam, quia cur ad idola quae apud se habebant legatos procul mitterent nemo adhuc explicavit neque ex s. literis discimus eos solitos fuisse eiusmodi peregrinationes suscipere. Quare de foedere cum extraneis ineundo plerique bene explicant (cf. *Theod. Osor. For. Pint. Sa, Malv. Mar. Vat. Clarius, Rohl. Troch. Sein. Del. Naeg. Or.*), dum alii utramque explicationem proponunt neutram certo praeferentes (cf. *Sasb. Mald. Allioli, Loch*). Singularis est explanatio quam *Hahn* proponit; regem intelligit idolum; sed legationem non ad idolum mitti vult, sed ad acquirenda unguenta et metalla pretiosa, quorum causa immo usque ad viscera terrae descendatur. Nescio an ea explanatio ullum invenire possit laudatorem.

Atque in isto studio foederum externorum non parvum laborem neque mediocrem contentionem posuerunt v. 10 « *in multitudine viae tuae laborasti, non dixisti : quiescam; vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti* »; — difficile erat gratiam regum exterorum conciliare, multae erant molestiae obeundae, legationes frequenter mittendae; at haec omnia perferebant neque unquam dicebant taedio laborum : *desperatum est* (hebr.) i. e. frustra haec omnia et in vanum fiunt. Cur vero tanta cum constantia eiusmodi molestias susceperint, ratio in eo erat, quia quandoque ad breve tempus eiusmodi foederibus revera iuvari sibi videbantur; propterea additur : *vitam manus tuae invenisti* i. e. novum quendam vigorem potentiae tuae acquisivisti (cf. *Mald.*). Id quod in Achaz quoque revera cernebatur. Nam ad tempus ei utilis fuit Theglathphalasar eumque a periculo liberavit. Quare cum populus istis foederibus ad breve tempus recrearetur, *propterea non languisti* hebr. (*For. Mald. Mar.* et recentiores) i. e. non sentiebas istis foederibus demum vera damna tibi inferri verumque languorem; erant igitur aegroti, at aegritudinem minime sentiebant, quod genus morbi valde periculosum est. *S. Hier.* legisse videtur חלה in forma *piel* (cf. Ex. 32,

11. Ps. 45, 13 hebr. Prov. 19, 6. Iob 11, 19 etc.); unde *non rogasti* i. e. « quia rebus omnibus abundasti et affluxisti divitiis, ideo Dominum neglexisti » (*S. Hier.*); sim. LXX et *Syrus*. Sensus non adeo ab hebr. recedit : quia ibi aliquid vigoris invenisti, ideo ad Dominum supplex redire noluisti. — Iterum advertere opus est hanc reprehensionem foederum cum externis initorum et legationum missarum minime quadrare in finem exsilii, verum optime convenire tempori Isaiae. — Quomodo laboraverit Israel et tamen non satiatus fuerit, fusius pertractat Ez. 16, 28. 29 et cap. 23.

Et cur tandem Israel tot ac tantas subiit molestias et Deum suum turpiter neglexit? Propter timorem inanem hominum ; ut se contra homines tuerentur, Deum spreverunt neque secum reputarunt quanto graviora incursuri essent supplicia; v. 11 « *pro quo sollicita timuisti, quia mentita es et mei non es recordata neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens et quasi non videns? et mei oblita es* »! — hebr. *et quem anxie metuisti et timuisti?* i. e. cuius tandem timor tantum in te valuit, ut perfide ageres in me et foedere meo neglecto mei memoriam abiiceres neque id reputares tecum quasi esset res nullius momenti? Homines timuit Israel et ut eorum impetum averteret, lege theocratica neglecta favorem et auxilium expetiit exterorum, cum tamen in Deo suo firmissimam haberet opem collocatam. Dei obliti sunt, quasi ipse neque curaret neque videret angustias populi sui. Hebr. *nonne ego tacens et (quidem) a longissimo tempore et me non times?* Deus tacet quando perversitatem non statim neque severe punit. Quia ergo improbitatem non statim diro supplicio est persecutus, sed patientia et longanimitate scelera eorum pertulit, propterea timorem Dei abiecerunt. Unde patientia Dei abusi sunt ad augenda scelera. Verum hoc silentium Deus removebit; annuntiat poenam et vindictam, et ita haec sententia transitum ad sequentia continet.

Hebr. וּמֵעוֹלָם a saeculo, a longo tempore; aliqui codd. praebent ומעלם quae forma legi et explicari potest partic. hiph. מַעְלִם *occultans*, sive claudens oculos (cf. Lev. 20, 4. 1 Sam. 12, 3). Hanc formam respexisse videntur LXX, quia eius loco praebent παρορῶ, hanc *S. Hier*. vertens *et quasi non videns*. Sed *a saeculo* interpretati sunt *Syrus, Chald*. et certe etiam *Aq*. et *Sym*., quia *S. Hier*. refert iuxta *Symmachum* et *Aquilam* Deum semper tacuisse peccata. Cum illud *et* ו non adeo commode alias ponatur, forte haec lectio quam ex LXX et *S. Hier*. colligimus cum *Lowth* praeferenda erit.

d) Impiis poena, gratia piis annuntiatur 57, 12-21.

Admissa idololatria foedus theocraticum quam maxime violatur. Populus itaque pro sua parte foedus dissolvit Deumque reiecit; pro

quo scelere Deus iam olim populi dispersionem et ablationem e terra minatus erat (Deut. 28, 63; 32, 24. 3 Reg. 9, 7 : auferam Israel de superficie terrae). Unde quamdiu haec poena extrema non erat devoluta et inflicta, Deus dici poterat *tacere* (v. 11) quippe qui defectionem populi nondum ea quae defectioni congrua erat poena ultus erat. Haec poena exsilio demum est irrogata, quo populus pignore foederis scil. possessione terrae spoliatus et a Domino e sede sua eiectus omnibus gentibus testimonio erat foederis turpiter violati. Quare *ante* exsilium irrogatum Deus quasi *tacuit* i. e. scelus non poena omnino congrua punivit; exsilio vero id fecit ex sua parte quod populus pro virili iam praestiterat : foedus violatum esse eiectione populi omnibus declaravit. Talem poenam extremam igitur minatur, cum dicit : v. 12 « *Ego annuntiabo iustitiam tuam et opera tua non proderunt tibi* »! — cum ironia et sarcasmo multiplicem idololatriam et improbitatem a v. 3-11 descriptam vocat *iustitiam tuam*, hanc palam faciet omnibus populi expulsione et urbis civitatisque destructione. Quomodo annuntiaturus sit, iam ex antiquo tempore constat; nam poenis defectionis propositis iam Moyses gentes inducit loquentes : quare sic fecit Dominus terrae huic? quae est haec ira furoris eius immensa? et respondebunt : quia dereliquerunt pactum Domini... et servierunt diis alienis et adoraverunt eos, idcirco iratus est furor Domini contra terram istam (Deut. 9, 24-27. 3 Reg. 9, 8. 9. Ier. 22, 8. 9). Unde quid Deus sit minaturus, cum dicat se esse annuntiaturum scelera populi, ex minis illis olim iam propositis satis declaratur; poenis itaque illis inflictis ignominiam populi omnibus declarabit. *Opera tua* dicuntur cuncta scelera antea recensita; meiosi dicitur ea non profutura, in qua locutione sicut in antecedenti pariter deprehenditur ironia; cur *opera* de idolis explicentur (*For. Rohl. Sein. Kn. Del. Or.*), non adest ratio; idola plerumque opera manuum, digitorum vocantur (cf. Deut. 4, 28. Ps. 115, 4; 135, 15 hebr. Is. 2, 8; 37, 19. Ier. 1, 16 etc.). Hic vero *opera* intelligi sensu alio latiore etiam ex subseq. patet, in quibus conatus illos et labores ridet quibus exterorum sibi amicitiam et foedera conciliare studebant.

Qualis futura sit annuntiatio iustitiae, iam aperte dicitur v. 13 « *cum clamaveris, liberent te congregati tui ! et omnes eos auferet ventus, tollet aura* »! — clamor dicit oppressionem, periculum magnum et dolorem. Haec igitur si ingruunt, *liberent te* ii quos Israel foedere et amicitia sibi coniunxit ; at acerba ironia id dici sequentibus declaratur : omnia illa auxilia celerrime et facillime auferentur ; non alia re opus erit quam vento et flatu aurae lenis et omnia evanescent; cf. Ex. 15, 10 : flavit spiritus tuus et operuit eos mare. Quinam sint *congregati*, ex v. 11 eruendum erit. Ibi vero asseritur

populum legatos misisse et munera ad reges propter timorem hostium; quare *clamor* v. 13 illi timori respondet, et cum in v. 10 dictum sit populum eiusmodi legationibus saepius vigorem virium invenisse, nunc iam ei ironice commendatur et optatur, ut eadem experiatur : *liberent te ;* quare propius adiacet e serie cogitationum congregatos intelligere non de idolis (uti volunt *S. Hier. Cyr. Theod. Sanct. Men. Schegg, Loch, Troch.*), sed de auxiliis copiisque gentium (cum *S. Thom. Pint. Vat. Sa, Malv. Mald. Calm.*). Accedit quod homines et opera humana vento vel turbine auferri frequenter dicuntur, non autem idola (cf. 17, 13; 40, 24; 41, 2. 16; 64, 6. Ps. 1, 4; 17, 43; 82, 14. Iob 13, 25; 21, 18; 27, 21. Os. 13, 3. Ier. 13, 24; 18, 17). Ceterum cum gentium potentia diis saepius ex opinione populari referatur accepta et foedera cum iis inita sint quasi foedera cum idolis pacta, dici poterit cum aliis (*Osor. Sasb. Lap. Tir.*) gentes intelligi simul cum idolis. Si ergo illi qui ad auxilium vocantur plane inutiles erunt ad opem ferendam et quasi vento abrepti disparebunt, clades et ruina populi annuntiatur ineluctabilis; intelligi autem exsilium, etiam a solatio patet quod piis praestatur.

Dum enim impii frustra clamant, « *qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram et possidebit montem sanctum meum* v. 14 *et dicam : viam facite, praebete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei* » ! — terrae possessio, pignus scil. foederis et benevolentiae Dei iis reddetur, denuo possidebunt montem sanctum in quo sedes Dei, templum collocatur et tam praeclara de futuro oracula reponuntur (cf. 2, 2; 4, 5 etc.). Ergo instauratio annuntiatur; quare membrum prius de clamore et oppressione in ipsa ruina theocratiae intelligi debet; et cum praeterea exsilium iam saepe et apud ipsum Isaiam et ante eum praedictum sit (cf. 5, 6. 13; 6, 11; 11, 11; 14, 1; 39, 6. Os. 2, 14 etc.), optime praeclara spes ostenditur iis qui rebus vanis despectis in uno Domino omnem spem ac fiduciam ponunt. Quam spem quo alacrius foveant, Deum ostendit paratissimum ad reditum efficiendum; iubet scil. viam fieri, idque iubet efficaciter et instanter; quare omne impedimentum vel offendiculum de semita removeri et auferri de via iterato mandato iubet. Viam in hebr. fieri iubet aggeratione : *aggerate, aggerate, complanate viam, tollite offendiculum;* cf. 40, 3; 62, 10. Mandatum gentibus hoc loco datur; illae enim commode iuberi possunt auferre offendicula de via populi *mei ;* quo mandato tpsas gentes ad reditum piorum Israelitarum opem esse collaturas indicatur. Pro indole instaurationis notari oportet illam non promitti nisi *confidentibus in Deum* eamque in monte *sancto* praeprimis promitti spiritualem, id quod etiam ex reprehensione scelerum quasi a

contrario colligitur. Non ergo, uti chiliastae et veteres et recentiores contendunt, nationi iudaicae *qua tali* promittitur instauratio, sed solum piis; impiis vero idem eveniet quod v. 13 dictum est : omnes eos auferet ventus. Idem habes apud Amos : in exsilio quasi in cribro concutiuntur, sed ita ut nullum *granum* cadat in terram et pereat (Am. 9, 9) i. e. boni et pii servabuntur, redibunt ; peccatores autem in gladio morientur (l. c. v. 10).

Piorum autem spem ostensa Dei potentia, sanctitate, voluntate salutis praestandae egregie confirmat vates demonstrans quibus normis in rerum difficultate debeat sustineri ac confortari v. 15 « *quia haec dicit excelsus et sublimis habitans aeternitatem et sanctum nomen eius in excelso et in sancto habitans et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritorum* : v. 16 *non enim in sempiternum litigabo neque usque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam* » ; — hebr. *nam ita dicit excelsus et sublimis, habitans in aeternum cuius nomen Sanctus est : in excelso et in sancto habito et cum contrito et humili spiritu ad vivificandum spiritum humilium* etc. Quattuor modis potentia Dei et sanctitas describitur, quo maior verbis eius concilietur auctoritas, cum promissa et possit et pro sanctitate sua omnino velit in opus deducere. Hanc voluntatem pulcherrime exhibet : idem ille Deus, qui in altissimis coelis et in sanctuario habitat i. e. in templo quoque peculiari modo suam praesentiam manifestat, etiam non dedignatur habitare in animo contrito et humili, in animo afflicto; et hac sua inhabitatione novam vitam et vigorem tribuit contritis et afflictis. Plerique *in sancto* accipiunt de sanctuario coelesti ; sed cum hoc iam nominatum sit *in excelso* et cum apta gradatione Dei ad homines descensus ac demissio exprimatur per gratiosam eius et singularem in templo praesentiam, quae toti nationi cedit in honorem et gloriam, dein per inhabitationem qua iustos singulos elevat ad se et exornat, censeo cum *Sanct. Mald.* explicandum esse de templo, qua acceptione etiam tautologia evitatur. Pulcherrime exhibetur Dei maiestas et sublimitas quae tamen hisce in terris in animo contrito, afflicto, humili gratam sibi parare dicit habitationem, Deus ergo ex una parte adeo excelsus, ex altera parte describitur summa benevolentia sese demittens ad pauperem et humilem et eo quidem fine, ut eum *vivificet,* ut ei de vita divina vitam vigoremque inspiret, ut ipse Deus fons vitae in animo afflicto exsistat novae vitae regenerator et auctor. Nonne hisce iam praeformantur verba illa : ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant ? Sed ad hanc divinam inhabitationem et inde consequentem vitam suscipiendam requiritur animus contritus et humilis ; sicut antequam salus Domini nationibus manife-

stetur, opus est ut omnis pompa et fastus humanus concidat (cf. ad 2, 11. 12 etc.), ita ii demum ad eam salutem accipiendam apti sunt qui in se ipsis pompam illam et fastum deiecerunt. Haec est norma per omnia Isaiae oracula obvia. Unde fit ut saepe salus praecise pauperibus, miseris, afflictis promittatur (cf. ad 14, 32; 26, 6; 63, 3. Ez. 9, 4. Soph. 3, 18 hebr.); ad idem refertur, quod toto populo in abiecta conditione constituto salus oritura praedicitur (cf. Mich. 5, 1. 2); etiam hic valet illud: esurientes implevit bonis. Iis ergo qui ob prostratam theocratiam lugent, lugentes in Sion (Is. 63, 3) et qui afflictiones a Deo immissas humili animo subeunt orantes et confitentes cum prophetis: iram Domini portabo, quia peccavi ei (Mich. 7, 9; cf. Is. 63, 15; 64, 6. Ier. 3, 23), Deus benevolentissime se communicat eos erigens, consolans et ut creator nova vita perfundens et sua virtute eos sustentans et confortans. Iure observat *Sanct.*: « magna certe laus est spiritus humilis et compuncti vocari quoddam gratum Dei tabernaculum aut sedes, ubi commoretur tamquam in templo et coelo », et sollemnem loquendi modum ipsa sollemni promissione induci et declarari ait *S. Cyr.*: « beati prophetae, quando magnum quiddam et divinum pollicetur Deus, magna admiratione gloriae eius et clementiae perfunduntur et velut exsultantes prae laetitia ad laudes canendas convertuntur. Tale quiddam nunc fecisse prophetam invenimus; non enim dixit simpliciter: haec dicit Dominus, sed adiungit *excelsus* i. e. qui est supra omnia et natura omnibus creatis sublimior, *sublimis* i. e. in dignitate inconcussa constitutus, ineffabili celsitudine conspicuus » etc.

Cur vero tanta Dei maiestas vitam largiatur afflictis et in eorum animis habitare dignetur, ratio redditur in v. 16 ex eo quia Deus propitius est et benignus, qui ut creavit res etiam earum curam habet nec vult interitum (cf. *Euseb.*). Deus enim non laetatur in perditione vivorum, creavit enim ut essent omnia (Sap. 1, 13. 14); vel ut explicat *S. Hier.*: « cum ergo a me egrediatur spiritus et flatu atque inspiratione mea cuncta vegetentur et vivant, non est iustum perire eos in aeternum qui meo flatu et spiritu sustentantur ». Eadem misericordiae ratio ex Deo creatore petitur in textu hebr.: *nam spiritus a facie mea languescet et animae quas ego feci* i. e. si non misericordia iram temperarem, omnia viventia contabescerent; indicat ad solam Dei misericordiam qua iustam suam iram comprimit neque omnem vindictam capit, esse referendum quod non omnia igne furoris Dei absumantur. Ergo: misericordiae Dei, quia non sumus consumpti. Cur parcat, ratio effertur in emphatico illo *ego feci*; quia creavit, conservat et ad salutem adducere gestit; « me enim non mortis auctorem sed vitae atque salutis effectorem esse profiteor » (*Osor.*).

Uti *S. Hier.*, ita LXX quoque hunc versum interpretati sunt et sim. *Syrus*; verbum עטף autem non habet notionem *egredi*, sed vel *tegere* vel intransitive *obtegi, obrui, deficere, deliquium pati, languescere*, uti iam *For.* advertit. Ita Ps. 61, 3 dum *anxiaretur* cor meum (*vulg.*); 102, 1 cum *anxius* fuerit (*vulg.*). *S. Hier.* ipse verbo hoc loco notionem tribuit priorem activam; ita enim scribit : « spiritus quoque meus qui ex me egredietur, sive qui iuxta hebraicum, Aquilam, Symmachum et Theodotionem *cuncta circumdat* (hoc enim significat περιειληθήσεται et περιβαλεῖ) vegetator est omnium ». *Chald.* explicat : quoniam spiritus mortuorum ego restituam; probabiliter *mortuos* ex Ez. 37, 4. 5 de exsulibus intellexit quos quasi ad vitam revocaret Deus. — Ceterum de עטף vide Ps. 73, 6; 77, 4; 107, 5; 142, 4; 143, 4. Lam. 2, 19. Ion. 2, 8.

Poenam inflixit ad iustam punitionem peccatorum v. 17 « *propter iniquitatem avaritiae eius iratus sum et percussi eum, abscondi a te faciem meam et indignatus sum, et abiit vagus in via cordis sui* »; — in hac calamitate nationali etiam pii Dei cultores suas habent afflictiones multas et varias quas perferant; quare hoc versu etiam explicatio additur ad v. 15; pii autem istis in miseriis a Deo inhabitante vitam et vigorem accipiunt. Radix malorum hoc loco indicatur culpa et malitia *lucri*, avaritiae, cupiditatis illius insatiabilis possidendi et fruendi (cf. 1, 23; 5, 8 seq.), qua omnes ordines infecti erant; principes et iudices diligentes munera iudicia et iura pervertebant (5, 23), sacerdotes in mercede docebant et prophetae in pecunia divinabant (Mich. 3, 11) etc. Propterea varias calamitates immisit *abscondens* [1] (subauditur *faciem meam* scribit *S. Hier.* in comment.) i. e. favorem, lumen vultus sui subtrahens. At illae punitiones eos ad resipiscentiam non revocarunt : *abiit aversus* (rebellis) *in via cordis sui* (hebr.), e contra magis a Deo se avertit et proprii cordis cupiditates et libidines sectatus est; « voluntatis suae effrenatae viam iniit » (*Osor.*).

At Deus populum suum non relinquit; misericordia sua sequitur errantem, aegrotum et vulneribus afflictum (1, 4-6) sanabit : v. 18 « *vias eius vidi et sanavi eum et reduxi eum et reddidi consolationes ipsi et lugentibus eius* »; — hebr. *et sanabo eum et ducam et reddam*; vidit scil. oculo et animo paterno (*Tir. For.*) in quos errores et miserias populus suam perversam sequens viam devenerit; quare miseratione tactus *sanabit* eum i. e. animorum vulnera et malas cupiditates quibus irretitus in viam cordis sui abierat (v. 17). Ad eiusmodi sanationem

1. *S. Hier.* in sua versione solum legit cum hebr. *abscondi et indignatus sum*; quae adduntur in *vulg.* verba *a te faciem meam* glossema sunt; illud *a te* minus commode adiicitur, quia tam repentina enallage personae et allocutio a qua tamen statim iterum receditur minime sententiae concinnitati apta est.

inserviet exsilium, magnum illud iudicium ad populum cribrandum (cf. 1, 26. Os. 2, 14. Mich. 4, 10); sed ex eo reducet populum et restituet consolationes *ipsi et lugentibus eius* i. e. ipsi populo et quidem iis qui de miseria praesenti et de ruina theocratiae lugent et Dei gratiam et reconciliationem exoptant, qui in terra aliena constituti non gentilium moribus et ritibus delectantur sed toto animorum desiderio in instaurationem theocratiae feruntur. Illud *et* explicat quibus eae consolationes omnibus oblatae revera obtingant, scil. lugentibus (cf. 61, 3. Soph. 3, 18 hebr.). En, praeformatur illud : beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (Matth. 5, 5). Et in quanam re consolatio illa sit reponenda, declaratur v. 19 « *creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum* »; — hebr. *creans fructum* (proventum) *labiorum Dominus dixit : pax, pax longe remoto et propinquo et sano eum* i. e. Dominus id creat quod per prophetas suos annuntiat; haec annuntiatio prophetica vocatur fructus vel proventus labiorum, quippe quod assidue in ore et labiis prophetarum resonuerit; huius autem summa et argumentum est *pax,* quae annuntiatur per orbem universum, iis qui longe absunt a sede theocratiae et iis qui prope adsunt, et hac pace restituta *sanatio* perficitur, restitutio in integrum et redintegratio, instauratio. Cum in v. 17 aversione a Deo et via cordis mala vulnera animorum designata sint, haec sanatio per se refertur ad indolem instaurationis spiritualem. Hisce verbis revera continetur, ut *S. Cyr.* advertit, anacephalaeosis quaedam vel recollectio totius orationis ; declaratur enim et proponitur summa quaedam omnium oraculorum ; effertur *pax* eaque abundantia quadam, in qua pace salus messianica consistit et absolvitur ; haecque pax omnibus annuntiatur; proinde « ut sis salus mea usque ad extremum terrae » (49, 6) ; et demum haec salus tamquam sanatio a perversis inclinationibus et cupiditatibus, tamquam restitutio in integrum exhibetur.

Quid *fructu labiorum* proprie designetur, disceptari potest. Prov. 10, 31 dicitur sapientia proventus oris iusti ; « os iusti propullulat sapientiam » et 12, 14 de fructu oris quisque saturabitur bonis et sim. 13, 2 et 18, 20. Unde genimina labiorum vel proventus labiorum effata sunt plena sapientiae. Hunc fructum hoc loco tamquam rem praeclaram designari, iam ex eo patet quia ad Deum *creatorem* peculiari ratione refertur. Verbum autem illud quod labiis hominum prolatum quam maxime ad Deum creatorem refertur et referri debet est verbum propheticum quod simul excellentissimum quoddam germen est. Unde verbum propheticum intelligi potest; qua in explicatione optime labia prophetarum cum *S. Thom.* assumuntur. Ita de verbo prophetico explicant *S. Hier. Haimo, Mald. Mar. Calm. Schegg, Loch, Hitz. Hahn, Naeg.* — Alii intelligunt laudes

et gratiarum actiones, quas Deus in omnium labiis efficiet : « qui spiritu suo piorum mentes ad fundendas preces et gratias illi agendas suscitat » (*Osor.* sim. *Sanct. Malv. Sa, Rohl. Kn. Del. Or.*) vel quod alii praeferunt : « nihil aliud quam pacem sonabunt passim ora hominum » (*For.* sim. *Pint. Troch. Sein.*) vel preces et supplicationes (*Sasb. Tir.*). Uti verba efferuntur in *vulg. creavi* etc. illa explicatio de laudibus et gratiarum actione satis commoda est et potest commendari eo quod salute hac per orbem diffusa ubique cantica fore laudum iam saepius a propheta est enuntiatum (cf. 42, 10 ; 49, 13 ; 51, 11 ; 52, 9 ; 54, 1 ; 55, 12 et in priore parte v. g. 12, 1 ; 24, 14 ; 25, 9 ; 26, 1 ; 27, 2 etc.), et locutione admodum simili Hebr. 13, 15 : offeramus hostiam laudis Deo, hoc est fructum labiorum (cf. ad Os. 14, 3). Sed in textu hebr. legitur *creans* et ita quoque *Aq. Sym. Theod.* κτίζων (cf. *Field,* Hexapl. ad h. l.) ; unde sententia hunc in modum erit iungenda : *creans fructum labiorum dixit Iahve : pax* etc. ; illud *dixit Iahve* collocatur in media oratione, uti v. 21 et 48, 22. Verba autem *pax, pax* etc. ad sermonem Domini referri oportet quia sequitur : *et* sanavi eum. Sed in hac sententiae conformatione *fructum labiorum* de verbo prophetico accipere oportebit ; nam non videtur adesse sensus commodus, si explicaveris : dum Deus procreat laudes in ore hominum, dicit et annuntiat : pax etc. ; bene vero locutio Dei ita concipitur, ut ad homines perferatur per labia prophetarum.

Sed dum confidentibus in Deum (v. 13) et lugentibus (v. 18) pax, pax i. e. abundantia pacis annuntiatur et sanatio, impii iactabuntur tamquam mare saeva tempestate agitatum et misero interitu cruciabuntur ; quare denuo vates inculcat, instaurationem non nationi qua tali promiscue promitti, verum piis, et indolem eius esse spiritualem ; v. 20 « *impii autem quasi mare fervens quod quiescere non potest et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum* » ; — hebr. *ut mare exagitatum... et excutiunt aquae eius coenum et lutum.* Ipsi animis inquieti exagitantur et torquentur, hancque perturbationem etiam in alia effundunt, sicut aquae inundantes ubique coenum et lutum relinquunt et campos agrosque steriles reddunt et pessumdant. Ita bene exhibetur vastatio impietatis ; et se et quantum potest alios quoque impius reddit infelices. Undae perpetuo agitatae et fluctus vi tempestatis exagitati animae conditionem exhibent malis cupiditatibus vexatae et perpetuo impulsae ; hae autem cupiditates et libidines propellunt etiam *coenum et lutum,* opera edunt foedissima (cf. *Mar. Lap. Men. Tir.*). Quare etiam *conculcationem in vulg.* plerumque accipiunt *res viles* et conculcandas (cf. *For. Osor. Sanct. Lap. Men. Tir. Schegg, Loch*) et ita quoque explicare videtur *S. Hier.* dum scribit : « fluctus revolvuntur ad litora atque iterum resorbentur et in se fracti lutum efficiunt quod pedibus conculcatur » ; sim. καταπάτημα *Aq.* et *Sym.* habent. Bene *For.* : « vidisti unquam concita-

tum magna vi ventorum mare? tales sunt, inquit, improborum mentes; quiescere non valent affectibus suis et afflatu malorum spirituum agitatae, quin etiam, ut hebraea sonant, nunquam non stercus et lutum eiiciunt » i. e. « quaecumque in aliorum conspectum producit impius iactatus turbationum aestu eiusmodi sunt, ut non possint esse non molesta ac vilia, quae optime fluctuum redundantium limus ac lutum vocari possunt » (*Sanct.*); cf. Matth. 15, 19; ep. Iud. v. 13.

Demum concluditur haec oratio et tota haec sectio illo epiphonemate v. 21 « *non est pax impiis, dicit Dominus Deus* »; — hebr. *dicit Deus meus;* ita propheta sigillum approbationis divinae sermoni apponit optime sciens, a quo argumentum acceperit et cuius verba ipse interpres fidelis exposuerit; quare cum animi affectu ea ut dicta Dei *sui* proponit. Graviter vim effati expendit *Sanct.* : « gravissimum hoc epiphonema satis ostendit quid spectare possit sceleratus et impius, nihil scil. eorum quae in *pacis* nomine contineri diximus. Dum enim in vivis agit, nihil est quod speret praeter fluctus, lutum et conculcationem, quod satis re ipsa experiuntur quotidie popularis aurae et saecularium rerum amatores et aucupes ». Ceterum ea est iniquitatis indoles, ut magno semper aestu et fervore in propagationem mali feratur et viribus omnibus improba consilia promovere et exsequi conetur; quare ea quoque ratione optime comparatur mari concusso et spumanti. Ceterum cf. 48, 22.

In huius orationis fine paucis admonere iuvat, ut ea notentur quibus eam orationem nullo modo in fine exsilii esse compositam ostendatur. Uti vidimus, insistunt aliqui in eo quod 56, 2. 6 solius sabbati mentio fit. Cur id iure fiat, iam diximus. Sed nunc insuper adverte, quanta cum inadvertentia tale illi urgeant argumentum; statim enim in v. 7 sermo est de domo orationis ad quam illos adducturus sit; ita autem de domo orationis sermo fit uti de monte sancto; ergo domus orationis tamquam exsistens supponitur. In fine autem exsilii prius sermo erat ingerendus de *aedificanda* domo; in fine exsilii Deus non poterat induci loquens : domus mea (quae scil. nulla aderat!) domus orationis vocabitur (v. 7). Neque intelligitur, quomodo versus exsilii finem gentes invitentur, ut veniant et populum israeliticum et regnum devorent. Cum respublica iam dudum esset ruinis prostrata et populus abductus et dispersus, quid adhuc erat devorandum? Dein descriptio illa ducum et pastorum qui pessimo suo exemplo gregem pessumdant, iterum supponit gregem sub eiusmodi pastoribus positum, ab iis directum et administratum. Sed quaeri licet, num in exsilio Iudaei ita sub propriis ducibus fuerint constituti et in tota rerum administratione ab iis gubernati, ut eo prorsus modo exhibeantur tamquam grex iis subiectus, quo in ter-

ra palaestinensi? Aliter loquitur Ezechiel qui revera tempore exsilii vaticinatus est; vide Ez. 34, 2; Ezechiel rem actam et praeteritam describit; rem praesentem exhibet et delineat Isaias. Quomodo autem id quod 57, 1. 2 dicitur, nullo modo pertineat ad exsilii finem i. e. ad periodum qua non calamitas instet verum salus illa tot votis expetita, ex ipsis verbis elucet. Iustus enim a benigno Deo morte aufertur, ut maiorem evadat miseriam; ergo talis instare censetur; sed num hoc dici potest de fine exsilii? Idololatria demum in convallibus, in excelsis, in montibus perpetrata eo modo describitur, quo revera in Palaestina exercebatur; ipsae convalles, montes excelsi non Babyloniam, sed Palaestinam dicunt. Quibus adde, quod v. 8 dicitur et quod ad idololatriam in ipso templo exercitam alludere videtur. Quodsi hoc non adeo certum videtur, certissimum habes indicium temporis in legationibus ad reges missis foederis ineundi et auxilii petendi causa, habes in eo quod Deus idololatriam silentio praeteriisse se dicit i. e. nondum eo quo oportuit modo punivisse, habes in eo quod pro tempore futuro talis poena condigna annuntiatur. Talis poena condigna erat exsilium; sed in fine exsilii quid sibi vellet denuntiatio illa in v. 12. 13 exposita? Si ipso *exsilio* idololatria nondum est punita (uti tamen minae iam in Deuteronomio et 3 Reg. 9, 5 etc. propositae indicant) qua tandem castigatione in fine exsilii punietur? Quae punitio has minas est subsecuta? Hisce addi potest probabilissime v. 15 praeter oelum etiam templum commemorari ut locum habitationis Dei.

Demum ad totam hanc sectionem adnotare iuvat et paucis in memoriam revocare quam arcta inter se unitate et rerum explicatione cohaereat. Tres in ea partes distinguere poteris, in quarum unaquaque adstat servus Domini labores et dolores sustinens et hisce expiationem et gloriam efficiens ac communicans : sunt eae partes cap. 49; dein maiore iam rerum copia singulis pertractatis 50, 1-52, 12; demum etiam copiosiore apparatu 52, 13-57, 21. In singulis partibus tria efferuntur : dolores Messiae, gloria inde exoritura, ruina pro contumacibus. In cap. 49 Messiam cernimus tamquam doctorem contemptum et neglectum (49, 4. 7); in altera parte ut percussum et sputis illusum (50, 6), in tertia ut morte interemptum, ut sacrificium piaculare (53, 2-10). Sed ex eius doloribus exoritur *salus* et *gloria;* gloria pro ipso, salus et gloria pro Israel, Sion, universo orbe; ita 49, 5-24; 51, 1-52, 12; breviter 53, 10-12 sed explicatius 54, 1-56, 8. Ita ergo Messias describitur futurus in resurrectionem. Verum in unaquaque parte etiam *in ruinam* eum fore contumacibus graviter inculcatur : 49, 25. 26; 50, 9. 11 et 51, 23, 54, 17 et 9-57 21. Quam meritic autem tota haec sectio in-

scribatur : expiata est iniquitas, in quaestionem vocari nequit, cum apertum sit Messiae expiationem esse quasi centrum et fontem ex quo bona cuncta salutis et gloriae hic enumerata et descripta promanent et iugiter in orbem universum diffundantur et ad coelum usque et aeternitatem pertingant. Uti in priore sectione, ita hic quoque observavimus vatem ita de rebus futuris loqui, ut tamen quae ad utilitatem aequalium conducant minime negligat, sed vaticinia iis reddat proficua et sui temporis scelera perstringat et gravi emendet correptione.

IV. — TERTIA SERIES ORATIONUM CAP. 58-66.

Suscepit duplicia de manu Domini.

1. *Oratio prima* 58, 1-14.

ARG. — Iubetur propheta populo graviter denuntiare scelera et simulatae ac fucatae pietati larvam detrahere ; frustra eos ieiunia obire, quia simul cum ieiunio malitiae et iniustitiae operam dent, tale ieiunium a Deo postulari quo impietatem ac iniustitiam a se removeant et misericordiam oppressis exhibeant (58, 1-7). Quodsi praestiterint, tunc abundantia salutis ac benedictionis divinae fruentur, tunc ruinae instaurabuntur et stabili pace et quiete potientur ; si fideliter sabbatum custodierint, bonis foederis copiose donabuntur (58, 8-14).

Ita oratio praecipue apta est qua ostendatur prophetam a populo internam quandam mentium animorumque mutationem exigere eamque proponere tamquam conditionem necessariam ad bona promissa consequenda. Ut est populus pronus ad ritus externos nimium aestimandos, vates illos nihil valere inculcat sine vera pietate et observatione iustitiae. In hac sola omnem reponi spem bona promissa adipiscendi, cum emphasi iterum iterumque repetit (cf. v. 8. 9. 10. 13), unde emphaticum illud *tunc* v. 8. 9. 14. Oppugnat igitur falsam quandam fiduciam qua sibi ut filiis Abraham et tot promissionum heredibus securitatem pollicebantur ; talem autem spiritum pharisaicum (« filii Abraham sumus ») iam Isaiae tempore multorum animos occupasse, tum ex aliis, tum praecipue ex aequali eius Michaea discimus ; principes enim et sacerdotes et pseudoprophetae licet sceleribus impliciti essent quam maxime, tamen « super Dominum requiescebant dicentes : numquid non Dominus in medio nostrum ? non venient super nos mala » (Mich. 3, 11) ; similia habes Ier. 7, 4. Ez. 11, 15 ; 33, 24.

Hanc autem tertiam seriem orationum merito inscribi : suscepit (Ierusalem) duplicia de manu Domini, inde facile colliges, quia vates ipse iterum iterumque effert quam praeclara dona acceptura sit Ierusalem

(cf. 58, 11. 14; 60, 2. 15 seq. 61, 7; 63, 9; 64, 4; 65, 9 seq. 18 etc.), immo duplicia illi donatum iri asserit (61, 7). Verum quidem est iam in praecedente sectione (a cap. 54 et deinceps praesertim) bona haec et gloriam Ierusalem esse celebrata; neque id mirum videri potest, nam in hisce merces et gloria consistit servi Domini, in hisce operis eius et expiationis praestitae magnificentia cernitur; nihilominus in hac serie dona illa et munera etiam magis directe et immediate magisque explicite ad Ierusalem, ad novam theocratiam referuntur. Praeterea ea est huius sectionis conformatio, ut quae sint dona illa clarius proponatur et qua ratione animos oporteat ad illa suscipienda praeparare; esse scil. dona prorsus gratuito a Deo concessa, spiritualia, interna animorum ad veram pietatem mutatione facta acquirenda et possidenda.

a) **Quale ieiunium Deo placeat 58, 1-7.**

Cum Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam suam, primus ad gratiam Dei accipiendam gressus is est quo ad humilitatem adducimur. Ad eam autem sui ipsius cognitione unusquisque efficaciter pervenit. Unde haec cognitio quasi fundamenti loco primo ponitur. Atque sicut praedicatio regni messianici a praedicatione poenitentiae initium cepit, ita praeparatio ad salutem messianicam iuremerito ab eadem adhortatione orditur. Quare propheta iubetur vocem extollere et peccatorum somno sepultis clamore scelera denuntiare; pastores populi sunt canes muti non valentes latrare, dormientes (56, 10); unde iam opus erit magna quadam contentione; v. 1 « *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum* »! — hebr. *clama in gutture, ne parcas;* « *vocare* vel *loqui in gutture* non est utcumque vocare et loqui, sed eniti quantum quis potest, spiritu voceque contendere, sicut advocare solemus eos qui longe sunt et ad quos figurata et articulata vox pervenire non potest » (*Sanct.*). Quam fortiter et quanta cum constantia verus propheta debeat munere suo fungi et id quod populo ingratum sit ei denuntiare, in quinque illis sententiae partibus declaratur. Voce alta et quasi tuba opus est, quia quae ingrata sunt, audire nolunt et a loquente quasi diffugiunt; ergo ita clamandum erit, ut, velint nolint, audire debeant. Strepitu et clamore simul quam enormis sit iniquitas designatur. Pseudoprophetae populo vitiisque eius blandiuntur; « verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ut annuntiem Iacob scelus suum et Israel peccatum suum » (Mich. 3, 8). Monet *For.* : « facilius per alios admoniti in peccatorum nostrorum cognitionem devenimus quam

si nullus commonefaciat; alienis itaque oculis opus habemus, immo et clamoribus quasi dormientes. Praecipitur autem, ut clamet neve a clamore desistat propheta aut vocem contrahat, contineat seu cohibeat, aut ne voci parcat; nonnullis enim frequentes clamores necessarii sunt et perpetua peccatorum commemoratio; illis enim qui se peccatis carere existimant, ut ex hoc loco apparet et ex versu sequenti comprobatur ».

Quare tanta contentione opus sit, ex mira illa declaratur praesumptione, qua se iustos coram Deo iactent et bona sibi debita negari audacter affirment, v. 2 « *me etenim de die in diem quaerunt et scire vias meas volunt; quasi gens quae iustitiam fecerit et iudicium Dei sui non dereliquerit, rogant me iudicia iustitiae; appropinquare Deo volunt* »! — i. e. « a me enim quotidie suboffensi quaerunt et quid in me animi et consilii sit, scire desiderant, cum parum constanter obligatam fidem liberare videar » (*Sanct.*). Nam 1, 19 his qui sancte vitam instituissent, omnia secunda atque tranquilla pollicitus erat Dominus; item 3, 10 etc; cui promissioni si quando deesset obligata fides, argui se infidelitatis Deus ipse voluit 1, 18. Quare cum premi se viderent variis incommodis, Deum quasi in ius vocabant et denegatae iustitiae eum fere insimulabant vel saltem de dilatis promissis acerbe conquerebantur (cf. *Sanct.*). Tales igitur hoc loco nobis exhibentur, quales vates etiam 1, 11 seq. descripserat, qui ritus caerimoniasque externe ac sedulo observant et ita Deo satisfactum esse putant; quare secum mirantur et conqueruntur, quod Deus populum suum varie affligi permittat; quaerunt, quaenam sint Dei consilia et qua ratione demum quae promiserit opere velit complere, per quas vias populum suum ducat. Porro ac si omnem normam iuris et iustitiae divinitus sibi propositam exacte observarent, a Deo postulant ut tandem *iudicia iustitiae* exerceat, talia scil. iudicia quibus et sibi et hostibus debita fiant, ergo ut causam suam ab hostibus vindicet, hostes oppressores deiiciat, ne scil. impius hostis opprimat iustum populum. Tacita quaedam accusatio et expostulatio in eo cernitur quod adeo fidenter, ne dicam arroganter *iudicia iustitiae* postulent, quasi Deus tardet, quasi non aequa lance sortes distribuat; « abesse a me putant iudicia aequa » (*Sanct.*). Unde exoptant, *ut Deus appropinquet* (hebr.) scil. ad faciendum iudicium cum hostibus, ad bona suis tribuenda; diem ergo Domini desiderant et minas in hostes tamdiu differri aegre ferunt (cf. Am. 5, 18); desiderant, ut Deus veniat et salvet se (35, 4). Appropinquare *Deo* explicant interpretes latini frequenter disceptare, expostulare cum Deo quasi de iustitia denegata; iudicio cum eo contendere volunt cur ipsos hostibus praedam obiici permittat (cf. *Osor. Sanct. Mald. For. Men. Tir.*); cf. 41, 21.

Quare se existiment gentem quae iustitiam fecerit et normam iuris

a Deo praefixam non dereliquerit, uno exemplo demonstrat propheta simul exhibens qua in re potissimum deficiant v. 3 « *quare ieiunavimus et non aspexisti ? humiliavimus animas nostras et nescisti ? ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra et omnes debitores vestros repetitis* » ! — suis ipsorum verbis querelam refert ; ita gravius evadet responsum ; animam humiliare vel affligere idem est ac se ieiunio castigare ; Deus dicitur *nescire* i. e. non rationem habere eorum ieiunii, non afferre opem vel periculum avertere ; ergo *ignorat* eorum ieiunium, agit ac si non adesset. In lege mosaica unus solum praescribitur dies ieiunii scil. dies expiationis mense septimo die decima mensis (Lev. 16, 29 ; 23, 27). Sed ieiunia celebrabantur ad Dei iram placandam tempore calamitatis grandis (cf. Ioel 1, 14) vel tempore luctus (Iud. 20, 26) vel ad impetrandum favorem divinum, ad prosperum rei successum habendum, ad pericula avertenda (cf. 1 Reg. 7, 6. 2 Reg. 1, 12 ; 12, 16. 3 Reg. 21, 12. Ier. 36, 9. Ps. 108, 24) ; immo Iosaphat rex « timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum et praedicavit ieiunium Iuda » (2 Par. 20, 3). Cum igitur ieiunare vel animam affligere i. e. desideria carnis et cupiditates reprimere et castigare, carnem macerare, etiam extra diem expiationis in usu esset, perperam aliqui ex ieiunio tempus arguere volunt exsilii (cf. *Kn. Sein.*). Utique ex Zach. 7, 2 et 8, 19 discimus tempore exsilii dies nefastos quosdam ieiunio esse celebratos ; at inde non sequitur omne ieiunium esse ad exsilii tempus referendum. Uti Iosaphat rex, ita Ezechias quoque ieiunium publicum indicere potuit. Dein uti ex 1, 11 seq. discimus, erant proni ad caerimonias obeundas et ad ritus externos proclives. Eiusmodi autem homines quam maxime periculis ingruentibus ad omnia genera confugiunt quibus iram numinis se placare posse arbitrantur neque a superstitione adeo sunt alieni ; quare mirum esset, si inter alia non etiam ieiunium adhibuissent. Unde, cum habeamus 1, 11, minime opus est ad ieiunium explicandum usque ad exsilium descendere. Cur autem Deus eorum ieiunium non admiserit, ratio repetitur ex eo quia die ieiunii *inveniunt* i. e. assequuntur, sibi comparant vel possident *desiderium* vel *beneplacitum* suum malum ; ieiunant, at retinent mentem suam malam et perversam ; mala sua desideria non reprimunt, sed in die quoque ieiunii non voluntatem Dei sed suam exsequuntur vel retinent. Huius autem beneplaciti quo potiuntur exemplum subdit : *et omnes labores vestros urgetis* (hebr.) i. e. operarios omnes et subditos (LXX ὑποχειρίους) ad labores duros propellitis et duris exactionibus vexatis et affligitis. Avaritia ergo agitantur ; alios duris laboribus onerant et hos magna severitate exigunt, nullo miserationis sensu tanguntur. Non multum distat, quod *S. Hier.* vertit *Symmachum* et *Theodotio-*

nem secutus : *omnes debitores vestros repetitis,* dure debita exigunt etiam a pauperibus ; « ex quo ostendit non esse absque periculo repetere pauperem qui solvendo non sit ; qui enim miseretur pauperis, Deo fenerat (Prov. 19), et e contrario qui repetit non habentem, Deo facit violentiam » (*S. Hier.*). Advertit *S. Cyr.* : « qui ergo pure et sancte ieiunare volunt, eos oportet suis renuntiare voluntatibus et quod Deo videtur amplecti et pro eius voluntate cervicem frenare : sed haec Israelitae neutiquam praestiterunt, sed voluntates suas secuti sunt ».

Illud *invenitis voluntatem* חֵפֶץ recentiores explicant : agitis negotium vestrum i. e. etiam in die ieiunii quotidiana negotia non intermittitis ; diem igitur tamquam diem profanum quo laboribus incumbitur habent. Sed nescio, unde ii habeant, si quis sua sponte ieiunium suscipiat, eum debere etiam negotium suum quotidianum eo die relinquere. Ubinam praecipitur, ut die ieiunii ab omni opere servili cessetur, sicut die sabbati ? Cum hoc nullibi praescribatur neque ex rei natura sequatur, haec explicatio est repudianda, utpote qua sensus falsus eruitur, quasi ieiunare et operibus quotidianis incumbere non liceret. Insuper vox חֵפֶץ apud Isaiam nunquam occurrit ita ut notio *negotii* ei sit tribuenda ; habes vocem 44, 28 : *voluntatem* meam omnem complebis ; 48, 14 : faciet voluntatem suam in Babylone ; 53, 10 : voluntas Domini in manu eius dirigetur ; 54, 12 : ponam omnes terminos tuos in lapides *desiderabiles* ; quibus omnibus in locis notio *beneplaciti* reperitur ; ergo etiam hoc loco retineri debet, praesertim cum sensus exsurgat plane aptus. LXX vertunt h. l. τὰ θελήματα ; quodsi vocem in Ecclesiaste graecus interpres transtulit πρᾶγμα (cf. Eccl. 3, 1. 17 ; 5, 7 ; 8, 6), non sequitur eandem significationem hic esse adoptandam. Bene rem expressit *Syrus* : ecce in die ieiunii vestri vos facitis voluntates vestras (quae vobis placent vel libent צביניכון). Ita veteres quoque interpretes explicant ; v. g. *Mar.* hebr. invenitis voluntatem i. e. facitis quod vultis ; *Lap.* interim indulgetis concupiscentiae, libidini etc. et sim. *For. Sanct. Malv. Men. Tir. Schegg, Loch, Troch. ; Mald.* explicat *invenire* non amittere, non relinquere. De vana sui complacentia חֵפֶץ *Mayer* exponit, qua ieiunium suscipiant non se humiliantes coram Deo sed superbia et vana iactatione et gloriatione merita sua efferentes. — Ad ultimum membrum notat *S. Hier. :* « quod sequitur iuxta LXX : et omnes subiectos vobis compungitis, sive affligitis, melius *Theodotio* et *Symmachus* transtulerunt quos nos in hoc loco secuti summus : et omnes debitores vestros repetitis » ; hebr. legitur vox עָצֵב ; vertunt alii : operarios vestros compellitis (*Ges.* in comment. *Sein. Del.* [1]) ; alii : labores, opera vestra strenue urgetis (*Hitz. Cheyne, Naeg.*) utique per operarios et servos ; vox ipsa reliquis in locis laborem gravem et molestum significat vel dolorem (cf. Prov. 10, 22 ; 15, 1. Gen. 3, 16).

1. Qui adstruunt ἁπ. λεγ. עָצֵב ; ita quoque *Mühlau* et *Volck.* Etiam hic, uti 57, 6 in בְּחַלְּקֵי invenitur *dagesch dirimens*; de quo vide *Olshausen*, Lehrb. § 83 p. 151.

Quam simul cum ieiunio retineant *voluntatem,* ulterius declaratur v. 4 « *ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie; nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.*» ! — dum ieiunatis, minime desistitis a litibus et iurgiis; immo usque adeo ira et impatientia abripiuntur, ut *pugno improbitatis* (hebr.) percutiant alios. Tantum igitur abest, ut id exhibeant quod ieiunium profiteri debet animi submissionem, humilitatem, dolorem de peccatis, ut inedia et esuries bilem iis commoveat magisque reddantur iracundi et contentiosi (cf. *For. Osor.*) ; cf. 3, 15 : facies pauperum commolitis. Unde pergit dicere : *uti nunc, non ieiunatis* ita, *ut vocem vestram in excelso audiri faciatis* hebr. i. e. praesens vestrum ieiunium non ita est comparatum, ut preces vestrae et postulationes a Deo benigne possint suscipi. In eundem sensum etiam verba *vulg.* accipienda sunt : si vultis ut vestrae preces in coelo audiantur, nolite eo modo ieiunare quo hucusque ieiunastis (ita v. g. *S. Thom. Osor. Pint. Sanct. Schegg, Loch*). Qui vero dicit : nunc non ieiunatis ita, ut preces vestrae ad Deum perveniant, eo ipso asserit esse ieiunium tale quod Deo sit acceptum, dummodo recto animo peragatur, et ita dicens etiam admonet ieiunantes, ut ieiunium peragant modo Deo accepto. Sensum eundem etiam ex versione graeca refert *Procop.:* « quod *ut hodie audiatur in clamore vox vestra* sequitur, tamquam de vero ieiunio, cuius clamor ad Deum usque penetret intelligendum est » et *S. Cyr.* : « veri ieiunii virtus eximiam habet vocem apud dominatorem omnium Deum; libenter enim suscipit preces eorum qui ipsum colunt; ... ieiunium dicimus sanctum quod ex pura fit conscientia, quod ille faciat qui mores improbos ex animo eiiciat » etc.

Cum *S. Hier.* verterit : *nolite ieiunare* et *clamor vester,* non *vox vestra* (hebr.), ex verbis latinis facile sequitur illa explanatio quam ipse *S. Hier.* amplexus est : « antequam doceat quid sequantur, instruit quid debeant declinare : *ut audiatur in excelso clamor vester,* ne ad orationem deferatis clamorem orantes in synagogis et angulis platearum, ut ab hominibus videamini et elevetis vocem in excelsum et vestra ieiunia et opera praedicetis » ; alii frequenter verba intelligunt de clamore vel iurgiorum vel pauperum oppressorum (cf. *For. Sasb. Lap. Men. Tir. Calm.*). Sed in textu hebr. legitur : *non* ieiunatis, לֹא ; etiam *Aq. Sym. Theod.* vertunt οὐ νηστεύετε. Unde in hebr. clare effertur modus quo ieiunium institui velit Deus. Et sane cum in ipsa lege dies ieiunii sit praescriptus, cum, ut *S. Hier.* dicit, per ieiunium Daniel futura cognoverit et Ninivitae iram Dei placaverint et Elias ac Moyses quadraginta dierum esurie Dei familiaritate saturati sint et ipse Dominus totidem diebus in solitudine ieiunaverit, plane absurdum esset, si quis verba haec vel quae sequuntur ita a vate dicta assereret, ut ieiunium reprobaret. Id potius in verbis exprimitur quod

S. Hier. indicat scribens : « ne videatur reprobare ieiunium quod ipse praeceperat, docet quomodo ieiunandum sit ».

Quam longe absint ab ea ieiunii ratione quae Domino placeat, ulterius declaratur : v. 5 « *numquid tale est ieiunium quod elegi? per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium et diem acceptabilem Domino* »? — hebr. *num sicut istud* (quod vos facitis v. 3. 4) *est ieiunium quod eligo, dies quo homo affligat animam suam?* dies ieiunii vocatur in lege dies ad animam affligendam (Lev. 16, 31; 23, 27. 32. Num. 29, 7 etc.), quo igitur *anima* נֶפֶשׁ i. e. cupiditas, libido, caro est affligenda, quo malae animi commotiones quam maxime sunt reprimendae. Quare Deus non sine indignatione ab iis quaerit, num eorum ieiunium possit dici abnegatio passionum et afflictio carnis, cum e contra in die ieiunii malis cupiditatibus indulgeant? Dein iterum indicatur quale ieiunium placeat Deo; illud scil. quod revera nominari potest eo nomine quo in s. literis designatur, scil. afflictio vel humiliatio animae. Sensus igitur interrogationis est : quod vos agitis, non est tale ieiunium quale ego volo, non est dies afflictionis vel humiliationis animae. Deinde aliis interrogationibus merum opus externum non esse tale ieiunium quale Deus postulet ostenditur : *num incurvare sicut iuncum caput suum et saccum et cinerem sternere* (scil. ut quis iaceat in cilicio et cinere), *num hoc vocas ieiunium et diem acceptum Domino*? i. e. ad verum ieiunium et ad Domini beneplacitum habendum minime sufficit incedere curvum, externam prae se ferre speciem afflictionis et humilitatis et externa signa poenitentiae exhibere. « Non enim quaerit Deus afflictionem solam et humiliationem animae per iniuriam corporis, ut instar circuli torqueat corpus et colla submittat et tristis incedat, nec ut sacco quis vestiatur et in cinere dormiat, sed ut cum istis haec faciat quae sequuntur » (*S. Hier*).

Quae igitur ad opus externum iungi oporteat subduntur v. 6 « *nonne hoc est magis ieiunium quod elegi : dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus dirumpe* »! — quod igitur Deo acceptum reputatur est *aperire* vel solvere *nexus* vel constrictiones *improbitatis* (hebr.), nexus illos quibus improbus alium capit, vexat vel varias machinationes quas impius excogitavit et molitus est; dein *solvere fasciculos* vel nodos *iugi* (hebr.), ergo oppressionem aliorum et duram auferre servitutem vel tyrannidem; dein eos qui oppressi sunt et confracti liberos dimittere et demum *omne iugum* rumpere (hebr.). Primo igitur postulatur, ut a

malo declinent, ad quod quattuor proponuntur, quae tyrannidem et iniustitiam redolent. Ubique enim Deus pauperum et oppressorum curam gerit teneram. Inter iniustitias etiam refertur quod servos et ancillas noluerint suo tempore ex legis praescripto (Ex. 21, 2 seq. Lev. 25, 39. Deut. 15, 12) manumittere, de qua re lege Ier. 34, 10-20; quare *nodos iugi, omne iugum,* ad similem rem referre inter alia poteris. Membrum secundum LXX vertunt : διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, dissolve obligationes violentarum cautionum; « significat autem chartarum fasciculos in quibus feneratorum calumniae continentur et opprimuntur pauperes aere alieno » (*S. Hier.*). Lege praecipitur : non fenerabis fratri tuo ad usuram (Deut. 23, 19); unde in ea acceptione novum legis violatae genus indicatur. *Syrus* explicat de vinculis fraudis quae rumpi debeant; *Chald.* de nodis scripturarum iudicii depravati, ergo de iniustis sententiis iudicum.

Secundo additur quaenam bona opera potissimum exerceant; sunt opera misericordiae quibus avaritiam et iniustitiam expient v. 7 « *frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris* »! — hebr. conformiter ad sententiam antecedentem : *nonne frangere panem esurienti* etc.; forma interrogationis oratorie efficacior est, cum ad ipsorum ad quos fit sermo iudicium provocetur. « Non plures panes, ne de paupertate causeris, sed unum panem; nec ipsum totum, sed partem panis, quam si non ieiunares comesurus eras, ut ieiunium tuum non sit lucrum marsupii, sed saturitas animae; pulchreque addidit *tuum,* ne de rapina facias eleemosynam » (*S. Hier.*). Post cibum, domicilium, vestem quae indigentibus tribuenda sunt, generali et amplissima cohortatione concluditur : *a carne tua te non abscondes,* opem tuam non denegabis *carni tuae* i. e. nemini qui eiusdem tecum est carnis et sanguinis; « omnis homo caro nostra est » (*S. Hier.*). Dicitur *caro* de cognatis et propinquis (Gen. 29, 14; 37, 27. Lev. 18, 17; 20, 19), sed etiam de contribuli vel de eo qui ad eandem nationem pertinet; ita universae tribus Israel dicunt ad David : ecce nos, os tuum et caro tua sumus (2 Reg. 5, 1). Uti hic opera misericordiae commendantur, quibus salus a Domino acquiratur (cf. v. 8. 10), ita aliquando in ultimo iudicio ex horum operum norma Dominus vel praemia distribuet misericordibus vel tormentis addicet avaros et immites (cf. Matth. 25, 34).

Iam *Sanct.* ad hunc locum monet de loco prorsus simili Zach. 7, 4-13; quam similitudinem *Naeg.* latius prosequitur. Etiam Zacharias ieiunium tale reprehendit quod non sit in gloriam et honorem Dei : « numquid ieiunium ieiunastis

mihi » ? Deinde monet iam prophetas priores explicite docuisse, quale ieiunium Deo sit acceptum, idque ab iis monitum esse, « cum adhuc Ierusalem habitaretur et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu eius et ad austrum et in campestribus habitaretur ». Verba autem quibus priores prophetae illud ieiunium Deo placitum docuerint haec affert : « iudicium verum iudicate et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo, et viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo ». Igitur similitudo in eo est, quod uterque propheta ieiunium propria voluntate susceptum propterea vituperat quia non est tale quale Deus voluit ; quale autem Deus velit, etiam uterque exponit ita, ut observatio iustitiae et opera misericordiae commendentur. Quare etsi Zacharias non verbotenus verba Isaiae allegat, tamen hunc locum eum ob oculos habuisse certum esse omnino videtur. Nam *nullus* alius locus exstat apud prophetas priores, in quo haec tria pariter inveniantur : agi tantum de ieiunio, reprehendi ieiunium mere externum, ei opponi ieiunium verum cum observatione iustitiae et exsecutione operum misericordiae. Neque potest Ioel 2, 12. 13 in comparationem adduci, quamvis ibi quoque verus cultus Dei ab externo et ficto distinguatur ; ibi enim nil aliud dicitur, nisi ut se convertant ad Dominum in ieiunio et in fletu et in planctu et ut scindant corda, non vestimenta — quae omnia ad Zachariae locum similitudine non accedunt. Neque sufficit Ez. 18, 5 seq. ; ibi quidem opera iustitiae et misericordiae commendantur, at simul cum multis aliis neque ulla mentio fit de ieiunio vel quale discrimen sit inter ieiunium fictum et verum. Cum igitur locus noster apud Isaiam isque solus adeo bene concordet cum Zach. 7, 5 seq., iuremerito dicimus eum a Zacharia esse ob oculos habitum. Sed tum etiam necessario sequitur Zachariam asserere, hunc nostrum locum pertinere ad prophetas priores qui vaticinati sunt, « cum adhuc Ierusalem habitaretur et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu eius et ad austrum et in campestribus habitaretur » ; ergo aliud habemus testimonium, tempore Zachariae hunc nostrum locum adscribi non alicui prophetae versus finem exsilii, sed prophetae qui ante exsilium florente republica iudaica oracula fuderit. — Insuper Zach. 7, 12 phrasis abhibetur quae solum apud Isaiam invenitur : *aggravare aures* Is. 6, 10 et 59, 1 et Zach. 7, 13 : sicut locutus est (clamavit קָרָא) et non audierunt, sic clamabunt et non audiam, sententia est omnino conformata ad Is. 50, 2 et 65, 12 ; quare Zachariam hanc Isaiae partem ob oculos habuisse et ad prophetas priores retulisse vix poterit in dubium vocari ; de qua re vide quoque *Kueper*, das Prophetenthum des A. B. p. 291.

b) Quae bona pietatem consequantur 58, 8-14.

Quodsi ad iustitiam et misericordiam animos inflexerint, bonis abundanter a Domino cumulabuntur. En, quantopere internam animi mutationem vates urgeat et hanc unam conditionem necessariam esse asserat ad salutem consequendam; simul benignitatem Dei perpende qui ea tantum postulat quae ut necessaria sunt, ita facile ab omnibus praestantur et liben-

tissime qui non omnem humanitatis sensum exuerunt. Unde v. 8 « *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua citius orietur et anteibit faciem tuam iustitia tua et gloria Domini colliget te* »; — tribus comparationibus auxilium Dei et salus describitur : pro nocte calamitatis aurora et lumen prosperitatis; pro morbo et vulneribus sanatio; demum populus per vitam migrabit eo modo quo olim per desertum : iustitia viam tutam demonstrat agmen ducens et gloria Domini agmen claudit. Breviter, sed valde efficaciter beatissimam vitae et peregrinationis terrestris rationem delineavit vates. Primo *quasi aurora* (hebr.) erumpet lumen tuum; impiis nox ingruit perpetua (cf. 8, 20 seq.); piis vero felicitas malorum victrix discussis nubibus illucescet (cf. 9, 2). Nunc populus vulneribus est afflictus et tota conditio reipublicae misere prostrata iacet (cf. 1, 5 seq.), tunc vero cito, statim *germinabit sanatio* [1] *tua* (hebr.), novo vigore perfundentur, plurima illa reipublicae damna sarcientur, cicatrices obducentur, apponetur medicina, ad integritatem et florem redibit rerum status. Demum agmen populi pulcherrime compositum exhibetur : vera iustitia et sanctitas agmen ducit, viam per quam incedere oporteat demonstrat; *gloria* Domini claudit agmen, LXX περιστελεῖ σε, circumdat illud protegens; ergo hanc protectionem Deus tamquam suam gloriam considerat, unde eam amplissime praestabit et eam maximo studio quo suam gloriam tuetur promovebit (de modo loquendi vide Ex. 13, 21; 14, 19 et Is. 52, 12; 40, 10. 11). Hac luce gloriae Domini cunctae tenebrae arcebuntur et ipse populus gloria et splendore circumfundetur.

Et cum in hoc itinere Deus tanta gloria populum suum protegat et circumdet, etiam petenti statim omnia largietur v. 9 « *tunc invocabis et Dominus exaudiet; clamabis et dicet : ecce adsum* »! — nunc populus conqueritur quod Dominus non aspiciat, non noverit (v. 2. 3). Docet propheta, quam promptus sit Dominus ad audiendum et petitiones praestandas, si ipsi prius abstulerint mala. Simul ac clamant, dicet *ecce ego* (hebr.), quae est vox obedientis, ad opem praestandam paratissimi et libentissime obsequentis (cf. Gen. 22, 1. 11; 27, 1; 31, 11; 46, 2. Is. 6, 8. Iob 38, 35 etc.); « ecce adsum, non voce sed opere, non responsione sed beneficiis » (*S. Hier.*); « maturam munificentiam et promptitudinem dantis Dei declarat illud : ecce adsum » (*S. Cyr.* et allegat Prov. 15, 29. Ps. 33, 16; 17, 7).

1. Notat *S. Hier.* : « pro eo quod LXX transtulerunt τὰ ἰάματά σου i. e. *sanitates tuae*, latini interpretes ducti nominis similitudine ἱμάτια i. e. *vestimenta* posuerunt; unde multi translationis falsitate decepti ad resurrectionem corporis comprobandam hoc utuntur testimonio ». Ita *vestimenta* h. l. legerunt *Tertullianus, S. Cyprianus, S. Valerianus*, quorum locos affert *Sabatier*, bibl. lat. vers. antiq. ad h. l.

Opus esse ad consequenda promissa animorum emendatione, proinde illa non fieri Iudaeis *qua* talibus, qua nationi sine ulla conditione electae, vates iterum monet, antequam in descriptione salutis pergat [1] : « *si abstuleris de medio tui catenam et desieris extendere digitum et loqui quod non prodest,* v. 10 *cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua et tenebrae tuae erunt sicut meridies* » ; — hebr. *si abstuleris iugum* i. e. oppressionem; *digitum extendere* dicit illusorem et irrisorem ; fortasse notantur ii qui supra 57, 4 vel ii qui pauperibus spoliatis adhuc addunt irrisiones et opprobria; vel « ne singulos quasi digito notes, ne detrahas proximo tuo » (*S. Hier.*); dein si abstuleris *loqui iniquitatem* (hebr.) mala scil. et iniqua. Iterum prius explicavit vates illud : declina a malo. Subdit a v. 10 alteram partem : fac bonum. Prius membrum veteres plerumque explicant de magna animi benevolentia, qua quis pauperem fovet; « ut esurienti non sicut supra demus panem nostrum, sed animam nostram, ut eum in quibuscumque possumus adiuvemus et non quasi ex tristitia et necessitate sed ex animo tribuamus » (*S. Hier.* et sim. *Haimo, S. Thom. Malv. For. Osor. Sanct. Sasb. Pint. Mar. Lap. Calm.*), neque ab hac acceptione multum abest versio graeca : si dederis esurienti panem tuum ex animo tuo ἐκ ψυχῆς σου i. e. ἀφθόνως (*Euseb.*). Recentiores autem *animam expromere* vel suppeditare explicant victum quo anima vel vita tua sustentatur porrigere vel id in quod magno desiderio fertur anima tua vel appetitus tuus, cupedias, alteri largiri (cf. *Mald. Schegg, Net. Rohl. Kn. Hahn, Sein. Del. Naeg. Or.*) et ita iam *Syrus :* si dederis esurienti panem tuum. Sed nescio an recte; id enim in altero membro statim dicitur; dein durum est *animam* pro re accipere quam anima expetit vel qua vita sustentatur et statim eandem vocem in *anima afflicta* iterum alia notione accipere. Neque par est ratio Deut. 24, 6, quo in loco *anima* dicitur id quod pauperi ad vitam sustinendam necessarium est; sensus enim hoc loco non est ea esse alii tribuenda quibus tu ipse ad vitam sustentandam omnino opus habes; nam hoc certe non requiritur neque in ista admonitionum serie tanta perfectio proponitur, ut te ipsum ad alium in vita servandum morti obiicias vel rebus ad vitam necessariis a quibus anima pendeat te prives. Quare explicatio veterum adhuc sustineri posse videtur, praesertim cum נֶפֶשׁ

---

1. Ita membra esse iungenda, ut descripsi, patet ex hebr. et graeco, etiam ex *Syro* et *Chald.* et ex *Aq. Sym. Theod.* quippe qui omnes v. 10 ab *et* incipiunt ideoque necessario antecedentem sententiam *si abstuleris* ad subsequentia trahunt. Eadem est distinctio in comment. *S. Hier.*; sententia *si abstuleris* ab antecedentibus avulsa cum sequentibus cernitur adscripta.

sicut לֵב etiam ad affectus amoris et misericordiae designandos adhibeatur (cf. 42, 1. Gen. 34, 3. Deut. 4, 29; 26, 16; 30, 10. Cant. 1, 7; 3, 1 etc.). Quodsi pietatem coluerint, in nocte miseriae et calamitatis Deus lumen felicitatis faciet oriri; immo miserias mutabit in summum felicitatis gradum ac si noctem subsequeretur splendor solis in meridie. Lux metaphora est felicitatis et gaudii; lux meridiana uti maximo splendore excellit, ita fastigium prosperitatis denotat; quare impiis qui subito deiiciuntur sol dicitur occidere in meridie (cf. Am. 8, 9. Ier. 15, 8).

Lucem hanc meridianam quae piis promittitur iisque solis, vates ulterius describit v. 11 « *et requiem tibi dabit Dominus semper et implebit splendoribus animam tuam et ossa tua liberabit et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum cuius non deficient aquae* » ; — hebr. *et ducet te Dominus continuo et saturabit in siccitatibus animam tuam* (cf. *Mald. Malv. Mar. Lap. Calm.* et recentiores) i. e. semper Dominus gratia sua et suis favoribus te comitabitur et ducet et si quando pericula exsurgunt vel tribulationes, animam tuam roborabit et bonis suis satiabit. Unde in hac acceptione innuitur, instare quidem *ardores* et *ariditates*, etiam pios minime excipi a laboribus et molestiis et variis tentationibus, at Deum etiam adesse copiosis suis auxiliis quibus et anima plenitudine divinae consolationis satiatur et ipsum etiam corpus confortatur : *et ossa tua roborabit* (hebr.); animi vigor in corpus quoque redundabit. Id pro indole veteris foederis eo magis effertur, quia aegritudines, morbi, mors immatura saepe tamquam poenae pro culpis admissis infliguntur (cf. Lev. 26, 25. Deut. 28, 21. 22. 27. 35 etc.). Talibus igitur beneficiis et in animo et in corpore a Domino praeventus populus erit quasi *hortus irriguus,* continuo florens ac virens, afferens fructus domino et a domino cultus cura maxima, et sicut *scaturigo aquarum,* fons perenniter manans, uberrimus, qui nullo anni tempore spem et exspectationem fallit, sed semper aquas praestat in omnium utilitatem et recreationem et in terrae fecunditatem. Abundabit ergo populus benedictione divina hancque largiter cum aliis communicabit; erit igitur status plane contrarius priori : « cum fueritis velut quercus defluentibus foliis et velut hortus absque aqua » 1, 30.

Quod *S. Hier.* vertit *requiem tibi dabit*, explicatur ex הניח; verbum נָחָה quod h. l. adhibetur est *ducere, deducere*, quod LXX quoque exprimunt : et erit Deus tuus tecum semper, et *Syrus* et *Chald.*; ceterum נחה saepe dicitur de Dei provida circa homines cura (cf. Ps. 5, 9; 27, 11). Vocem צחצחות, uti *Mald.* iam monet, *Chald.* et Kimchi et Abenesra explicant de siccitatibus, de locis aridis, sole exustis, et hanc notionem etiam recentiores plerique retinent; potest conferri צְחִיחָה Ps. 68, 7. Sed quod *S. Hier.* habet *implebit splendoribus animam tuam* versio est quae reprehendi nequeat. Nam צח habet notionem *splendere, lucere* (cf. Is. 18, 4. Cant. 5, 10. Eccl.

4, 7) et שׂבע iungitur cum בּ satiare aliqua re ; cf. Ps. 103, 5. Intelliguntur ergo *splendores* de gaudiis et deliciis animae; sim. habet *Syrus* : satiabit animam tuam pinguedine, vel deliciis (de voce רוהזא cf. Is. 55, 2. Ier. 31, 14 in versione syriaca; vide *Payne Smith,* Thesaur. syr. p. 827). Similiter *Aq.* ἐν λαμπηδόνι; *Sym.* et *Theod.* ἐν λαμπρότητι. Huic acceptioni ex recentioribus accedit *Hahn* : claritate animam tuam satiabit. Sensus sane praeclarus est; in numero plurali plenitudo et continua quaedam duratio exprimitur. Sed cum sermo sit de Domino ductore, potius in memoriam revocantur loci 43, 20 et 48, 21 et 49, 10 et sim. — LXX hoc membrum periphrastice reddunt : et impleberis sicut desiderat anima tua; alterum membrum vertunt : et ossa tua pinguescent. Hebr. יַחֲלִיץ explicant vel ut denominativum a חָלוּץ *expeditus* vel a verbo חלץ quod pro substantivo חלצים *lumbi* supponi debeat notione *validum esse;* in hiphil non occurrit nisi hoc loco ; in piel vero saepe notione *liberandi*, unde versio *S. Hier.* facile explicatur. *Syrus* vertit : roborabit; *Aq.* ἐξαλεῖται; *Sym.* ῥύεται; *Theod.* περικαθαριεῖ (cf. *Field*, Hexapl. ad h. l.). *Chald.* praebet : et corpus tuum vivificabit in vita aeterna. Unde ex versione LXX, *Syri* et *Chald.* ille sensus fere colligitur quem verbo hebraico h. l. tribuunt.

Ita porro damna pristina reparabuntur, nova rerum conditio et instauratio firmitate ac stabilitate perenni consistet et longe lateque bona divina diffundet v. 12 « *et aedificabuntur in te deserta saeculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis et vocaberis aedificator sepium, avertens semitas in quietem* » ; — hebr. *et aedificabunt ex te deserta saeculorum,* vel tui, ex te oriundi, vel ex te egressi aedificabunt ; quae olim delictis populi destructa et « longo tempore deserta fuerant » (*S. Hier.*), haec restituentur ; vestigia igitur peccatorum et punitionum regioni impressa delebuntur ; tota terra ad conditionem prosperam redibit et quidem stabili modo felicitas illa constituetur ; id in altero membro edicitur : « et in multis generationibus mansura aedium tuarum fundamenta iacies » (*S. Hier.*). Cum enim populus sanctitate emineat, in pace et securitate imperturbata vivet. Unde vocabunt eum *sepientem fracturam* scil. qui diruta restituit et *reparantem semitas ad habitandum* (cf. *Mald. Mar. Malv.* et recentiores) qui viis restitutis commercium hominum inter se facile reddit et ita urbibus exstructis et munitis et viis stratis regionem ad habitationem aptam reddit et commodam. Destructa urbe viae Sion *lugere* dicuntur (Lament. 1, 4).

S. Hier. vertit *convertens semitas in quietem*, non uti in *vulg.* legitur *avertens*; fere secutus esse videtur versionem graecam : semitas in medio quiescere facies; explicarunt itaque לשׁבת a verbo שׁבת *quiescere* ; verum iam *Syrus* et *Aq.* καθῆσθαι *Sym.* et *Theod.* οἰκεῖσθαι retulerunt formam ad verbum יָשַׁב *sedit, habitavit* ; id quod recentiores quoque adoptarunt. — Verba latina explicant : « avertes semitas, ne ullus viatori ac furi pateat aditus, quo tua tibi possessione pacifice frui ac quiete liceat » (*Sanct.*) vel : « occlusor semitarum per quas subibant bestiae et hostes vastantes vineas et domos, ideoque auctor quietis » (*Men.* sim. *For. Lap. Tir.*).

Quibus dentur fausta haec promissa, propheta iterum (cf. v. 8. 9. 10) in memoriam revocat clare docens quantopere amplitudo promissionis dependeat ab hominum cooperatione v. 13 « *si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo et vocaveris sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem,* v. 14 *tunc delectaberis super Domino et sustollam te super altitudines terrae et cibabo te hereditate Iacob patris tui ; os enim Domini locutum est* » ; — officiis iustitiae et misericordiae erga alios iam additur id ex quo cetera dignitatem suam et normam accipiunt, praeceptum cultus divini, quod in lege sabbati illustratur convenientissime, quia observatio huius legis publica est professio fidei et obsequii in Deum. Primo prohibetur ne sabbatum profanetur, ne quasi terra sancta sabbati profano pede teratur, id est, ut explicationis gratia subditur, ne quis pro suo lubitu et cupiditate die Deo sacro abutatur ad suum beneplacitum prosequendum ; ceterum cf. 56, 2. 4. 6 et 58, 3 pro notione חֵפֶץ. Sed non sufficit sabbatum non profanare ; sacro modo debet peragi ; debet primo magni aestimari : *si vocaveris sabbatum delicias* (hebr.), si ergo eius observatio tibi non molesta evadit, uti illis de quibus Am. 8, 5, sed e contra tibi gaudium affert et delectationem in Domino ; dein si *sanctum Domino* appellaveris et aestimaveris et habueris *honoratum* (hebr.) ; sabbati enim diem Dominus sanctificavit (Gen. 2, 3), quare optime sanctus Domini, quasi sanctitate Domini insignitus et ita speciali ratione Domino consecratus appellatur. Haec autem aestimatio operi est mandanda ; quare pergitur : si eum glorificaveris ita ut non facias vias tuas, i. e. opera tua solita et occupationes, neque tuo indulgeas beneplacito i. e. facias quod tibi libuerit (cf. 58, 3) neque loquaris verbum, perversum scil. et noxium (cf. 58, 4) sicut fieri solet in litibus et iurgiis. Haec admonitio eo magis est opportuna, quia cum sabbato ab opere servili et labore vacetur, maior adest occasio delinquendi verbis et lingua (cf. 58, 9). Iam quali benedictione sacra sabbati observantia a Domino donanda sit, subditur v. 14 : potientur et perfruentur suavitatibus et consolationibus Domini eiusque dulci familiaritate et alloquio recreabuntur et delectabuntur ; pro eo enim quod suam reliquerint voluntatem, maiores a Domino accipient delectationes. Dein, quia opera et negotia sua intermiserunt, non modo non experientur quidquam detrimenti, verum *te faciam vehi super altitudines terrae* (hebr.) i. e. in tutissimis te collocabo locis (cf. Deut. 32, 13. Ps. 17, 34. Hab. 3, 19), te firma ac stabili possessione terrae donabo et bona cuncta quae patriarchis promissa sunt tibi luculenter suppeditabo. En, quomodo bona foederis amplissima a fideli Dei cultu dependeant ! Totum sollemni formula tamquam

sigillo Domini confirmatur, sicut 1, 20; 21, 17; 22, 25; 24, 3; 25, 8; 40, 5. — Praeclara h. l. continentur documenta et argumenta, quibus et modus celebrandi diem Domini commendatur et egregia eius celebrationis emolumenta recensentur.

2. *Oratio secunda* 59, 1-21.

Arg. — Domino neque potestas neque voluntas deest salvandi; verum summopere obstant illorum peccata iniustitiae, fraudis, omnisque generis improbitatis (59, 1-8). Haec ratio est cur malis afflicti et prostrati iaceant; hanc malorum omnium causam ut cum dolore agnoscant et profiteantur, propheta iis in verba praeit confessionem delictorum coram Domino faciens (59, 9-15). Verum Dominus qui suam in terris sanctitatem relucere vult, tamquam bellator fortis exsurget, hostibus vindictam, populo suo redemptionem tribuet et foedus gratiae aeternum ad suam gloriam longe lateque annuntiandam statuet (59, 15-21).

In oratione praecedenti propheta ostendit omnia in vera pietate constitui; proinde ad salutem a Domino acquirendam praeprimis oportere vera ut foveatur pietas. Neque dissimile est huius orationis argumentum. Ostendit enim vates et longiore enumeratione probat, quantopere peccatis suis obstacula opponant benignitati divinae. Unde eo ipso declarat et aperte docet, cuius generis redemptio prae omnibus necessaria sit, scil. opus esse vera peccatorum detestatione et sedula vitae morumque emendatione. Indoles ergo spiritualis instaurationis praecipue indicatur. Dein ad eam mentem et indolem fovendam propheta humili peccatorum confessione facta statum populi miserum deplorat. Sed quam bene agatur cum iis qui eo modo de peccatis gemunt et lugent, statim praeclara hypotyposi subdit: Deus enim, gloriae suae ac populi zelator, quia nemo sanctitatem in terram reducere potest, ipse se accingit ad causam suam fortiter agendam simili schemate, uti 42, 13 et seq. Declarat igitur in hac oratione vates, primum ad veram resipiscentiam et ad salutem gressum consistere in humili agnitione peccatorum et in dolore de iis concepto; haec vero si adfuerint in populo Dei, Deum sua potentia usurum ad redemptionem gloriosam efficiendam; simul docet (v. 16) neminem praeter Deum illam posse adducere salutem. Praeterea in hac oratione populi peccata accuratius quam antea recensentur.

a) **Peccata sunt obstacula salutis 59, 1-8.**

Populus de dilato auxilio divino conquestus erat (58, 2. 3); responderat propheta in oratione antecedente, quare ieiuniis suis non merean-

tur opem divinam. Alterum ad eandem querelam responsum hoc loco dat; causam salutis denegatae minime in Deo esse collocandam, verum in suis ipsorum peccatis. Nam v. 1 « *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat* »; — Deus qui olim tot mirabilia pro populo patravit, nihil pristinae suae potentiae amisit; neque surdus est ita ut clamores populi non audiat; alludi videtur ad Ex. 3, 7: vidi afflictionem populi mei in Aegypto et clamorem eius audivi... et sciens dolorem eius descendi ut liberem eum etc.; alia iam agi tempora conqueruntur neque Deum ut olim sui populi curam habere. Sed murmurantibus ostendit propheta quam immerito conquerantur, penes se esse, ut alia rerum conditio eaque egregia oriatur v. 2 « *sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret* »; — cf. 50, 2. Ipsi potentiae Dei quasi murum ne ad se pertingeret opposuerunt peccata (cf. Ez. 43, 8); iniquitatibus suis faciem i. e. favorem Dei et benevolam iuvandi promptitudinem sibi averterunt (cf. Ier. 5, 25); vide ad 8, 17; 54, 8. Lament. 3, 44.

Atque quantopere seduli sint in hac divisione inter se et Deum facienda, declaratur v. 3 « *manus enim vestrae pollutae sunt sanguine et digiti vestri iniquitate, labia vestra locuta sunt mendacium et lingua vestra iniquitatem fatur* »; — cf. 1, 15; iurgia igitur et lites et contentiones (58, 4. 6) ad caedes perpetrandas eos impellunt; tanta est oppressio et iniustitia, ut ne a caedibus quidem abhorreant. A maximis incipit vates ne quis contra accusationem v. 2 prolatam quidquam possit excipere. Cum ex abundantia cordis os loquatur, quantopere sint scelere et fraude infecti animisque polluti, ipsis eorum sermonibus demonstratur. Hebr. הֶגָּה proprie meditari, commentari, perpendere; LXX ἡ γλῶσσα ἀδικίαν μελετᾷ; ita vates ab operibus ad verba, a verbis ad intimum malorum fontem, ad animi considerationem et habitum regreditur (cf. Iob 29, 4. Prov. 8, 9. Ps. 35, 28; 71, 24 hebr.); unde linguae, instrumento animi, id adscribitur quod proprie est animi. Hisce in universum dictis iam ostenditur quantopere ipsa fundamenta iuris et ordinis sint subversa; si enim iustitia est fundamentum regnorum, a fortiore in theocratia a populo electo norma iuris strenue debuit observari. At v. 4 « *non est qui invocet iustitiam neque est qui iudicet vere, sed confidunt in nihilo et loquuntur vanitates; conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem* »; — etiam hic a rebus externis progreditur vates ad animi indolem et habitudinem. Nemo est qui iustitiam adhibeat vel ad iudicium ferendum vel ad consilium dandum (*Sasb. Sanct. Schegg*) vel generatim ad normam agendi sentiendique ex ea dirigendam; neque ea a iudicibus administratur. Neque censent in iustitia demum adesse fir-

mum ordinis bonique communis fundamentum, sed fiduciam suam ponunt *in nihilo,* in vacuo, תֹּהוּ, ergo in eo quod in ordine morum et veritatis idem est ac vastatio et rudis indigestaque moles in ordine naturae ; ita bene designatur *perversitas,* qua omnia ad interitum demum vergunt. Et ut *confidunt,* ut animis sunt perversi, ita *loquuntur* inane, vanum, quod nihil in se habet solidi, veri. Animis enim conceperunt et fovent עָמָל laborem, molestiam, malum ; quare partum edunt verbis et operibus qui iniquitate vel inanitate et improbitate אָוֶן consistit. Bonum enim est id quod revera *est,* quod in se habet solidam stabilitatem ; malum e contra vocatur mendacium, inane, vacuum, vastatio, nihil ; est enim negatio boni, id est eius quod solum vere *est.* De modo loquendi cf. Iob 15, 35. Ps. 7, 15.

Ceterum membrum primum varie concipitur. Hebr. קָרָא בְ notionem habet aliquid celebrandi, praedicandi, laudandi. Et hac significatione etiam hic aliqui vocem capiunt : nemo praedicat, publice et palam annuntiat iustitiam, normam recti et veri (cf. *Hitz. Ewald, Umbreit, Sein. Del.*). Alii קָרָא propter membrum parallelum quod de iudicio agit sensu accipiunt forensi qui adesse videtur Iob 13, 22 certe (sed valde dubie 5, 1 et 14, 15), ergo *in ius vocare* : nemo alium iuste vocat in ius (ita *Ges. Ros. Kn. Naeg.*). Alii : nemo Deum invocat tamquam qui in statu iustitiae sit constitutus ; ita *Chald.* : non est qui oret in veritate, et sim. *Hahn* ; alii de iniustis iudicum sententiis explicant vel de iniusta testificatione. LXX generatim οὐδεὶς λαλεῖ δίκαια. Etiam *invocare iustitiam* quod *vulg.* praebet varie explicant : in ius vocare (cf. *Osor. For. Men. Calm.*), ius suum persequi vel coram iudice repetere (*Mald.* cf. *Calm.*) vel ius defendere (*Malv. Mar.* etiam apud *Mald.*). In secundo membro de iniustitia agitur quae committatur in litibus instituendis : *nemo disceptat in fide* vel in veritate ; שָׁפַט in niphal communiter habet notionem litigandi, disceptandi cum aliquo, contendendi. Verbum adeo amplum est ut utraque pars iniustitiae commissae et fraudis adhibitae insimuletur. Cum igitur hoc alterum membrum iam complectatur disceptantes coram iudice, primum membrum potest concipi generatim : nemo iustitiam, id quod rectum et iustum est, palam profitetur ; dein in altero membro id illustratur exemplo quo simul augetur accusatio : ne coram tribunali quidem veritas et fides servatur. Ex eo enim quod in altero membro de iudiciis sermo sit non continuo efficitur etiam primum membrum tantum de iudiciis vel posse vel debere intelligi.

Iam qualis sit eorum iniquitas, quam nociva singulis et bono communi, ulterius ostenditur v. 5 « *ova aspidum ruperunt et telas araneae texuerunt ; qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum ;* v. 6 *telae eorum non erunt in vestimentum neque operientur operibus suis ; opera eorum opera inutilia et opus*

iniquitatis in manibus eorum » ; — hebr. *ova basilisci excludunt* i. e. operibus suis mortem et interitum aliis machinantur ; in altera imagine de telis aranearum et in v. 6 quam inutilia sint et inania opera eorum declaratur. Eos fortasse vates perstringit qui gloriose sua de bono publico merita iactant. De basilisco cf. 11, 8. Quam perniciosa sint eorum consilia et machinationes, inde elucet quod nemo ea potest evadere ; nam qui de eorum ovis comederit i. e. qui eorum consilia adiuverit, ille veneno hausto morietur ; eandem autem sortem etiam experietur, si iis obstiterit : *et contritum* (scil. ovum) *viperam emittet* (hebr.) ; si quis ovum pedibus contriverit, ex contrito prodibit vipera. Proinde socios malorum male perdent neque minus eos qui pessimas eorum machinationes dissolvere et impedire conantur. Telae aranearum quamvis ad nihil utiles sunt, tamen bestiolis insidias et mortem struunt. Has insidias fortasse in ea quoque imagine vates ob oculos habuit, quia postquam opera ad nihil utilia esse demonstravit, adhuc addit : opera eorum sunt opera אָוֶן i. e. non solum inutilia, verum inanitate et improbitate plena *et opus oppressionis* vel violentiae *in manibus eorum* (hebr.). Locutio est proverbialis ; quare opiniones vulgares de basilisco supponuntur et sermo ad viperam deflectitur, quae utique ex ovo basilisci non prodit, at apta est qua illustretur, si quis putet se ab uno periculo declinasse feliciter, eum alia et alia via certius esse interiturum.

Quae metaphoris indicavit, iam sermone proprio varie explicat v. 7 « *pedes eorum ad malum currunt et festinant ut effundant sanguinem innocentem ; cogitationes eorum cogitationes inutiles ; vastitas et contritio in viis eorum* » ; — ergo magno studio scelera perpetrant ; in toto externo habitu cernitur impetus ille et tumultus malarum cupiditatum ; in animis autem repleti sunt cogitationibus improbis et iniquis (hebr.) ; ita quoquo loco incedunt, omnia replent vastitate et desolatione, omnia conculcant et pedibus conterunt. Neque mirum ; nam v. 8 « *viam pacis nescierunt et non est iudicium in gressibus eorum ; semitae eorum incurvatae sunt eis ; omnis qui calcat in eis ignorat pacem* » ; — cf. Rom. 3, 15-17. Mala cupiditas est semper male sedula, nunquam quiescit ; quare viam qua ad pacem pervenitur improbi nesciunt neque ipsi sibi neque aliis unquam veram afferunt pacem et felicitatem ; neque iustum apud eos invenitur ; in semitis per quas incedunt, non reperitur iustitia, e contra semitas suas pervertunt vel sibi curvas faciunt (hebr.), non rectas ad normam et lineam recti ; quicumque in iis ingreditur, longissime abest a pace neque unquam ea fruetur ; cf. 48, 22 ; 57, 21. Prov. 1, 15. 16 ; 6, 18 ; *scire* pacem (hebr.) est eam experiri, experimento cognoscere. Haec igitur sunt ova illa quae pariunt, telae quas texunt ; ex animis suis pessimis pessima quaeque producunt et exsecu-

tioni mandant; cf. Prov. 2, 8. 9. 15. Ii « pacem ignorant, quocumque modo pacem interpretere; nam neque aliquid assequuntur quod ipsis usui ac voluptati futurum sit, aut quidquid animo aut cogitatione versant, perturbationem, vim, seditionem anhelat » (*Sanct.*).

b) **Humilis delictorum confessio 59, 9-15.**

Scelerum enumeratione et reprehensione facta quid iam agendum sit ut e tali barathro emergant vates docet. Primo scil. perspicere et agnoscere debent causam cur salus et prosperitas ablata sit in delictis esse repositam neque unquam posse meliorem sperari conditionem nisi resipuerint. Unde v. 9 « *Propter hoc elongatum est iudicium a nobis et non apprehendet nos iustitia ; exspectavimus lucem et ecce tenebrae, splendorem et in tenebris ambulavimus* » ! — in verba praeit propheta ; quo culpae confessionem reis reddat faciliorem, ipse se reis et peccatoribus adiungit eorumque culpam suam quoque profitetur iniquitatem. *Iudicium* vel ius intellige statum illum quem Deus populo promisit, qui iudicio et vindicta in hostes praeparatur et utpote a Deo promissus iam ad ius populi pertinere censetur. Tale ergo iudicium in favorem suorum Deus non exercet, ius illo iudicio restituendum non datur, quia tot delictis impliciti sunt. Ideo etiam *iustitia* i. e. nova illa salutis et sanctitatis conditio quam Deus populo inesse vult et quam toties promisit, abest neque res israeliticae in prosperitatem vertuntur. Ita *iudicium* et *iustitiam* hoc loco accipi debere et ipso nexu cum antecedenti ostenditur et statim metaphora lucis et splendoris declaratur. Quod enim modo iudicium et iustitiam appellavit vates, iam nomine lucis et splendoris designat ; quae autem exspectaverint, discimus ex 58, 2 : rogant me iudicia iustitiae ; appropinquare Deum desiderant (hebr.) scil. ut ultionem capiat ab hostibus, suis salutem impertiatur. Monet ergo vates ut falsae exspectationi renuntient ; docet per quam viam ad promissa Dei perveniendum sit. Quare spe vane concepta deiecti radicem et causam mali perpendant.

In quantas autem pro luce et splendore felicitatis pervenerint tenebras miseriae, accuratius vates delineat, ut miseriae magnitudinem intime sentientes alacrius ad remedia applicanda accurrant ; v. 10 « *palpavimus sicut caeci parietem et quasi absque oculis attrectavimus ; impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui* » ; — quaerunt exitum a malis neque tamen inveniunt, quia non rite quaerunt ; unde caecis palpantibus comparantur qui quod volunt invenire lucis defectu non attingunt et frustra in omnem partem manibus palpant. Immo

in maiora mala inciderunt, cum minime id suspicarentur; *meridie impingimus sicut in crepusculo* (hebr.) i. e. « significat propheta usque adeo miseram esse et afflictam fortunam, ut quae optime videri potuerint tempora et quasi meridiana, miserrima sint; si enim tempus aliquod serenum est et lucidum, illud omnino meridianum est; illud tamen tempus et illa tanta lux neque diffundit animum nocturno moerore contractum neque magis ad vitam voluptatemque facit, quam si nusquam terris sol affulsisset » (*Sanct.*). Et ita demum *quasi mortui* perpetuis orci tenebris constringuntur. Locutio est ad dolorem et luctum designandum quam maxime apta et gradationem continet; cf. Lament. 3, 6 : in tenebrosis collocavit me tamquam mortuos. Ad id demum res pervenerunt, ut respublica ruinae ineluctabili sit proxima, quam auxilia humana iam avertere non possunt et ex qua, sicut ex morte, si sola remedia humana spectantur, iam non adest reditus ad vitam, ad statum meliorem, ad instaurationem. Ergo salus a solo Domino est exspectanda ; populus e contra pro sua parte omnia quasi consulto fecit, quibus ruinam irreparabilem, mortem, sibi attraheret.

Vocem אַשְׁמַנִּים recentiorum plerique vertunt *pingues* i. e. vigore vitali vigentes, pleno robore fruentes ; explicant vocem א prosthetico formatam ex שָׁמֵן *pinguis fuit* analogia saepe obvia (cf. *Olshausen*, Lehrb. § 211 a) ; ita *Sein. Del. Naeg. Or. Mühlau* et *Volck, Net. Rohl. Troch.* etc. Similem acceptionem iam commemorat *Malv.* scil. *in pinguissimis rebus*, in rerum omnium affluentia sumus quasi mortui. Ex membro parallelo *in meridie* haec explicatio utique commendatur. Attamen eam certam esse non ausim dicere. Nam qui sunt illi *robusti* et *pingues*, in quorum medio Israelitae tamquam mortui iacent ? num gentes vicinae ? nihil adest in textu. Neque cur notio opposita ad mortuos postulanda sit, id quod alii urgent, perspicitur ; quid enim per *mortuos* dicatur, satis per se intelligitur. Neque caret difficultate quod alii praeferunt : in rebus opimis, vel in corporis pinguedine, in vitae vigore sumus quasi mortui. Istae enim res opimae certe non adsunt neque vitae vigor, sed ad summum deberent adesse vel revera adessent nisi populus opposuisset obstacula. Melius sensui convenit quod alii proponunt : in campis pinguibus i. e. cum optimam terram possideamus, nihilominus extremis premimur miseriis. Si haec explicatio certa esset, esset simul iste versus indicium oraculum hoc in terra palaestinensi esse scriptum. Sed res est dubia, quia de ubertate terrae vox מִשְׁמַנִּים Gen. 27, 28. Dan. 11, 24 adhibetur.

Alii aliam explicandi viam tentant. Explicant vocem de locis desertis et vastatis a voce אָשַׁם i. e. שָׁמֵם vel אָשֵׁם (cf. Ez. 5, 6) *vastari*; ita *Chald.* vocem de sepulcris exponit, quem alii sequuntur; *Hahn* de desertis. De *caliginosis* locis explicat *vulg.* quam explicationem aliqui adoptant et quae, ut *Kn.* ait, contextu omnino exigatur. Sed in ratione ad illam notionem perveniendi differunt ; alii statuunt vocem אָשַׁם vel אָשַׁן caliginosum esse. Sed num eiusmodi vox exsistit ? *Kn.* censet a pinguedine et densitate fieri translationem ad pingues vel *densas* tenebras. — LXX vocem non exprimunt ; *Sym.* vertit ἐν ἀφανισμῷ ; *Syrus* autem membrum hoc reddit : et suspiramus sicut ii qui propinqui sunt morti. Explicatio *vulg.* ut supra vidimus contextui est bene apta ; sed etymologice non videtur satis posse probari.

Quam graviter sentiant rerum difficultatem, iterum alio modo declaratur v. 11 « *rugiemus quasi ursi omnes et quasi columbae meditantes gememus; exspectavimus iudicium et non est, salutem et elongata est a nobis* »; — fremitum edunt ut ursi famelici; nam « vespertinus circumgemit ursus ovile » (*Horatius,* Epod. 16, 51; *Sanct.*) vel quod *S. Cyr.* sentit, ut ursae quae cum ereptos sibi catulos sentiunt tristes edunt rugitus. Cum in ursorum rugitu potius aliquid minax et infensum deprehendatur, explicare poteris, eos modo impatientius et acerbius querimonias effundere, modo dolore ingemiscere et suspiria trahere lamentantes et gementes, id quod columbarum gemitu declaratur; vel omnes magna afflictione percuti et suo quemque more doloris edere significationem, fortes robustosque, potentes ursorum instar, debiles, plebeios columbarum instar. Ceterum vide 2 Reg. 17, 8 : amaro animo velut si ursa raptis catulis saeviat, et Prov. 17, 12. Os. 13, 8 (cf. *Sanct. Lap. Men. Tir.*). Causam doloris impatientis et amaritudinis et gemituum denuo declarat; uti v. 9 iudicium et iustitiam, ita nunc iudicium et salutem coniungit; *iustitia* ordinem illum rectum dicit quem Deus vult, *salus* eundem ordinem designat ut homini salutiferum.

Postquam vates satis cum populo miseriam praesentem deploravit, haec lamenta iam ad humilem vertit peccatorum confessionem. Et apte quidem. Qui enim audierint prophetam lamentantem et lamentationibus eius sese adiunxerint, facilius etiam simul cum propheta se peccasse confitebuntur. Ratio enim salutis dilatae vel negatae in peccatis est sita v. 12 « *multiplicatae sunt enim iniquitates nostrae coram te et peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum et iniquitates nostras cognovimus :* v. 13 *peccare et mentiri contra Dominum et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem, concepimus et locuti sumus de corde verba mendacii* »; — *coram te,* iustitiam Dei punientis profitetur, in qua agnitione iam primus ad resipiscentiam gressus consistit; idem enuntiatur altero membro : peccata nostra *testantur* (hebr.) contra nos; neque testimonium tale detrectant sed humiliter admittunt profitentes scelera esse secum i. e. se sibi quam maxime conscios esse se peccasse neque id velle negare aut excusatione imminuere, sed sincere fateri. Et haec iam enumerantur in v. 13 et quidem in hebr. per totum versum ponuntur infinitivi verbi : praevaricari et mentiri in Dominum et deficere a Domino, recedere ab eius sequela; primo loco ponuntur peccata in Deum; *mentiri* i. e. abnegare Deum; ergo idololatriam multiplicem et apostasiam a Deo eiusque foedere designat. Dein peccata recenset contra proximum, contra alteram legis tabulam : loqui oppressionem et defectionem scil. a lege, concipere et proferre ex corde verba mendacii.

Describit itaque quomodo peccatum totum occupaverit hominem et eius ad Deum et ad proximum habitudinem vitiaverit. Tria illa contra Deum ita possunt distingui, ut interna animi apostasia, externa negatio et abnegatio Dei verbis facta et demum recessus a Deo externe ostensus, idololatria, intelligatur. Contra proximum peccant oppressione, seductione loquentes scil. et persuadentes transgressionem legis, quae locutio Deut. 13, 6 et Ier. 28, 16 et 29, 32 de seductione pseudoprophetarum adhibetur. Demum sedem omnium scelerum et fontem indicat : in corde concipere et fovere et ex eo protrudere *verba* vel generatim *res mendacii;* mendacium saepe dicitur in universum de peccato, quia veritati contrarium est, hominem quam maxime decipit, ut alias peccatum dicitur inane, vacuum, inutile etc.

Cum tale dominium peccatum apud plerosque occupaverit, non mirum est, si tota reipublicae facies subversionem iuris prae se fert. Ab hominibus privatis transit vates ad ordinem publicum v. 14 « *et conversum est retrorsum iudicium et iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas et aequitas non potuit ingredi;* v. 15 *et facta est veritas in oblivionem et qui recessit a malo praedae patuit* » ; — iustitia, fundamentum regnorum, iam non adest, turpiter opprimitur. Id per singula vates delineat : *iudicium* i. e. ius, norma iuris quae ubique in republica primum debet occupare locum, ius est aversum retrorsum, quasi retusum et reclusum et in angulum aliquem abiectum; iustitia stat a longe i. e. nullus adest conatus, ut iustitia reducatur in rempublicam, ut ex iustitiae praeceptis singula fiant. Nam veritas et veracitas iam non adest in urbe; misere prostrata et conculcata iacet in foro et contemnitur, et *rectitudo* iam non admittitur. Si autem veritas corruit et rectus animi sensus et amor recti iam non permittitur ingredi urbem, nulla in administratione publica aderit iustitia. Quare nulla quoque securitas ; id quod eo maxime ostenditur quia qui probus est et integer, quem igitur omnia iura quam maxime tuentur, is praecipue obiicitur spoliationi et vexationi malorum et iniuriis; « in quam sententiam aptari potest punicum illud proverbium, cuius Montanus meminit : nisi lupus sis, luporum praedam te esse oportet, id est, si a latronibus spoliari non vis, latronum mores et institutum teneas necesse est; usque adeo in terra iuris et aequitatis inducta est oblivio; usque adeo versuta et fallax agendi ratio mentes occupavit » (*Sanct.*).

Sunt qui hic quoque explicent *iudicium* et *iustitiam,* uti in v. 9 et 11, de iudicio Dei et manifestatione salutis (cf. *For. Hitz.*), sed recte plerique intelligunt de statu reipublicae et de perversione ordinis publici (cf. *Osor. Sanct. Mald.* et recentiores). Id iam ex eo sequitur, quia a v. 12 enumeratio pecca-

torum texitur, in ea autem serie violatio iuris et neglecta iustitiae administratio deesse non potest. Neque ullum cernitur indicium eam enumerationem interrumpi. Dein ratio quae affertur *quia corruit in foro veritas,* optime convenit, ut status ille iniustus describatur; iam enim fidem publicam non adesse, omne quod iustum sit ac honestum esse exclusum dicitur; ubi autem veritas et fides defecerit, ibi nulla aderit administratio iustitiae; quae quantum deficiat, etiam ultimo membro declaratur.

Morum descriptio quam vates hoc loco exhibet simillima est ei, quam in parte priore, praesertim cap. 1-5 legimus. Manus sanguine plenas 1, 15 et hic deprehendimus. Accusatio de iniustitia et oppressione eadem est quae 1, 23 et 3, 14. 15 et 5, 23 proponitur. Ordinis autem publici perturbatio et subversio iuris quae hic exhibetur non est absimilis ei quam vates 3, 4. 5 depinxit. Idololatria pariter 2, 8 reprehenditur; impudentia qua peccata sua non modo non celant, sed palam de iis glorientur et hic carpitur 59, 4 seq. et 3, 9 reprehenditur. Eodem modo, uti hic, etiam 5, 7. 8 iudicium et iustitia inter se iunguntur et misera ratione deesse in populo dicuntur. Misera autem conditio qua loborant et quam deplorant v. 9-11, prope accedit ad eam, quam 1, 6 seq. describit vates; in tali enim rerum statu, quem 1, 6 seq. describit, eiusmodi voces emitti quales 59, 9-11 legimus facillime intelligitur. Hic enim palpant quasi caeci, impingunt, quasi mortui omne vigore destituuntur; ibi a planta pedis usque ad verticem non est sanitas, sed vulnus et livor; hic propheta profitetur: multiplicatae sunt iniquitates et peccata contra nos testantur 59, 12; ibi eos accusat quod addant et augeant praevaricationem 1, 5 et quod ipse vultus peccatorum index contra eos testatur 3, 9. Praeterea in aliis quoque locis ea fit reprehensio iniustitiae, oppressionis, fraudis, mendacii, quae saltem re ad conditionem hoc loco descriptam omnino accedit; vide v. g. 10, 1. 2; 29, 21; 32, 6. 7.

Ad quale igitur tempus haec descriptio est referenda? Consonat iis quae in parte priore Isaiae deprehendimus. Id ex una parte certum est. Ex altera parte aeque certum est eam orationem ad finem exsilii non posse referri. Nam ea in temporis conditione contradictionibus involvitur. Quam maxime enim urgetur, Deum non posse nunc salutem concedere quia iniquitates populi id prorsus prohibent; idque ter repetitur cum omni emphasi v. 1. 2. 9. 11. Sed quomodo hoc in fine exsilii ita in universum dici potest, eo scil. tempore ubi magnum illud liberationis opus et praeclarum beneficium iamiam instat? Si in fine exsilii talis ac tantus adhuc adest murus divisionis inter Deum et populum, ut Deus salvare nequeat, dein plane non intelligitur, quomodo liberationem concesserit. Porro si in fine exsilii ea erat conditio morum quae hic describitur, tunc exsilium fructum emendationis qui praedictus est (cf. ad Os. 2, 14) non modo non tulit ullum, verum res iudaicae ita sunt desperatae, ut quomodo instauratio fieri potuerit iam nemo explicare possit. Neque ad exsilium conveniunt voces v. 9: exspectavimus lucem etc., neque in fine exsilii dici potest: elongatur iudicium propter peccata nostra, dum liberatio iamiam instat. Paucis: tota haec oratio in id unum incumbit, ut ostendatur salutem a populo longe abesse neque ei posse concedi propter multiplicem improbitatem; in fine vero exsilii iudicium

illud et iustitia prope adest et liberatio populo conceditur; ergo haec oratio conditionem temporis in fine exsilii nullo modo refert. Eadem valent contra sententiam a *Seinecke* propositam sermonem esse non de exsulibus, sed de iis qui tempore exsilii in terra palaestinensi remansissent. Nam iis quoque instauratio prope adest; quare etiam iis non potest contrarium annuntiari. Argumentum ex hac oratione petitum fortius evadit et clarius, si respexeris ea quae supra dicta sunt ad 56, 9 seq.; ibi enim gentes invitantur, ut veniant et iudicium contra populum exerceant et 57, 13 populum eorum potestati traditum iri asseritur; *haec* ergo instant, et cum talia immineant, facile explicatur, cur 59, 9-11 maiora etiam mala prope esse haud obscure innuatur. Verum haec omnia in fine exsilii fingi nequeunt.

c) **Dominus exsistet salvator 59, 15-21.**

Quid saluti obstaret, vates dixit. Eo ipso autem indicavit, quomodo se debeant praeparare ad accipienda promissa divina; iam iis praeivit in humilem peccatorum confessionem et postea 63, 15 seq. hanc animorum praeparationem explicatius per singula pertractat. Nunc autem quo alacrius incitentur, ut pro virili obstacula removeant et ut pii in tanta rerum difficultate (v. 10. 11) solatio et spe erigantur, vates ostendit, quomodo vere manus Domini non sit abbreviata (v. 1), sed qua ratione salvare velit voluntate promptissima. Neque enim fieri potest, ut populum suum abiiciat; uti ipse est sanctus, ita sanctitatem suam in terris relucere vult (cf. 6, 3); quare de theocratia misere prostrata non potest non indignari: « *Et vidit Dominus et malum apparuit in oculis eius quia non est iudicium,* v. 16 *et vidit quia non est vir, et aporiatus est quia non est qui occurrat, et salvavit sibi brachium suum et iustitia eius ipsa confirmavit eum* »; — ius, rectum et iustum iacere prostratum, proinde terram non esse plenam gloria Dei, sed potius plenam contemptu Dei, ut res maxime contraria divinis consiliis, summopere Domino displicet. Unde per aliquod quidem tempus populum suas ingredi vias permittit; at suo tempore remedium apponit, manum admovet; unde *videre* nunc dicitur quod semper vidit et scivit, quia nunc « ponitur salutis praeparatio ex parte salvantis » (*S. Thom.*) et nunc consilium illud exsequi describitur et malum illud quod eousque toleravit e medio tollere. Ab homine vel humanis remediis non posse afferri salutem et inter homines neminem reperiri qui possit *esse intercessor* (hebr.) ad avertendam vindictam et ad salutem adducendam, qui ergo malum illud crescens impediat et sanet et murum divisionis amoveat et mediator sit inter Deum et populum, bis graviter effertur indeque deducitur Deum ipsum et solum auctorem esse et effectorem salutis pro potentia sua et

sanctitate ; quare dicitur : *brachium* eius i. e. potentia eius ei opem tulit, salutem effecit, et *iustitia eius* i. e. sanctitas eius qua necessario vult ius et iustitiam in terra consistere, *eum suffulsit* (hebr.), ei adstitit quasi robur subministrans ad opus illud arduum aggrediendum et perficiendum. Aliis verbis : docet vates penes solum Deum illam reponi potentiam qua salus efficiatur et pro operis gravitate et hominum improbitate apud ipsum Deum magno quasi conatu et magna virium explicatione opus esse. Salutem autem refert ad Dei potentiam et sanctitatem, eodem modo quo tempore impletionis messianicae beata Messiae mater opus Incarnationis celebrat : fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius.

Iam *brachium,* potentia Domini ad salvandum describitur schemate simili, uti 42, 13 : Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum ; unde v. 17 « *indutus est iustitia ut lorica et galea salutis in capite eius ; indutus est vestimentis ultionis et opertus est quasi pallio zeli* » ; — erit opus Domini in resurrectionem et in ruinam ; affert iustitiam et salutem, affert ultionem et vindictam ; utrumque zelo divino exsequetur. Agitur de populo ex hostium potestate et oppressione salvando (cf. 42, 22 seq. 52, 4), « ideo bellatorem Dominum et vindicem inducit servata eadem allegoria, a qua sermonem duxerat » (*Sanct.*). Iis scil. apparet indutus, quibus instructus et impulsus ad opus se accingit et quae effecturus est. Sua enim impellitur *sanctitate,* hac certissime victoriam reportabit ; unde ea quasi lorica munitus apparet, uti 11, 5 : et erit iustitia cingulum lumborum eius. Ut *salus* efficiatur, in certamen prodit ; quare eam ut galeam longe lateque splendentem capiti gerit impositam. Hostes conteret ; quare *induit vestimenta ultiotionis amictum* (hebr.), ad quod vide 63, 2. 3 : « aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea » ; singula fervore animi, zelo divino et efficacia peraget ; quare *se pallii instar zelo obvolvit* vel operuit (hebr.) ; cf. 9, 7 : zelus Domini exercituum faciet hoc.

Ita armatus Dominus egreditur ad opus suum, cuius pars quasi prior est iudicium, ultio et deiectio hostium, sicut apud Isaiam a cp. 1 et deinceps via ad salutem exhibetur per destructionem et deiectionem hostium pompaeque Deo contrariae ; unde eodem schemate hoc loco sermo texitur v. 18 « *sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis et vicissitudinem inimicis suis ; insulis vicem reddet* » ; — hebr. explica : *secundum opera, sic retribuet, iram hostibus suis, retributionem inimicis suis ; insulis retributionem retribuet ;* sententia generalis omnes Dei adversarios complectitur ; unde quid impiis inter Iudaeos instet, etiam hic vates indicat. Iudicium a domo Dei incipiet. Qua in descriptione ratio continetur efficax, ut sensus poenitentiae a

propheta propositos induant. Dominum exhibet ultorem; sim. Mal. 2, 17-3, 6 : quis poterit cogitare diem adventus eius ? Opus Domini intelligi salutem messianicam etiam ex eo patet, quia ad reliquas quoque gentes pertinere asseritur. De gentibus in universum *insulae* intelligendae sunt; cf. 41, 5. Tempus messianicum est simul tempus iudicii, quia est periodus in resurrectionem et in ruinam, et quia regnum messianicum comminuet et consumet universa regna (Dan. 2, 44; cf. Agg. 2, 7).

Altera pars operis Domini est salus et iustitia, est cognitio Dei et cultus in gentes effusus v. 19 « *et timebunt qui ab occidente nomen Domini et qui ab ortu solis gloriam eius, cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit* » ; — iustitia et salus gentibus dabitur eo quod timor Dei et cultus eis communicabitur; extrema terrae nominantur pro orbe universo; nomen Domini omnia illa comprehendit quae Deus de se et suis operibus revelare dignatus est. Quanto zelo et efficacia Deus timorem suum et cultum sit propagaturus in gentes, comparatione fluvii omnia impedimenta et obstacula perrumpentis declaratur, quem insuper ventus vehementissimus impellit; uti talis fluvius omnia secum abripit, ita Deus ad sui reverentiam et cultum, proinde ad veram felicitatem et omnium bonorum fontes gentes efficaciter adducet deiectis obstaculis idololatriae et malarum cupiditatum, ad quae deiicienda utique opus est magna vi et contentione, quae in impetu fluminis et in turbine vel tempestate Domini (cf. hebr.) designatur.

Hebr. כַּנָּהָר צָר alii vertunt : sicut fluvius coarctans vel impellens (*Kn. Sein. Rohl.*), alii : ut fluvius coarctatus, impeditus (*Del. Naeg. Or. Mayer*); LXX ποταμὸς βίαιος. Quod sensum spectat, discrimen fere non adest; nam et fluvius coarctans et coarctatus impetum designat. Posterius insuper declarare potest Dei ultionem vel bonitatem quasi coercitam fuisse per aliquod tempus, quia Deus ad salutem efficiendam diu exspectat, unde nunc sese maiore vi (fluminis instar coarctati quod demum repagula fregerit) diffundat; ad quem fluctuum impetum adhuc ventus accedit vehementer propellens. — In priore acceptione צָר derivabis a צוּר coarctare; in altera explicabis צָר צָרַר) eodm modeo quo Num. 22, 26. Prov. 23,27. Iob 41, 7 etc. *Aq.* praebet ὡς ποταμὸς στενός; *Theod.* πολιορκητής; *sym.* θλίβων (cf. *Field*, Hexapl. ad h. l.). -- Alia etiam proponitur versio quam *Chald.* iam exprimit et *Syrus* : veniet quasi fluvius oppressor, hostis (cf. apud *Pint. Mald. Malv. For. Net. Ros. Hahn*), ad quod membrum alteram partem vertunt vel : spiritus Dei abiget eum : vel spiritus Dei vexillum eriget contra eum (cf. Ps. 60, 6 נֵס vexillum; cf. apud *Vat. Sanct. Mar. Malv. IV. Stier*, *Hahn*). Sed in hoc contextu, uti etiam subsequentibus probatur, solum de Domino veniente est sermo, quare acceptio illa quam LXX et *S. Hier.* exprimunt omnino retinenda est. Insuper cum Deus iam iram hostibus indicaverit inferendam v. 18, tali repetitione in v. 19 minime opus est. נוֹסֵס pilel est a נוּס; vide hiphil in eadem notione Deut. 32, 30 in fugam proiicere; praeterea Ex. 9, 20. Iud. 6, 11. Locutio similis est ei in 40, 7 : spiritus Domini sufflavit in eo.

Postquam orbi universo timor nominis Domini et cultus eius maiestatis est annuntiatus, specialis additur pro Sion promissio v. 20 « *et venerit Sion redemptor et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus* » ; — hebr. *et venit Sioni redemptor;* Israel salvabitur docente S. Paulo ex hoc loco, quando plenitudo gentium intraverit in regnum Dei (Rom. 11, 26); unde hic et 65, 2 post gentes ad Deum conversas eius fit mentio. Qualis redemptio sit intelligenda, et ex peccatis antea enumeratis ostenditur et ex promissione iis facta qui redeunt, convertuntur a defectione in Iacob (cf. hebr.). Insuper tota descriptio a v. 16 indolem spiritualem instaurationis prae se fert. Cum veniat Deus ad salutem populi sui, nullo unquam tempore dummodo voluerint haec eis salus denegatur; verum quia gentem hanc speciali ratione Deus et elegit et eam conservatam vult, etiam conveniens est, ut demum quae prima fuit in vocatione et electione hanc quoque electionem consequatur. Quare S. Paulus ex tanta promissionis illimitatae amplitudine concludit eam speciali ratione et modo magnifico in gente iri impletum.

Uti Deus olim postquam manu forti populum suum eripuit ex servitute aegyptiaca foedus cum eo iniit, ita nunc postquam insignis bellator hostibus deiectis (v. 18) suos sibi cultores acquisivit ab occidente et oriente et ex eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob (v. 19, 20), cum his tamquam populo suo electo foedus init, foedus scil. novae theocratiae v. 21 « *hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus : spirtus meus qui est in te et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum* » ; — hebr. magis emphatice : *et ego, hoc foedus meum cum eis : spiritus meus qui est super te* etc. cf. 11, 2 ; 42, 1 ; a plenitudine enim spiritus Domini qui requiescit super Messiam omnes accipient. Pactum igitur Dei in eo consistit, ut populus theocraticus novus habeat spiritum Dei et verba Dei perpetuo. Unde in hac theocratia adest sanctitas et veritatis annuntiatio perennis, ita ut nunquam possit amitti. Spiritus Dei est perpetuus ille influxus et impulsus quo Deus per gratiam suam, per charismata, per suam in iustis inhabitationem regnum messianicum, Ecclesiam Christi, gubernat et exornat; verba eius sunt veritates revelatae et doctrinae divinae. Haec ergo perpetuo in Ecclesia aderunt; unde perpetuo Ecclesia erit sancta, magistra veritatis, quae nequeat errare vel a vero deficere, erit indefectibilis (cf. 54, 17). Forma loquendi arctam indicat illam societatem et bonorum communionem quae inter Messiam et eius Ecclesiam intercedat. Verba praeformant promissiones Christi de Spiritu s. quem sit missurus, qui discipulos in omnem inducat veritatem etc. Quare ad rem *Euseb.* : « hic itaque spiritus testamentum est; quamobrem salvator ac Dominus nos-

ter discipulis suis Spiritum dedit dicens : accipite Spiritum sanctum; hoc igitur novum testamentum est et caput mysterii, Spiritus sanctus. Manent enim et in praesenti et in futuro saeculo haec omnia secundum servatoris verba : coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt ».

Verba haec ad Isaiam dirigi aliqui censent eo modo, ut neque ab Isaia unquam recedat spiritus propheticus, neque ab iis qui ei in eo spiritu et ministerio succedant, qui filii Isaiae dici possint quomodo discipuli vocentur filii, « ut omnis per seriem generatio demonstretur, quod scil. gratia prophetarum in apostolos veniat et in eos qui de Israel per apostolos credituri sunt » (*S. Hier. Thom. Sanct. Naeg.*); alii verba referunt ad Christum (*Sa*), sed plerique recte ad Ecclesiam (cf. *Malv. For. Pint. Lap. Men. Tir. Calm. Schegg, Troch.*), quibus iam *Euseb. S. Cyr.* praeierunt. Neque opus est vi verborum hanc praedictionem proxime referre ad stirpem Iacob (*Mald.*) et ad eos qui ab iniquitate redeunt in Iacob. Nam cum in antecedentibus opus Dei describatur, quo cultores sibi effecturus sit in universo orbe et Sionem sit redempturus, ergo opus Dei quo populum sibi sit acquisiturus et in occidente et in oriente i. e. in terris gentium *atque* in Iacob, id quod sequitur : et foedus meum cum eis, aptius refertur ad totum opus Dei, non ad partem eius operis; haec enim promissio et hoc foedus etiam pertinet ad opus illud quod vates a v. 16 enarrat et ad quod efficiendum Deus bellator egreditur. Eo enim pacto operi potentiae et sanctitatis stabilitatem conciliat et hac demum promissione de toto Dei populo intellecta sanctitatem et veritatem perenniter in terra constituit, ad quam constituendam armis sese induit Dominus ; cf. 42, 6 ; 49, 6 ; 54, 15 ; 55, 5; 56, 3.

3. *Oratio tertia* 60, 1-22.

Arg. — Gloria Domini illucescit super Ierusalem, ita ut ad eius splendorem gentes et reges properent accedere. Cum ingenti gaudio cernit Ierusalem festinantes ad se ex omni terrarum parte gentes cum opibus et thesauris (60, 1-9). Omnes servient Ierusalem ; vae illis qui hanc detrectent servitutem. Quaecumque in rerum natura et in hominum thesauris pretiosa sunt, Deus pro pristina ignominia dabit Ierusalem et qui eam olim oppugnaverunt, iam humillime eam venerantur (60, 10-17). Quare abiecto omni timore perpetua salute cum Dei laudibus fruetur ; ipse Dominus erit ei in lucem et gloriam perpetuam ; populus autem sanctitate, pace, benedictione, fortitudine eminebit (60, 18-22).

Oratio haec proxime fluit ex ultima parte praecedentis. Hic enim describitur, quale opus Dominus bellator sit effecturus, qualem redemptionem Sioni allaturus et quid sit per spiritum et verbum suum opera-

turus. Unde haec oratio non est nisi continuatio prioris. Gloriam instaurationis theocratiae splendidissime delineat propheta, ut quos antea reprehensione scelerum castigaverat hos iam ostensa salutis gloria quam maxime incitet atque impellat ad obstacula salutis removenda. In solatium piorum terminum exhibet gloriosum ad quem per varias tribulationes et iudicia perveniendum sit, ut qui praesentem conditionem summopere lugent (59, 11), spe praeclara se erigant, uti idem iam saepe observavimus. In hac oratione proxime accedit vates ad huius sectionis argumentum proprium : suscepit duplicia de manu Domini, et promissiones antea indicatas (58, 8 seq. 59, 20. 21) latius prosequitur.

a) **Ad gloriam Domini in Sion gentes properant 60, 1-9.**

Uti Deus olim in columna ignis splendentis populo suo exstitit redemptor ex servitute aegyptiaca (Ex. 13, 21. 22), ita denuo in splendore et gloria apparebit Sioni eamque sua gloria reddet gloriosam, ut ex gloria Domini in Sionem effusa omnis demum terra fiat plena gloria Dei, prout iam in visione inaugurali ultimus iste operum divinorum terminus est ostensus (6, 3). Haec animo concipiens vates gratulabundus urbem sanctam alloquitur v. 1 « *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est* » ! — *Ierusalem* non adest in textu hebr. neque apud *Syrum, Aq. Sym.* (uti iam notat *Procop.*) neque legitur in versione *S. Hier.*; at ad sensum plene habendum vox rite suppletur a LXX [1], *vulg.* et *Chald.* — Iubetur *surgere;* nam ex humiliatione et deiectione orietur salus, uti est norma constans ex cap. 1, et urbs abiecta in terra sedere et lugere exhibetur quamdiu iustam Dei punitionem sustinere concipitur (cf. 3, 26 ; 51, 23-52, 3. 54, 6. 11). Quare, dum gemit : dereliquit me Dominus (49, 14), nuntius ei affertur solatio plenus : *surge* ex abiectione et luctu ! surge ad gloriam novam quae nunquam recedet, surge, ut illam capias perpetuoque teneas altitudinem in vertice montium (2, 2), tamquam signum elevatum in nationibus (11, 10) et *luce* (hebr.), luce induere et hanc lucem tamquam sol in nova theocratia diffunde in orbem terrarum. Novum quasi « fiat lux » nomine Dei vates annuntiat, qua non iam mundus aspectabilis illustretur, sed regnum Dei gratia et beatitate constans ei inferatur. Cur *luceat,* ratio affertur, *quia venit lumen tuum* id quod statim explicatur :

---

1. *S. Hier.* vocem etiam in versione graeca obelo iugulat; sed in cod. syr. hexapl. sine ullo signo critico adscripta est; cf. *Middeldorpf,* cod. syr. hexapl. p. 151, et *Field* ad h. l. Orig. Hexapl. II p. 551.

et gloria Domini super te orta est; gloria Domini iam fit lumen quo Ierusalem luceat. Quemadmodum olim nubes lucida requievit super tabernaculum foederis, ita iam gloria Domini lucens super urbem eam luce sua collustrat (cf. 4, 5) et ad participationem splendoris sui elevat. Deus enim est lux; ergo ubicumque Deus peculiari ratione sua praesentia, gratia, favore adest, ibi lux adesse concipitur. Si Deus autem tamquam redemptorem et salvatorem se venturum promittit, lumen vultus sui eminenti modo pollicetur; unde maximus ille favor iure gloria Domini appellatur. Unde *gloria* Domini optime dicitur ratione habita nubis lucidae (schechina), favoris divini eximii et summae beatitatis et glorificationis, ad quam demum redemptio hominem et suo modo etiam creaturam transferet. Haec gloria oritur super Ierusalem; sensus est idem quem in *Deo Iacob* ad quem gentes properant deprehendimus (2, 3). Deus sese manifestat in certa quadam familia, ibique bona sua reponit. Hic ergo sedem et centrum theocratiae designat, cui demum omnes nomen dare debebunt, si gloriae Domini participes esse voluerint.

Uti mons templi elevatus in vertice montium omnibus redditur conspicuus, ita sedes ac centrum theocratiae eo lumine in mundi tenebris lucet, ut non possit non suo splendore omnium se oculis inferre v. 2 « *quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos; super te autem orietur Dominus et gloria eius in te videbitur* »; — toto orbe tenebris involuto Dominus quasi sol oritur super Ierusalem et cernitur eius gloria super urbem; ita quanto splendore omnium oculos in se convertat, optime describitur. Idem vates iam proposuit 9, 2 : habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est. Tenebrae, cum Dominus h. l. ut lux et splendor repraesentetur, dicunt populorum conditionem qua sint sine Deo, sine salute vel « sine Christo, alienati a conversatione Israel et hospites (ξένοι) testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo (ἄθεοι) in hoc mundo » (Eph. 2, 12), ergo conditionem summae miseriae, in qua opera tenebrarum (Rom. 13, 12) dominabantur. Cum orbis istis tenebris est sepultus, lux qua dispellendae sunt, oritur super Ierusalem. Ergo illuminatio a Sion diffundetur, cf. 2, 3 : de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem. Cum caligo omnia occupet et tenebrae, sermo aperte regreditur ad *initium* theocratiae eius qua omnes populi sunt comprehendendi. Nam tenebrae per se dicunt statum illum a Deo alienum et infelicem et eum dicunt a fortiore hoc loco, quia iis opponitur Deus ut lumen et gloria. Quare patet prophetam non de *ultima* periodo temporis messianici loqui, sed ipsum eius initium spectare, quo revera caligo operuit gentes, dum Christus lux mundi lucem doctrinae et salutem redemptionis suae traderet

Ecclesiae in Sion, ut eo lumine orbis illustraretur. Dominus ergo splendebit super Sion; id suo modo iam in vetere theocratia quoque aderat; sed deerat alterum illud : *videbitur* gloria eius i. e. agnoscetur splendor iste in orbe universo et omnes ad Domini lucem, fontem omnium bonorum accurrent. « Ecce, inquit, obtecta est tenebris et caligine ignorationis et erroris universa terra gentium; super te autem apparebit Dominus; illuxit enim illis primum et gloria eius visa est eximia magnitudine operum et signorum » (*S. Cyr.*); venit enim ad Sionem « sol iustitiae, lumen quod omnes prophetae pollicebantur » (*S. Hier.*). Monent simile quid in Aegypto evenisse, ubi tenebrae horribiles factae sunt, ubicumque autem habitabant filii Israel lux erat (Ex. 10, 22. 23. Sap. 18, 1. *Osor. Mar.*).

Cum splendor et gloria Domini oriatur super urbem, ipsa urbs lumine hoc divino collustrata evadit lucida et splendore suo orbem illuminat v. 3 « *et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui* »; — hebr. *et ambulabunt gentes ad lumen tuum, ad splendorem exorientem tibi* (cf. *Sasb. For. Sanct. Mar. Vat. Malv.* et recentiores) i. e. « ad illud lumen quod in te fulgebit gentes undecumque convolabunt tamquam ad pharum in portu lucentem nautae salo iactati, et ad solem qui in tuis orietur finibus reges etiam et principes accedent » (*Sanct.* sim. *Lap. Tir. Men.*). Textus lat. magis effert id quod accessum ad lumen consequitur : qui hactenus errabant in tenebris neque quidquam habebant certum et tutum quod sequerentur, iam illustrati hoc coelesti lumine ambulabunt sine ullo aut periculo aut errore (*Sanct.*) vel « omnes actiones in huius lucis splendore collocabunt » (*Osor.*); *S. Hier.* eos dicit in splendore ambulare qui Christi fidei colla submittant. LXX vertunt τῷ φωτί σου i. e. « postquam luce tibi data illustrati sunt etiam ipsi ambulabunt recta et regia via ad nullum obicem in medio iacentem impingentes, sed ut in clara luce et die quantumvis noctis et tenebrarum filii omnia offendicula praetercurrentes » (*S. Cyr.*). Atque de oraculi impletione haec notat *Theod.* : « dicant Iudaei quinam reges legalem cultum amplexi sint aut quae gentes ad universorum Deum per illos adductae sint; at illi quidem ostendere non possunt, apud nos vero eventus prophetiae cernitur. Lux enim Ecclesiae Dei et gentibus affulsit et reges ad veritatem perduxit ». Ceterum vide 2, 3; 11, 10; 25, 6; 42, 6; 44, 5; 49, 6. 22; 54, 15.

Uti facies Moysis ex Dei consortio splendens est effecta, uti apostoli docente S. Paulo claritatem Christi animis conceptam in alios transfundunt (2 Cor. 3, 18. Eph. 5, 14), ita Sion lumine a Deo accepto lucens hunc splendorem quaquaversus diffundit; adest in ea salus eaque universalis, qua universalitate periodus designatur messianica. Quae

universalitas, utpote indoles propria novi foederis et a vetere theocratia aliena etiam magis declaratur v. 4 « *leva in circuitu oculos tuos et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi ; filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent* » ! — cf. 49, 18. Sion autem tristis, sterilis, pauper (49, 14 ; 54, 1. 11), unde oculis in terram demissis adstat, sed iam iubetur magna animi laetitia oculos attollere, ut ingenti exsultatione cernat filios filiasque undique ad se magno numero confluentes. Vetus theocratia enim unius populi finibus continebatur, haec ipsa in miseram conditionem propter improbitatem est delapsa ; verum ex hac humiliatione omnipotenti Dei verbo nova exsurget theocratia salutis et gloriae; quare fertur Dei mandatum efficax : *leva* etc. et cum res sit omni exspectatione maior, ut ex ruina subito ad tantam copiam et gloriam evehatur, cum emphasi dicitur *vide, tibi* venerunt ; magna illa et universalis gentium commotio annuntiatur Sioni, dum miseriis pressa et a Deo derelicta videtur (cf. 49, 21 ; 51, 17 ; 52, 1 ; 54, 1 ; 66, 8). Cum gentibus et regibus nationum (*omnes isti ;* cf. v. 3) — sed post eos ? — etiam veniunt ii qui sensu quodam magis proprio *filii* Sion dicuntur, Israelitae scil. genere per orbem dispersi ; cf. 11, 12 ; 14, 2 ; 49, 22. Hebr. *et filiae tuae ad latus gestabuntur* proprie super latus, i. e. prout nutrices filiolos in oriente gestare solent fere coxae gestantis innixos (cf. *Del.*) ; cf. 66, 12 ; 40, 11. Qui igitur infirmiores sunt, cura quoque maiore fovebuntur. In hoc gentium obsequio idem licet cernere quod S. Paulus de gentibus affirmat : *debitores* sunt eorum (Iudaeorum ; Rom. 15, 27. 1 Cor. 9, 11).

Hodiernus *vulg.* textus fert *surgent ;* id quod parallelismo congruit, dummodo *de latere* intelligatur (uti 14, 13. Ps. 47, 3) de extremis terrae partibus. At *S. Hier.* vertit et explicat *in latere sugent*, « illud significat quod animae in Christo lactentes.. sugant lac apostolorum » (*S. Hier.*). Quare *Sasb.* haud immerito notat : « verisimile est mendum et esse pro *surgent* legendum *sugent* ; sic enim habet Hieronymus in suo textu et in commentario ita interpretatur » ; et *Sanct.* : « in quibusdam codicibus est *de latere sugent*, ut observat Marianus Victorius in annot. super Hier., ubi aliquot codices numerat, ubi *sugent* legitur, quibus tu complutenses adde ». Item *For.* omnino legendum esse censet *sugent* et sic scriptum esse ab interprete. LXX habent : filiae tuae super humeros portabuntur ; sim. *Chald.* — Hebr. אָמַן confirmare, fulcire ; inde אֹמֵן, אֹמֶנֶת nutricius, nutricia. Ex quibus vocibus derivatis interpretatio intelligitur *Aq.* τιθηνηθήσονται et *Syri* nutrientur et *S. Hier.* sugent, eandem sequitur *Osor.* « uberibus lectissimarum mulierum nutrientur ».

Quanto gaudio videat Sion omnes ad se confluentes nationes, describitur v. 5 « *tunc videbis et afflues et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit*

tibi »; — hebr. *tunc videbis et splendebis* [1], scil. laetitia et exsultatione, et *pavebit* vel tremet, non metu, sed admiratione, obstupefactione de tanta rerum mutatione felicissima; est igitur sacra quaedam de eventu miro trepidatio coniuncta cum gaudio; et *dilatabitur cor tuum* i. e. « animus quondam moerore contractus et angustus tam laeta rerum vicissitudine dilatabitur » (*Sanct.*); uti tristitia animum contrahere et quasi pusillum reddere, ita laetitia expandere et magnum efficere [2] videtur. Et tanti gaudii ratio est, quia *multitudo maris* i. e. opulentia regionum maritimarum et insularum ad te convertetur; ita המון Ps. 37, 16 et Eccl. 5, 9 *divitiae,* ut iam monetur apud *Malv.* et *For.* et explicant LXX πλοῦτος θαλάσσης, *Syrus, Chald.*; ita quoque videtur *S. Hier.* multitudinem intellexisse, cum in commentario scribat : « an non est gaudium cernere divitias et multitudinem maris ad se transferri atque converti et fortitudinem gentium venire sibi, ut quidquid in saeculo et orbe terrarum est suum sit » et sequuntur *Osor. Sa* et recentiorum multi; vel qui opes et divitias non *in multitudine* explicant easdem plerumque in *fortitudine* gentium designari censent (cf. *S. Thom. Sanct. Mar. Malv. Calm. Rohl. Troch. Sein. Del. Naeg.*). Ceterum bene notat iam *For.* חַיִל accipi posse vel pro exercitu et robore vel pro divitiis ; « quod si per divitias, aurum et argentum et cetera quae mox commemorat intelligas vires, ingenium, industriam, artes, scientias et huiusmodi quae veriores divitiae sunt quam illae aliae, haec omnia quoque ad Christi Ecclesiam devoluta esse nemo est qui ignoret » (*For.*). Neque multum interest, utrum de robore vel numero et praestantia gentium, an de earum thesauris (quae frequens est notio חַיִל) explices; nam semper gentes simul cum suis opibus intelligi patet. In subseq. v. 6. 7 opes gentium commemorantur et in v. 8. 9 multitudo earum e longinquo simul cum opibus. Notes velim h. l. loquendi modum חֵיל גּוֹיִם יָבֹאוּ quae sententia et re et fere verbis quoque expressa est apud prophetam Aggaeum (vide ad Agg. 2, 7; comment. in proph. min. II p. 192). De impletione scribit *Theod.* : « neque hoc Iudaeis convenit; quorum enim quaeso gentium et populorum ad illos allatae sunt divitiae? At Ecclesia Dei ea recipit quae olim daemonibus offerebantur et amarum quondam mare gentium, crucis ligno dulce redditum, munera offert Ecclesiae Dei ».

Iam istae divitiae et populorum multitudo accuratius per singula re-

---

1. Hebr. נהר; unde explicatur *afflues;* sed vox notionem quoque lucendi habet; cf. Ps. 34, 6 : accedite ad eum et *illuminamini;* Iob 3, 4. Eadem est notio in chaldaico; cf. Dan. 2, 22; 5, 11. 14. *Theod.* habet χαρήσῃ : *Syrus* et *Chald.* praebent vocem נהר quae in utraque dialecto significationem *lucendi* habet.

2. LXX ἐκστήσῃ; hebr. quoque fertur lectio רחב.

censentur v. 6 « *inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha; omnes de Saba venient aurum et thus deferentes et laudem Domino annuntiantes;* v. 7 *omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi; offerentur super placabili altari meo et domum maiestatis meae glorificabo* »; — enumerantur nationes quae negotiationem exercent et quae vitam degunt pastoriciam; unde et qui cultiore vitae genere utuntur et qui simpliciore ac rudiore, pariter vocari ad theocratiam declaratur. Qui negotiationi operam dant magno numero afferunt munera, ita ut regio sionitica quasi inundatione quadam camelorum videatur operta. Madianitae ad quos etiam tribus Epha pertinet (cf. Gen. 25, 2. 4) sedes habebant in litore orientali sinus aelanitici; ex Saba, i. e. Arabia felice (cf. 3 Reg. 10, 2. Ier. 6, 20. Iob 6, 19) aurum et thus afferunt neque ad lucrum faciendum, sed laudes Dei enuntiantes. Hisce adiunguntur qui vitam agunt pastoriciam; Cedareni (cf. 21, 17; 42, 11) greges pascebant in deserto inter Syriam et Babyloniam interiacente et Nabaioth (quos eosdem censent plerique ac Nabataeos) ex Ismael oriundi (Gen. 25, 13) eandem fere regionem incolebant. Isti greges suos Domino sistent et Dominus cum beneplacito munera eorum accipit; *ministrabunt tibi,* Sioni, theocratiae etiam pastores illi cum suis rebus et opibus se tradent ad Dei causam iuvandam; *ascendunt cum beneplacito altare meum* (hebr.) i. e. eorum sacrificia Deus rata et grata habet, uti 56, 7; adoratio et cultus Dei, uti saepius, ad normam veteris theocratiae exhibetur. Hisce omnibus *domum decoris mei exornabo* (hebr.); cum enim tanto cum studio nationes cum opibus accurrant, domus Dei ea gloria et magnificentia decorabitur quae longe sublimior est gloria templi antiqui (cf. Agg. 2, 8. 9). Uti Ierusalem hic intelligitur centrum et sedes theocratiae, et uti mons Sion (2, 2) ad quem omnes gentes confluunt, non est collis ille urbis regiae qua talis, ita hoc quoque loco non de templo hierosolymitano erit cogitandum, sed de templo quod Messias tamquam alter Salomon erit aedificaturus (cf. 2 Reg. 7, 13), cuius mentionem etiam facit propheta Zacharias (6, 12. 13) et quod post Ezechielem (43, 12; 45, 13) etiam Daniel (9, 24) tamquam ultimum operum messianicorum designare videtur. In tali sanctuario a Messia consecrato utique quam maxime aderit gloria et magnificentia Domini (cf. 4, 5. 6).

Cum igitur neque de urbe Ierusalem qua tali neque de templo qua tali sermo sit, verum solum idea illa efferatur theocratiae novae ex vetere exsurgentis (cf. ad 2, 2), iam per se patet de sacrificiis arietum ritu mosaico faciendis verba illa non posse intelligi. Nam in theocratia universali leges caerimoniales non observatum iri poterat ex variis indiciis iam tempore veteris foederis colligi. Eo ipso enim quod particularis illa theocratia ad fines palaestinenses restricta sublimiore

altera et universali abolenda est, per se multa praecepta necessario concidunt. Cultum mosaicum fore abolendum, clarissime docet Ieremias affirmans in novo rerum ordine arcam testamenti Domini nullo modo desiderari neque eius fieri recordationem (Ier. 3, 16). Sed arca haec erat centrum cultus; ad eam immediate vel mediate cuncta sacrificia sanguinis aspersione applicabantur tamquam ad locum unde propitiatio et expiatio fiebat. Proinde si eius ne mentio quidem fit, evidens est cultum ritu mosaico et legali exercendum plane esse abolitum. Eandem abolitionem Malachias (1, 11) enuntiat. Quodsi nihilominus prophetae de illis sacrificiis etiam tempore messianico loquuntur, ratio est eadem qua nominibus veteris theocratiae novam quoque designant. Sicut enim nomina Sionis et Ierusalem ipsa illa notione et functione quam in vetere theocratia habent apta efficiuntur, quibus nova quoque appelletur, ita sacrificia vetera in quibus cultus Dei et adoratio consistebant, hac sua significatione apta sunt quae pro *symbolis* adhibeantur cultus et adorationis Dei. Praeterea cum prophetae genus dicendi plerumque seligant imaginibus notis aptisque distinctum, quid ad cultum Dei delineandum magis accommodatum esse potuit, quam sacrificiorum propositio? hisce enim assueti erant omnes, iis coli Deum sciebant omnes, ergo illa aptissima evadunt symbola, quibus cultus et adoratio Dei non verbis solum sed rebus depingatur. Insuper cum rebus veteris foederis typica insit ratio qua sicut umbra corpus, ita novum foedus aliquo modo adumbrant, potiore iure res illae adhibentur quibus res similes novi testamenti designentur.

Ostendit quomodo nationes orientales ad Sionem eiusque lucem accedant; iam quanto etiam studio ex occidente ad splendorem Sionis ferantur declarat; ita implebitur quod supra dixit 59, 19 : et timebunt qui ab occidente nomen eius et qui ab ortu solis gloriam eius. Iam multitudo *maris* in v. 5 accuratius explicatur v. 8 « *qui sunt isti qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas?* v. 9 *me enim insulae exspectant et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum et aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui et Sancto Israel quia glorificavit te* »; — ab oriente aciem mentis convertens ad occidentem cernit vates naves celeriter advenientes; sicut nubes vento impulsae properant, ita naves velis inflatis; et ut columbae impetu et desiderio quodam feruntur ad columbarii fenestras, ita naves expansis velis quasi alis advolare videntur. Quid sibi velint naves, respondet Deus : ecce, iam completur quod de opere servi Domini annuntiavi : iudicium gentibus proferet, legem eius insulae exspectabunt (42, 1. 4); quia gentes longinquae desiderio Dei et salutis tenentur, ideo citato cursu ad Sionem properant. Inter naves autem velis albis et expansis procul advenientes agmen ducunt naves Tharsis; in hebr. *naves Tharsis in primo loco* vel ordine, in fronte, uti bene LXX πλοῖα Θαρσὶς ἐν πρώτοις. De Tharsis vide ad 2, 16; 23, 1 et ad Ion. 1, 3. Tharsis adhibetur ad regionem quam maxime remotam designandam;

unde salutem esse universalem et theocratiam iam omnes gentes suo complecti debere sinu demonstratur. Fortasse non sine arcano consilio divino res ita exhibetur, ut dum ex oriente nationes non adeo remotae nominentur, ex occidente longinquarum fiat mentio. Nonne Ecclesia Christi potissimum ad occidentem versus propagabatur, dum in regionibus a Palaestina orientalibus arctioribus contineretur limitibus et adhuc contineatur? Pompa festiva qua naves advehuntur magnificentior est magisque ad admirationem facta, si naves e remotissima regione primo ordine sistuntur. Adducunt filios Sion; cf. 14, 2; 49, 22; ergo indicatur quod S. Paulus quoque effert conversione gentium fieri, ut ipsi quoque filii Israel misericordiam consequantur et conversionem gentium inservire ad eos reducendos (Rom. 11, 14. 31). Gentes autem se et opes suas consecrant et dedicant *nomini Iahve Dei tui* i. e. Deum venerantur qui in Sion et Ierusalem suam reposuerit revelationem; ergo *talem* Deum colunt (cf. 2, 3) qui in ea gente et eo modo *nomen* suum se suaque consilia et opera patefecit. Quare *Sanctus Israel* appellatur, qui ut in se est sanctus, ita sanctitatem suam relucere vult in theocratia (cf. 6, 3). Tanto autem fervore et studio se suaque Domino consecrant, *quia exornavit te* (hebr.), quia Deus theocratiam suam magno splendore ac gloria exornare vult (cf. v. 8). In cursu citato et in muneribus adumbrari devotionem et virtutes bene notat *S. Cyr.*, non quidem ac si aurum et argentum immediate ad virtutes esset transferendum, sed quia oblatione rerum pretiosarum animorum promptitudo ac studium Deo carissima quaeque dedicandi declaratur; unde talis oblatio signum est ex quo ad virtutes animis inhaerentes fit conclusio. Itaque « intelliges venturos per fidem et fructificaturos Christo aurum et argentum et non simpliciter illam materiam sed veluti quae in nobis sunt pretiosa et illustria et magni facienda, fidem scil. omniumque virtutum splendorem; haec enim sunt Deo xenia, haec spiritualis cultus anathemata et donaria illustria et admiranda » (cf. Ps. 71, 10. 11). Monet *Theod.* ut si quis hunc locum liquido intelligere velit, « is in publicis festis vel dominicis vel sanctorum martyrum concurrentes turbas consideret atque has quidem vel filias in ulnis gestantes vel manibus ductantes, illos vero cum filiis procedentes, ac re ipsa spirituales columbas videbit cum pullis volantes et ad novam Sionem adventantes » (LXX enim habent ὡς περιστεραὶ σὺν νεοσσοῖς).

b) Splendor Ierusalem 60, 10-17.

Gentes autem ab oriente (v. 6. 7) et ab occidente (v. 8. 9) venient, ut aedificent Ierusalem eique serviant v. 10 « *Et aedificabunt filii pere-*

grinorum muros tuos et reges eorum ministrabunt tibi; in indignatione enim mea percussi te et in reconciliatione mea misertus sum tui » ; — cf. 49, 17 ; 54, 2 seq. ; uti instauratio messianica per reditum ex Babylone praeparabatur, ita reditus ille et quae eum secuta sunt saepe similitudinem quandam et quasi praeludia quaedam illius maioris instaurationis exhibent. Idem hoc loco cernitur. Nam in urbis restaurationem filios alienigenarum aliquid operis contulisse, Esdras nos docet (cap. 6. 7). Quare allusionem ad eventum contineri illum hoc loco facile concesseris (cf. *Theod. Procop. S. Thom. Sanct. Lap. Men. Tir.*), at primo et per se de illo reditu non institui sermonem, antecedentibus ostenditur. Muri urbis symbolice dicuntur de nova theocratia messianica aedificanda. Nexum qui adsit inter Ierusalem sedem veteris theocratiae et symbolum typumque novae in altero membro Deus iterum declarat, simul indicans novam exorituram esse ex conditione humili et abiecta veteris reipublicae vel theocratiae, in quam propter populi improbitatem devenerit; novam autem theocratiam opus esse gratiae, misericordiae, beneplaciti Dei (cf. 12, 1 ; 51, 22 ; 54, 6. 11 etc.). Hanc autem theocratiam novam alienigenae aedificare dicuntur. Nonne iam innuitur, quod postmodum etiam clarius effertur 65, 1. 2, maiorem partem Israelitarum novae theocratiae messianae nomen non daturam, verum Ecclesiam aedificari per gentes? De qua re verba haec accipiunt *Euseb. S. Cyr. Hier.* ; unde theocratiam quae olim, ut *S. Hier.* loquitur, afflicta erat et captivitati tradita in populo Iudaeorum, Deus restituet in vocatione gentium, ipsam aedificationem de doctrina et virtutibus omnibusque illis quibus regnum Dei in terris constituitur ac propagatur interpretaberis (cf. *S. Hier. Cyr. Sanct.*). De ministerio regum haec laudat *S. Cyr.* : « et reges dicit vel principes et duces populorum qui assistunt Ecclesiae Christi satellitio velut munientes eam et liberos eius tamquam scuto protegentes ac omnem hostium impetum propellentes ».

Theocratiam hanc pro omnibus destinari et continuo augmento crescere debere indicatur v. 11 « *et aperientur portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium et reges earum adducantur* » ; — urbs illa tanto splendore a Deo exornata (v. 3) portis suis iugiter apertis continuo omnes invitat iisque offert opportunitatem, ut bonorum divinorum in ea repositorum se reddant participes. Et voluntate Dei portae manent apertae, ut gentibus indicetur necessitas intrandi; unde *ut afferatur fortitudo* sive divitiae gentium (*S. Hier.*), ut gentes et reges eius urbis servitio se dedant. Portae die ac nocte apertae summam quoque securitatem ab impetu hostili indicant; vide Zach. 2, 5 : ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Si autem theocratia pro omnibus datur, omnes tenentur ei se adiungere. Quare sollemnis additur

sanctio v. 12 « *gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit et gentes solitudine vastabuntur* »; — de hac nova theocratia proinde valet quod propheta 8, 9. 10 enuntiavit et quod per cap. 13-27 explicuit de nationibus et quod in hac parte de inimicis Messiae iam saepius edixit; cf. 49, 26; 50, 11; 51, 23; 54, 17; 57, 20; sim. Dan. 2, 44. Zach. 14, 17-19. Praeformatur illud : non est aliud nomen datum hominibus in quo nos oporteat salvos fieri, et extra Ecclesiam non est salus. Deus tamquam normam qua nationum sortes regantur fidem illarum ac devotionem ponit qua theocratiae, regno Dei, assistunt; veram populorum felicitatem reponi in arcta eorum cum regno Dei coniunctione. Sanctione hac quam maxime declaratur Ecclesiam fore invictam. Si eae gentes interire debent quae nolint servire, etiam peiori ruinae illae devovebuntur, quae regnum Dei impugnant. Natio aliqua solitudine vastatur non solum si tamquam natio destruitur vel ab alia gente dura servitute subiicitur, verum etiam si morum probitate et integritate sublata internis dissidiis et periculis obiicitur.

Tantae igitur dignitatis est regnum Dei, ut ei omnes fidem et officium pendere debeant et ut in ea fide populorum salus ac prosperitas constituatur. Cum eo dignitatis loco positum sit, decet ut omni ornatu a Domino donetur, quo splendens maiore efficacia omnium ad se oculos animosque attrahat. Quare pergitur v. 13 « *gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meae et locum pedum meorum glorificabo* »; — cf. 35, 2; 41, 19; 55, 13. Nova Sion omni modo longe praecellet prae vetere. Cum ergo in veterem illata fuerint ligna cedrina ad aedificandam domum saltus Libani et ad templum (3 Reg. 5, 6; 10, 17. 21. 2 Par. 2, 8; 9, 20. Esdr. 3, 7), novae Sioni iam tota gloria et magnificentia Libani datur. Haec symbolice intelligenda esse ex ipsa notione novae Sionis vel Ierusalem sequitur. Splendor regni messianici hoc loco uti saepius ex rerum naturalium pulchritudine et amoenitate describitur (cf. 35, 1; 41, 19) idque eo rectius quia in creaturae quoque glorificationem benedictio regni huius redundabit (cf. ad 11, 6). In tali promissione continetur Deum regno messianico non solum protectionem daturum, verum etiam illud gloriosum et illustre effecturum coram gentibus. In hebr. nominantur *cypressus, platanus* [1] et cedri species *scherbin*, ut multi explicant (cf. 41, 19), LXX nominant cypressum, pinum et cedrum. Vult igitur Deus locum sui sanctuarii ornare et locum pedum reddere gloriosum; est enim ipse Deus gloriae, unde decet ea omnia peculiari gloria exornari, quae sin-

1. Sed vide quae ad 41, 19 dicta sunt.

gulari eius praesentia honorantur vel ad eius cultum referuntur. Adest allusio ad gloriam templi; *locus pedum* dicitur de arca, quia Deus sedens super cherubim concipiebatur (cf. 1 Reg. 4, 4. 2 Reg. 6, 2), ita ut arca esset quasi scabellum pedum eius, vide 1 Par. 28, 2. Lament. 2, 1. Ps. 98, 5; hoc loco autem generatim de nova Sion, quia omnis locus montis Sion et tota populorum congregatio iam peculiare Dei sanctuarium efficietur (cf. 4, 5. 6. Zach. 14, 21).

Sicut res inanimatae suum Sioni splendorem conferunt, ita homines quoque v. 14 « *et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi et vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israel* »; — quale sit discrimen inter veterem theocratiam et novam, ulterius delineatur. Hebr. *prosternent se ad plantas pedum tuorum omnes qui te spreverunt;* extremum est obsequium quo patrum suorum culpam expiant et iniuriam olim illatam. Urbem non ut antea probrosis discindunt dicteriis, sed eam agnoscunt et profitentur *civitatem Domini,* quam Dominus fundavit et in qua regni sui sedem collocat, *Sion Sancti Israel,* urbem quae nunc plane consecrata sit Sancto Israel et eius in se referat sanctitatem, neque unquam ab hac sanctitate deficere poterit sed perpetuo et arctissimo vinculo coniuncta erit Sancto Israel, ita ut appellatio haec ei continuo pleno iure debeatur. Hac sua professione re et verbis facta qui olim erant inimici et contemptores theocratiae quantam animi mutationem subierint clare enuntiant. Habet ergo regnum Dei hanc in se vim, ut ex hostibus et persecutoribus efficiat fideles et humiles cultores. Et revera quot facti sunt ex persecutoribus Ecclesiae defensores! Describitur ergo Ecclesia tamquam victrix et dominatrix gentium (*Sanct.*); « si quispiam velit posteros eorum regum qui persecuti sunt Ecclesiam dicere qui nunc cum honore et timore ad eam veniunt et divinam quasi civitatem suspiciunt, non discedit a scopo; videmus enim exemplis rem ad eum eventum deductam » (*S. Cyr.*); cf. 45, 14.

Hanc rerum mutationem et maximam vim quam regnum Dei in animos gentium exercebit, ulterius vates describit ita, ut Ierusalem revera *duplicia* accepisse de manu Domini clare proponatur v. 15 « *pro eo quod fuisti derelicta et odio habita et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem,* v. 16 *et suges lac gentium et mamilla regum lactaberis et scies, quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus fortis Iacob* »; — vetus theocratia erat desolationi exposita, a gentibus odio habita, contempta, conculcata, et cum urbs Ierusalem ruinis prostrata iaceret, incolis erat destituta; instauratione autem fiet *decus perpetuum, exsultatio* vel deliciae *generationis et generationis* (hebr.); cf. 49, 18 seq. 54, 1

seq.; ergo pro ignominia accipiet decus et gloriam; pro odio erit cunctis gaudio et exsultationi. Inde gentium opibus quasi lacte nutrietur et regum benignitate quasi matrum amantissimarum cura sustentabitur (*Osor.*); ita experimento cognoscet quantae sit benignitatis et fortitudinis Dominus salvator. Pro *mamilla regum* LXX praebent πλοῦτον, *Syrus* et *Chald.* praedam [1]; ne modus loquendi sit nimis inusitatus, explica : nutricibus optimis, quales provideri solent regibus, tu traderis (cf. *Sanct. Tir.*). Notat *Malv.* : « contra nunc reges, o dedecus! Ecclesiam emungunt et exsugunt ».

Ad externam hanc dignitatem, venerationem, pompam addit propheta, quantopere interno valore et pretio instaurata theocratia emineat prae vetere. Id exprimitur symbolice, fore scil. aedificationem novam ex materia multo pretiosiore v. 17 « *pro aere afferam aurum et pro ferro afferam argentum et pro lignis aes et pro lapidibus ferrum et ponam visitationem tuam pacem et praepositos tuos iustitiam* »; — « magna hic ostenditur rerum mutatio, dum vilia et sordida cum pretiosis et raris commutantur » (*Sanct.*). Quale sit discrimen dignitatis et bonorum utrique foederi propriorum, hoc loco describitur; unde bene *For.* : « commutationem tristium in res laetas vidimus superiori versu; hic credo attingere prophetam commutationem etiam bonorum in alia bona » (sim. *S. Hier. Cyr. Theod. Mald.*) et exemplis illustrat *Osor.* : pro circumcisione baptisma, pro legis piaculis et umbris iustitiae et imaginibus solida iustitiae et sanctitatis ornamenta et sacramenta, pro aedificiis interituris aedes et moenia quae nunquam vel ab hoste dirui vel senio consumi possint etc. Symbolo ergo aedificationis forte cum allusione ad tempora opesque Salomonis in modo loquendi (cf. 3 Reg. 10, 21. 27. *Lap. Tir.*) ostenditur (cf. 54, 11. 12) alia lege aliisque plane modis novam institui theocratiam eamque ad altiorem dignitatem, stabilitatem instaurari. In auro et argento cernes dignitatem maiorem, ad quam conferes verba Christi : amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno coelorum maior est illo (Matth. 11, 11) et doctrinam S. Pauli de herede parvulo qui quamvis filius, sit tamquam servus sub tutoribus et actoribus et de dignitate illorum qui per baptismum induerunt Christum (Gal. 3, 27; 4, 1 seq). In hac autem urbe ita instaurata dominantur et custodiam habent *pax et iustitia,* duo illa quibus periodus messiana saepe declaratur, *pax* omnium bonorum cumulus, beatitas, *iustitia* ius et norma divina, sanctitas. Explica *visitationem* munus quale est pastoris vel magistratus of-

---

1. *Aq. Sym. Theod.* καὶ μασθὸν βασιλέων θηλάσεις. At num textus *mas.* non indiget emendatione? cf. 49, 23 : et erunt *reginae* nutrices tuae.

ficium (*For. Sanct.*); *pax* igitur eius reipublicae gubernacula tractabit (*Osor.*), pax leges imperii et dominationis dabit (cf. 2, 4) et *iustitia* vel sanctitas munus obibit vigilum vel custodum, ut sancte omnia et rite fiant, ne quid mali vel improbi clam irrepat. Igitur indoles instaurationis spiritualis quam clarissime designatur. Sic demum Sion restituitur secundum normam illam et formam quam apud Deum esse repositam propheta iterato nos docuit (cf. 1, 26; 49, 16). De personificatione pacis cf. 32, 16; 45, 8; 59, 14.

c) Sanctitas Ierusalem 60, 18-22.

Cum pace et iustitia tamquam lege suprema omnia devinciantur et contineantur, longe aberit quodvis malum v. 18 « *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos et portas tuas laudatio* »; — simul cum improbitate aberunt quae ex illa iusto Dei iudicio consequuntur : vastitas et exitium (cf. 1, 7. Lev. 26, 17); prosperitas et securitas indicium est verae iustitiae et pietatis qua Dei populus legem divinam vita exprimit. Et eam adesse sanctitatem altero membro designatur : *et vocas salutem muros tuos et portas tuas laudem* (hebr.) i. e. salutis praesidio quasi muris munieris et laude divina et gratiarum actione qua salutem a Deo concessam celebras quasi portis ab hostium incursu protegeris. Salus messianica et huius salutis agnitio, celebratio, gratiarum actio praesidium constituunt theocratiae; in his omnis spes felicitatis reponitur. Bene perpendi oportet, quam distincte indoles spiritualis hisce denuo exprimatur. Non moenibus et portis urbs indiget, verum habet in salute et in laudatione huius salutis potentissimam suam protectionem (cf. Zach. 2, 5). Cum igitur muri consistant in *salute,* simul ab ipso propheta nobis explicatur, qua ratione aedificatio v. 10 et alibi (49, 17. 19) concipi debeat; uti 54, 11-14, sic hic quoque spiritualem intelligi aedificationem declaratur. Ceterum vide 26, 1.

Urbs autem talis superior est vicissitudinibus rerum naturalium neque in iis iam ulla spes aut beatitas collocatur, verum in solo Deo, qui cognitione sua ut lumine clarissimo atque nunquam deficiente omnia abundanter complet : v. 19 « *non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam* »; — quanta luminis et gloriae abundantia Dominus oriturus sit super Ierusalem (v. 1), hic comparatione effertur; eius enim lucis splendore et sol et luna evanescere neque iam splendere videntur; unde magnitudo luminis divini infertur, quod cum simul sit sempiternum et omnia quae a rebus creatis praestari possint, eminentissime suppleat, urbem esse a rerum caduca-

rum mutabilitate independentem innuitur. Urbs iam non alia luce regitur nisi « luce divina et intelligentia percepta quam credentium cordibus immittit universorum servator » (*S. Cyr.*) ; hac ergo omnia fiunt et disponuntur; non iam temporariam ac perituram gloriam ambiet urbs (*Mald.*), sed solus Deus erit laetitiae eius causa, in eo solo delectabitur (*Mar.*); ipse erit lux *sempiterna,* hisce in terris radiis suae doctrinae, favoris et gratiae illuminans, in coelo vero lumine gloriae et beatificae visionis in aeternum recreans; unde hisce in terris solum inchoate, perfecte in coelis est nobis lux et gloria (cf. *Lap. Tir.*). Verba sane tam ampla sunt, ut et tempus et aeternitatem comprehendant (cf. *S. Hier. Cyr. Theod. Sanct. Pint. Calm.*); ea autem minime ita esse intelligenda ac si sol vel luna e rerum natura delerentur, et aliis locutionibus constat, de quibus vide 24, 23 et 30, 26, et sequentibus patet.

Uti Dominus non novit vicissitudinis umbram, ita aliquid suae immutabilitatis quasi cum urbe communicare videtur v. 20 « *non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam et complebuntur dies luctus tui* »; — sol *tuus* hoc loco eadem notione ac translatione dicitur, qua alibi de luce i. e. de felicitate est sermo. Declaratur igitur status quidam permanens et immutabilis salutis, cuius ratio et fundamentum in luce Dei, in eius favore et gratia perenni constituitur; quare additur dies luctus esse completos i. e. urbem instauratam, novam theocratiam esse indefectibilem neque unquam fore, ut in similem luctum et miseriam demergatur, sicut vetus; quare eo quoque nomine prae illa praestat. Cum itaque Dominus dicatur *sol* urbis, versus antecedens similitudinis nota fere intellecta explicandus erit : « non iam amplius lux tua, o Ecclesia, erit sicut lux solis, qui non semper nobis conservat quem induxit diem, neque quasi lunae splendor qui et ipse varius est et alienus et menstruis spatiis nobis eripitur, sed erit perpetuus, ita ut nulla mutatione deficiat aut quoquam abeat ab oculis Ecclesiae » (*Sanct.*). Hos locos ob oculos habuisse videtur propheta novi foederis Apoc. 21, 23; 22, 5; unde facile concludimus vatem hic complexu quodam ita loqui, ut *plena* rerum adimpletio habeatur in aeternitate.

Quid luce illa divina urbem collustrante efficiatur, proponitur v. 21 « *populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum* »; — nunc est impletum in sanctitate novae theocratiae : plena est omnis terra gloria eius (6, 3); nunc vinea Domini facta est plantatio deliciarum (cf. 5, 7; 27, 2 seq.), et in ea sanctitate cernitur opus potentiae divinae, qua populum sanctum sibi creavit (cf. 19, 25) ad suam gloriam, uti supra dictum est 49, 3 et 55, 5. Et quia populus sanctus est, sine ulla per-

turbatione possidebunt terram et habitabunt in hereditate Domini; vide ad 51, 22; 54, 9; terram possidere in vetere foedere idem erat atque in sorte a Domino data inhabitare, bonis foederis frui et certissimo pignore gratiae et benevolentiae Dei potiri. Haec cum in perpetuum promittantur, perpetua quoque Ecclesiae sanctitas et indefectibilitas denuo asseritur atque simul Ecclesiam triumphantem in hereditate Domini coelesti designari ipsa verborum amplitudine suadetur. Si enim iam in vetere foedere simul cum hereditate terrae palaestinensis docente S. Paulo (Hebr. 4, 3 seq.) altior patria et requies proponebatur, a fortiore in theocratia instaurata possessio terrae ita erit intelligenda, ut patria demum coelesti hereditas illa absolvatur, immo in ea potissimum consistat. Eo enim modo Deus est lux perpetua, ad cuius fruitionem iustos vocari ex ipsius mortis tenebris vates iam 26, 19 docuit.

Germen autem huius plantationis, uti decet plantationem divinam, fertilitate et amplitudine erit insigne; ita et communione nominis (cf. hebr. נֵצֶר hic et 11, 1) et mentione incrementi et fertilitatis Ecclesia cum capite suo comparatur et intimus nexus inter Christum et Ecclesiam indicatur. Sicut enim 11, 1 de Christo : et surculus (germen) fructum afferet, ita hic in germine plantationis illud *fructum afferet* exponitur v. 22 « *minimus erit in mille et parvulus in gentem fortissimam; ego Dominus in tempore eius subito faciam istud* » ; — i. e. ex parvis initiis populus Dei exorietur numero potens; vide ad 49, 21; 54, 1; 66, 8. Os. 1, 10. Mich. 4, 7 etc. Denuo indicatur salutem exorituram ex conditione humili idque per modum comparationis declaratur; ad locutionem confer : faciam te crescere vehementissime, faciam illum in gentem magnam, eris in gentem magnam etc. (Gen. 17, 6. 20 ; 18, 18) et : crescas in mille millia (Gen. 24, 60). Quod quam vere in Ecclesia impletum sit neminem latet [1]; « fuit olim Ecclesia in suis incunabulis exigua et cum acerbe iactaretur ab humana potentia vulgo putabatur infirma; nunc iam illam pollicetur multitudinem, virtutem et robur, ut familia exigua numero in millia crescat i. e. in numerosam sobolem, et quae infirma erat in gentem robustam » (*Sanct.*). Simul innuitur Deum istam sobolem numerosam et potentem procreaturum esse per eos qui hominum iudicio parvi et pauci sunt; vide 1 Cor. 1, 27; quare bene monent *For. Lap.* etc. apostolos multa millia regno Dei aggregasse. Ita parvulum illud ab initio germen, parvulus ille surculus, quia a Domino plantatur, plurimum crescet et plurimos alios surculos germinabit et

---

1. *S. Ephr.* : « pauci erant et facti sunt in millia ; pauci erant initio et brevi tempore facti sunt in populum fortem ».

producet. Quam continua fertilitate Ecclesia Dei sit praedita et quantum utilitatis unusquisque, dummodo gratiis concessis utatur, pro Ecclesiae incremento possit afferre, ea comparatione ostenditur.

Demum quasi sigillum divinum promissioni adeo laetae apponitur : *ego Iahve in tempore suo accelerabo illud* (hebr.); opus est enim *Dei*, opus gratiae; ipse Deus id debebit efficere; conatus humani et desideria in eo rerum ordine per se nihil efficiunt. Deus autem ipse faciet *suo tempore*, quando ipsi placuerit vel quando eius sapientiae tempus opportunum adesse videbitur. En, praeformatur illud : non est vestrum nosse tempora et momenta quae Pater posuit in sua potestate (Act. 1, 7)! Quando ergo instauratio futura sit, sola Dei scientia comprehendi vates enuntiat. Sed si plenitudo illa temporis advenerit, tunc Deus id quod promisit *accelerabit*, tunc subito et celeriter ad omnium admirationem, ita ut opus potentiae divinae innotescat, nova Ierusalem, nova theocratia, Ecclesia exorietur (cf. 49, 18. 21; 66, 8). Quae Ecclesia ex gentibus potissimum colligenda cum in primitiis gentium, in magis scil. ad praesepe Domini vocatis, quasi primo orta sit, et cum in iis gloria Domini primo effulserit in lucem gentium, aptissime iubemur festo Epiphaniae tempore hoc vaticinium in lectionibus liturgicis recolere; idque eo magis quoniam eo festo Domino sollemnes gratiae aguntur, quia gentibus apparuit, quia id effectum est, ut gentes ambularent ad lucem Ierusalem et reges ad splendorem ei exorientem (60, 3).

4. *Oratio quarta* 61, 1-11.

Arg. — Annuntiat servus Domini, se spiritu Domini instructum missumque esse, ut liberationem et redemptionem afflictis praedicet eosque maximis bonis praestitis consoletur (61, 1-3). Regiones desertae et vastatae restituentur; alienigenae servient populo electo et gentium thesauris ornato. Ita abundanti felicitate fruetur populus Dei et sanctitate adeo, ut tamquam a Deo benedicti ab omnibus celebrentur (61, 4-9). Acceptum hoc beneficium cum exsultatione praedicant, Deo gratias agunt, sibi gratulantur et Domini laudem et gloriam ubique celebrari exoptant (61, 10-11).

Hac oratione declaratur per quem opus illud de quo in antecedente oratione sermo erat, et gloria illa Ierusalem effici debeat. Utique in fine orationis dictum erat : ego Dominus suo tempore accelerabo illud, et ita Dominus ut eius operis auctor princeps declaratur, uti 42, 13 et 59, 15. 16. Sed quemadmodum in sectione priore Deo auctori principali adiungitur alter liberator et mediator per quem Deus liberationem (et

priorem et alteram, messianicam) est operaturus, ita consequens est, ut splendore novae theocratiae descripto is designetur per quem theocratia sit instituenda et ad gloriam illam provehenda. Quem in finem apte notat *Lap.* : « descripsit capite praecedenti propheta miram Ecclesiae gentium ad Christum conversionem, desponsationem, confluentiam et laetitiam ; nunc eius causam affert, nimirum eius sponsum, Christum Dominum, qui hanc conversionem et desponsationem facturus est ; eum ergo hic loquentem inducit ». Iterum clare effertur indoles instaurationis spiritualis ; denuo inculcatur non omnibus gente Iudaeis salutem obventuram, sed contritis corde et lugentibus Sion ; demum edocentur quibus animorum sensibus redempti et tot gratiis ornati debeant Deo gratiarum actionem refundere. Unde haec oratio arcte antecedenti adiungitur eamque complet.

a) Opus redemptionis per Messiam 61, 1-3.

Per quem Deus auctor principalis redemptionem et gloriam populi sui sit in opus deducturus, iam in antecedentibus 42, 1 seq. 49, 1 seq. 52, 15 et 53, 10 seq. satis est expositum. Nam *servus Domini* dicitur fore in foedus populi, in lucem gentium et beneplacitum Domini in eius manu iri directum et ad eventum prosperum perductum. Unde si nunc aliquis loquens inducitur qui se a Domino missum profitetur ad opus illud redemptionis et gloriae suo labore et conatu perficiendum, quis ille sit, in hac rerum serie dubitari iam minime potest. Uti 49, 1 seq. 50, 4 ita hoc quoque loco servus Domini loquitur v. 1 « *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem* » ; — prima statim sententia quis sit loquens apertissime declaratur ; nam 11, 2 et 42, 1 is super quem requiescat spiritus Domini iam est descriptus. Igitur profitetur se accepisse spiritum Domini, se regi et impelli ab hoc spiritu in omnibus et se igitur spiritu Domini repletum et maxima cum Deo unione et societate intima vivere continuo et agere. Eam autem spiritus communicationem et societatem unionemque iniit, *quia Iahve eum unxit.* Unctio fiebat oleo sacro ad consecrandos sacerdotes ; ita ungebatur pontifex : oleum unctionis fundes super caput eius atque hoc ritu consecrabitur (Ex. 29, 7 ; cf. Ex. 40, 13. Lev. 4, 3. 16 ; 6, 15 hebr. 8, 12 ; 16, 32 ; 21, 10) ; ita quoque sacerdotes aaronitici (Ex. 28, 41 ; 40, 13. Lev. 7, 35 hebr. Num 3, 3) ; ungebantur vasa sacra in servitium Dei consecranda (Num. 7, 1 etc.) ; ungebantur reges, qui propterea uncti vel christi Domini dicebantur ; ita vide de Saule 1 Reg. 9, 16 ; 10, 1 2 Reg. 1, 14 ; de Davide 1 Reg. 16, 1. 2

Reg. 2, 4; 3, 38; 5, 3; de Salomone 3 Reg. 1, 34; de Ioas 4 Reg. 11, 12; de Ioachaz 4 Reg. 23, 30 etc. et cum Eliseus ad munus propheticum vocaretur, etiam unctionis mentio fit qua eum Elias ad munus consecrare iubetur. Ceterum in reliquis prophetis nulla commemoratur unctio, quia munus non in certa quadam stirpe neque ritu sacro conferebatur, sed a solo Deo ex norma Deut. 18, 15 seq. proposita. Prophetae ergo spiritu Dei ungebantur. Atque ipsa unctio illa designat electionem ad munus theocraticum, consecrationem quandam et symbolice spiritum Dei significat qui sese animis infundat, eos roboret, illuminet et ad missionem acceptam aptos reddat. Unctione enim facta spiritus Domini insiluit in Saul (1 Reg. 10, 10), unctione peracta directus est spiritus Domini a die illa in David et deinceps (1 Reg. 16, 13) et spiritum Domini designari per oleum angelus quoque Zachariae explicat (Zach. 4, 6). Messias qui plenitudinem spiritus Dei in se recepit et ipsa divinitate est unctus et qui vocatus est et consecratus ad sacra illa munera theocratica sacri imperii, sacerdotii, officii prophetici summa perfectione exercenda, iure merito singulari ratione Unctus, Christus vocatur.

Cur spiritus Dei super eum sit et ad quid unctus sit a Domino et missus, explicat : *ad laetum nuntium annuntiandum afflictis* (hebr.), LXX εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ; de voce בַּשֵּׂר cf. 52, 7; עֲנָוִים sunt miseri, afflicti, calamitatibus pressi, humiliati, qui tamen patientia et mansuetudine afflictiones perferunt (cf. 11, 4; 24, 32; 26, 6). Istis i. e. pauperibus evangelium annuntiari, ipse Messias tamquam indicium temporis messiani declaravit (Matth. 11, 5). Deinde *ad obligandum fractos corde* (hebr.) ad curandos et sanandos tristes, deiectos, pusillanimes; verbum *obligare* de curandis vulneribus adhibetur; vide 1, 6; proinde missus est ut erigat, confortet, consoletur animos aegros vel diffidentia et desperatione contusos. Tale igitur eius officium describitur, quale 40, 11; 41, 10. 14; 42, 3; 43, 1; 44, 2 exhibetur et modo Deo, modo servo Domini attribuitur. Etiam clarius Messias ex antecedentibus designatur, cum missus esse dicatur *ad proclamandam captivis libertatem et vinctis apertionem* (carceris); eadem enim 42, 7; 49, 9; 51, 14 de servo Domini praedicabantur. Veniet ergo, ut miseris solatium et salutem afferat et iis quidem, ut ipsa testantur nomina, qui se miseros esse sentiunt, qui captivi et clausi libertatem et redemptionem desiderant. Ergo praeformatur illud : esurientes implevit bonis. Iterum indicatur salutem exorituram esse ex conditione afflicta (cf. Mich. 5, 1. 2). Pro *apertione* alii vocem hebr. explicant, cum proprie, ut iam *For.* monet, de apertione *oculorum* dicatur, cum LXX ἀνάβλεψιν, eo scil. sensu quo sedentibus in umbra mortis lux oriri dicitur (9, 2).

Missus est, ut salutem afferat piis; verum inimicis ultio et ruina in-

stabit. Id quod antea iam saepius erat indicatum, Messiam fore in resurrectionem et in ruinam, etiam hic explicite effertur v. 2 « *ut praedicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes* » ; — scil. annum beneplaciti et benevolentiae Dei ; vox רָצוֹן videtur alludere ad 40, 2 : culpa est expiata ; cf. 56, 7 ; 58, 5. Quia servus Domini expiationem praestitit, id quod expiatione acquisitum est proclamare potest, tempus scil. gratiae quo Deus summa benignitate suae benevolentiae thesauros hominibus aperit. Tempus istud beneplaciti optime indolem novi foederis adumbrat et abundantiam gratiarum, dum vetus foedus fuerit tempus indignationis, sterilitatis (cf. 54, 1. 7. 11). Sed tempus quoque messianum est tempus iudicii ; unde diem quoque ultionis annuntiat, in quo iniuriae Deo illatae vindicabuntur et res Dei contra inimicos defendentur. De hac ultione vide 49, 26 ; 50, 11 ; 51, 23. In *anno* hoc adesse allusionem multi censent ad annum iubilaei, « qui typus quidam erat anni placabilis, seu beneplaciti evangelicae benignitatis ; nam sicut eo anno servi in libertatem asserti aerumnosam et ignobilem conditionem mutabant et ad priores dominos et possessores possessiones redibant, sic captivi a Christo vindice liberati sunt — uti annus iubilaei denuntiabatur, sic etiam Christus hic dicitur praedicaturus annum » (*Sanct.* sim. *For. Lap. Tir. Calm. Troch.*), dum alii iam versu praecedente in voce דְּרוֹר *liberatio* eandem allusionem deprehendunt; vide Lev. 25, 10. Ez. 46, 17. Saepius *diem* ultionis commemorat Deus (34, 8; 63, 4), dum *annum* benignitatis et redemptionis effert ; annon divinae voluntatis indicium isto loquendi modo habetur, quo exoptat iram statim aboleri, diuturnam esse grâtiam? Unde ira brevissime commemorata ad gratiosa redit. Ii sunt lugentes qui ruinam theocratiae et improbitatem dominantem et pietatem deiectam sincero dolore deplorant ; hisce consolationem affert ; istis etiam in ruina urbis quam visione contemplatus est Ezechiel parcebatur : signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quae fiunt (Ez. 9, 4) ; iisdem lugentibus salus promittitur Soph. 3, 18 hebr. iis scil. qui in ipso exsilio vivum desiderium theocratiae fovent et iis imbuti sunt sensibus, quorum egregia documenta in aliquibus psalmis habentur (cf. Ps. 136. 125. 129. 131).

Et quam praeclaram consolationem lugentibus sit praebiturus pro omni aerumna et humiliatione, exponit v. 3 « *ut ponerem lugentibus Sion et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris, et vocabuntur in ea fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum* »; — nota iterum *lugentes* commemorari tamquam salutis participes ; cf. 57, 18 ; unde promissio non fit nisi iis qui spiritu theocratico sunt imbuti. Latet in repetitis istis admoni-

tionibus illud quod postmodum quoque Iudaeis dictum est explicatius : ne velitis dicere intra vos : patrem habemus Abraham (Matth. 3, 9). In forma loquendi *coronam pro cinere* etc. habes quam maxime expressum illum versum quem huic sectioni praefiximus ; vide infra v. 7. Symbolum luctus et humiliationis est cinis, sedere in cinere, conspergi cinere cf. 3, 26 ; 47, 1 ; 52, 1. 2 ; corona vel diadema signum dominationis, dignitatis et exsultationis ; vide 28, 5. Ez. 23, 17. 24. In hebr. adest « paronomasia in vocibus *cineris* et *ornatus, peer* et *eper* » *(For.)* « qua ipsa literarum transpositione significat rerum in melius conversionem אֵפֶר et פְּאֵר » (*Mald. Malv.*) et « quam facili transpositione literarum ex *epher* fit *peer,* tam facile est Deo cinerem in cidarim, luctum in lusum, rictum in risum et gaudium convertere » (*Lap.*) Notum est etiam coronas adhiberi solitas in conviviis, in triumphali ac nuptiali plausu, in rebus denique laetis (*Sanct.*). Maxime familiaris erat unguentorum usus in conviviis praesertim et quovis tempore festivo ac geniali ; dicitur oleum gaudii vel (ut alias) laetitiae, « quia non nisi laeti, aut in laetiore conventu qui laeti videri volunt unguentis irrorantur » (*Sanct.*) ; cf. Ps. 44, 8 ; 132, 2. Item pro veste lugubri qua animi moeror et dolor declaratur, dabitur *pallium laudis* vel gloriae, vestimenta scil. quae animorum laetitiam et felicem rerum eventum evulgarent, uti Baruch 5, 1 : exue te Ierusalem stola luctus et vexationis tuae et indue te decore et honore eius quae a Deo tibi est sempiternae gloriae ! Unde pro spiritu quasi *exstincto* (cf. hebr. et 42, 3) dabitur spiritus qui laude et gloriatione gestiet. Atque eius in melius conversionis eventus erit, ut vocentur *terebinthi iustitiae* (hebr. cf. *Vat. Mald. Malv. Mar. Osor. Sanct.* et recentiores) i. e. crescent et florebunt iusti et ornatu fructibusque iustitiae augescent (cf. Ps. 1, 3 ; 91, 13. Ier. 17, 8), qua comparatione vates iam praeludit alteri : secundum dies ligni erunt dies populi mei (65, 22). Ita vero in iustitia radicati et fundati et operibus iustitiae florentes et crescentes iam non erunt plantatio aliena vel vinea mendax, sed *plantatio Domini ad gloriam* qua Deus gloriatur et qua gloria eius omnibus innotescit ; erunt ergo plantatio deliciarum (5, 7 ; 17, 10), vinea amoena (27, 2-6), qua gloria Dei et laus tamquam fructus perennis colligitur. Verba sunt deprompta ex 60, 21 ; ergo quod ibi dicitur, per servum Domini complebitur.

Cum iustus in s. literis saepius arbori florenti comparetur et in membro parallelo de *plantatione* sermo sit, sententia illa de *terebinthis iustitiae,* quamvis satis singularis, fortasse tolerari potest. LXX praebent γενεὰὶ δικαιοσύνης ; *Syrus* autem *arietes iustitiae* ; nam etiam hanc notionem habet אַיִל ; *Aq. Sym. Theod.* verterunt ἰσχυροὶ τοῦ δικαίου, *Chald.* principes veritatis. Censent aliqui eos vocari

terebinthos vel quercus iustitiae nunc quia Deo sese consecraverint, dum antea terebinthis cultum idololatricum adhibuerint (1, 29; 57, 5); sed haec nominis explicatio est nimis mira; quia arbores iam non colunt, arbores Dei vocantur! quam mira appellationis origo!

Messiam hoc loco induci loquentem (uti 49, 1 et 50, 4) omnino certum est. Sunt quidem qui Isaiam ipsum talia de se dicere opinentur; ita *Chald.* qui toti orationi verba praefigit: dixit propheta; neque abnuit *S. Thom.* qui de Isaia vel de Christo verba accipienda esse docet, et accedunt *Calm. Schegg*, *Loch* et longe maior pars interpretum acatholicorum qui de Isaia verba explicant. Sed si verba bene perpenduntur, singula quae hic dicuntur, clare in antecedentibus de servo Domini asseruntur, uti supra iam indicatum est (cf. v. g. 42, 1. 7; 49, 1 seq.). Etsi ea quae in v. 1 et 2 dicuntur de unctione, missione, annuntiatione, consolatione, vulnerum obligatione etc. non omnino aliena sint ab amplitudine muneris prophetici, tamen illa quae in v. 3 proponuntur nullo modo ad prophetam referri possunt. Hic enim non annuntiatio exprimitur illius in melius conversionis et instaurationis, sed ipsa eius effectio; eam autem *efficere* solius Dei est et Messiae; ergo ipse Messias loquitur. Idem colligitur ex nexu huius capitis cum praecedente. Talem nexum adesse, supra ostendimus et etiam elucet ex sententia in v. 3 ex 60, 20 deprompta et insuper ex subsequentibus consequitur. Unde falsum esse deprehenditur quod *Calm.* vult, hic institui orationem nullo nexu cum superiore iunctam. Tempus in hac oratione describi messianicum et ideo Messiam loqui, etiam sequitur ex iis quae a v. 4 et deinceps promittuntur, quae scil. varia de periodo messiana iam praedicta recolunt. Quare etiam illam sententiam adoptari non posse patet qua historice haec de Isaia et primo reditu, typice autem de Christo et eius opere explicentur; de qua expositione *Sanct.* bene scribit: « sed hoc valde durum est et contra communem sensum doctorum neque cum fine praecedentis capitis apte cohaeret, in quo non Isaias de se loquitur ». Demum Messiam loqui ipso Messiae testimonio constat Luc. 4, 21 ubi Christus hoc oraculo in synagoga nazarethana recitato addit: « quia hodie haec scriptura impleta est in auribus vestris »; hoc oraculo Messias vitam suam publicam et suam praedicationem opusque messianum auspicatus est atque revera in eo ipse Messias, eius missio et unctio cum spiritu Dei, eius opus et modus agendi et bona quae allaturus est et illi ad quos erigendos praecipuam navabit operam ita proponuntur et describuntur, ut quid clarius atque distinctius desiderandum sit non appareat. Unde mirum non est plerosque interpretes locum unice de Messia explicare, et ex protestantibus *Hengstenberg*, *Stier*, *Loehr*, *Del. Naeg. Or.* — Locos SS. Patrum collectos invenies in Analysi biblica Kilberiana quam denuo edidit *Tailhan*, I p. 390, quibus adde *S. Ephr.* qui de solo Messia locum exponit. Hoc oraculum olim ab Iudaeis quoque de Messia esse expositum demonstrant *Galatinus* (de arcanis cath. veritatis, lib. 2 cap. 6 p. 61 edit. Basil. 1550) et *Reinke* (Mess. Weissag. II p. 294); de eo *Barh.* quoque explicat.

b) Instauratio et gloria theocratiae 61, 4-9.

Qualis futura sit plantatio Domini ad glorificandum (v. 3), quale ergo opus a Messia restituendum sit, modo solito declaratur v. 4 « *Et aedificabunt deserta a saeculo et ruinas antiquas erigent et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem* » ; — cf. 44, 26 ; 58, 12. Vates exsilium terraeque vastitatem iam 6, 11-13 annuntiaverat; denuo de ea edoctus est 39, 6. Reditum ex exsilio et instaurationem priorem simul cum messianica contemplatur ; in messianica enim instauratione limites et spatia urbis quam maxime extendenda esse, iam supra dixerat 49, 19 et 54, 2 seq. ; idem autem hoc loco dicit ; non solum quae exsilii tempore deserta erant instaurabunt, sed *deserta saeculorum* i. e. ea quae stante vetere theocratia semper deserta erant et derelicta, quia eo tempore populus arctis terrae palaestinensis finibus continebatur ; aedificabunt *ruinas priorum* (hebr.) vel incolent loca illa deserta quae a maioribus (cf. Deut. 19, 14 de voce רִאשֹׁנִים) cultu et frequentia non donata erant ; talis erit instauratio qua quaecumque olim urbes bellis vel iudiciis divinis dirutae erant et per longam generationum seriem iacebant prostratae et pulvere obrutae, denuo renovabuntur. Unde ea verborum amplitudine vates indicare videtur fore ut quaecumque damna per saecula praeterita illata fuerint, haec reparentur. Destructio autem et vastitas ex norma theocratica signum est iniquitatis commissae ; quare cum urbis Ierusalem reparatio iam descripta sit qua talis quae scientia Dei et iustitia potissimum contineatur (54, 13. 14), in istis ruinis saeculorum reparandis non cernemus aedificia ex lapidibus erigenda, sed talem aedificationem quae consentanea sit aedificationi urbis Ierusalem spirituali. Aliis verbis : theocratia instaurata limites veteris excedet et longe lateque sanctitatem et iustitiam quasi firmo collocabit habitaculo. Qua cum extensione optime congruit, ut revera illis in regionibus in quibus propter hominum feritatem et incultum vivendi modum nullae erant civitates, erigantur urbes et homines per ipsam Ecclesiam ad vitae genus hominibus dignum educentur. Saepe enim cultus vitae externus cum cultu divino et virtutum exercitio connectitur et ut hoc doceas prius illud in usum deducas necesse est. Similia in explicatione *S. Cyr. Osor. Sanct. Mar. For. Lap.* tangunt.

Tantum abest ut populus theocraticus habeat quid ab alienis timeat, ut alieni ipsi serviant v. 5 « *et stabunt alieni et pascent pecora vestra et filii peregrinorum agricolae et vinitores vestri erunt* » ; — quod antea iam saepius dixerat de obsequiis populo theocratico a gentibus praestandis (14, 2 ; 49, 22 ; 54, 15 ; 60, 14. 16), idem hoc loco alia imagine

e vita palaestinensi petita exprimit. Sunt utique docente S. Paulo gentiles *debitores* Iudaeorum (Rom. 15, 27); quare eiusmodi imaginibus et comparationibus a vate adhibitis veritas non deest; sed ut rectum de iis feratur iudicium, simul oportet locos illos respici in quibus Israel cum aliis populis eodem ordine et censu recensetur (cf. 19, 24) vel reliquias solum ex Israel esse salvandas asseritur; praeterea populum theocraticum i. e. cultores Dei, membra Ecclesiae intelligi plerumque constat, quibus Deo protegente ab adversariis nihil mali inferri posse designatur adeo, ut potius ipsi inimici opus Dei debeant promovere; cf. 60, 10; 49, 17. Hoc loco alienigenae iis in servitium addicuntur qui praesides et duces esse concipiuntur aedificationis et restitutionis; quare a vero minime aberrare videntur qui haec accipiunt de legatis Dei missis ad theocratiam instaurandam, quibus qui olim adversarii erant et alieni a fide iam sedulam navant operam (*Osor. Malv.*).

Istis vero operis theocratici ducibus cum omni honorum significatione dicitur v. 6 « *vos autem sacerdotes Domini vocabimini; ministri Dei nostri, dicetur vobis; fortitudinem gentium comedetis et in gloria earum superbietis* »; — merito istis honorantur titulis duces operis. Est sacerdos mediator inter Deum et homines; proinde qui a Deo missus opus illud aggreditur quo homines ad Deum adducantur, iam eo nomine sacerdos dici potest; adde populum theocraticum vocari regnum sacerdotale (Ex. 19, 6); ergo potiore iure qui sunt duces in hoc populo; dein sacerdotum est custodire scientiam (Mal. 2, 7), proinde qui aedificationem theocraticam cura sua promovet, eo nomine salutari poterit. Iis praesto erunt ad opus Dei perficiendum opes gentium; vide 60, 5; cuncta enim Christo eiusque Ecclesiae servire debent, et sicut olim Israelitae spoliis Aegyptiorum ditati in libertatem vindicati sunt, ita ministri Christi et eius operis cooperatores opibus gentium iuvabuntur, et quaecumque demum ingeniis populorum excogitantur utilia, etiam in utilitatem Ecclesiae et servorum Dei cedent. Unde propheta ultimum et summum rerum naturalium finem hic designat qui in eo est, ut ad Dei servitium et ad opus salutis promovendum adhibeantur.

Hebr. ימר aliqui explicant notione petita a מור et ex Ier. 2, 11 *commutare*: gloriam gentium vobis commutabitis, vel in gloriam gentium intrabitis (cf. *Ros. Hitz. Kn. Naeg. Net.*). Alii vocem accipiunt notione אָמַר cf. Ps. 94, 4 *efferri, superbire* et huic explicationi veteres quoque interpretes satis accedere videntur. Ita LXX θαυμασθήσεσθε; *Syrus* gloriabimini; eam quoque exprimere videntur *Aq. Sym. Theod.*; et ille quidem teste *S. Hier.* interpretatus est πορφύρᾳ ἐνδύσεσθε purpura vestiemini vel uti *Field* lectionem *Aq.* ex cod. 88 affert πορφυρωθήσεσθε; *Sym.* habet στρηνιάσατε; *Theod.* ὑψωθήσεσθε; *Chald.* demum: oblectabimini. Notio quam veteres exprimunt gravior est et magis ad splendorem theocratiae declarandum confert et ad *germen*

plantationis ad glorificandum magis consentaneum est. Hanc significationem *Fürst, Sein. Del. Mühlau, Or. Rohl.* praeferunt.

Hisce autem si quis conditionem priorem comparaverit, munera maxime egregia Ierusalem accepisse fatebitur v. 7 « *pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem suam; propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis* »; — melius et clarius in hebr. *pro confusione vestra duplex* (praemium erit) *et pro ignominia exsultabunt parte sua* (cf. apud *Mald. Malv. Vat.* et recentiores); rebus adeo in melius conversis Ierusalem confusionis adolescentiae suae obliviscetur et opprobrii viduitatis iam non recordabitur (54, 4); vel si recordabuntur, eo magis excellentia theocratiae messianicae delectabuntur. Dona duplicia intellige egregia, mercedem omnem exspectationem longe superantem. Vetus theocratia propter populi peccata et varia iudicia a Deo in rebelles devoluta gentibus saepe erat contemptui et irrisioni; nova theocratia sanctitate florens erit admirationi (cf. v. 6; 60, 3. 14. 15 etc.); ipsi vero socii et cives theocratiae de praeclara parte et hereditate a Domino data iubilatione exsultabunt, dona igitur et maximi aestimabunt et ferventes Deo gratias agent. Quod sequitur *propter hoc* plerique referunt ad statum ignominiae priorem quem Deus compenset; sed potest etiam coniungi cum membro immediate antecedente: *quia* partem a Domino acceptam cum animorum laetitia laudant sibique de ea gratulantur, haec praemia insignia revera stabili modo possidebunt et ita demum revera ad laetitiam sempiternam pervenient. Hac explicatione bene declaratur quae sit merces animi grati et de Dei donis gaudentis, adest insuper bona gradatio et quibus perseverantiae donum sperandum sit innuitur, iis scil. qui dona a Deo accepta magni faciunt eaque laetabundi cum gratiarum actione ad Deum referunt; ceterum vide 35, 10; 51, 11.

Cur Deus theocratiam novam donis adeo eximiis exornare decreverit, ratio affertur v. 8 « *quia ego Dominus diligens iudicium et odio habens rapinam in holocausto et dabo opus eorum in veritate et foedus perpetuum feriam eis* »; — Deus scil. diligit et vult ius, id quod rectum est; statum sanctitatis et normam hisce in terris ut *Sanctus* Israel exprimi vult; quare eam afferet conditionem rerum quam promisit et hoc est *iudicium* vel ius quod diligit et ideo in opus deducit (cf. 59, 15). Exsequitur illud quia sicut odio habet si quis ex re sacra quidquam defraudaverit vel sibi usurpaverit, ita ipse quoque rem sacram quam se daturum promisit integram et plenam concedere vult. Unde *dabo opus eorum in veritate* i. e. vel id quod iis promisi omni veritate et fidelitate exsequar (*Schegg*) vel, uti fere omnes verba capiunt, mercedem

eorum eis reddam vere et fideliter (cf. *Chald. Pint. Osor. Mald. Malv. I. Sanct. Men. Tir. Sa, Mar. Calm.* et recentiores). Intellige *mercedem* exaltationem pro priore ignominia quasi fructum qui ex humilitate conditionis prioris exortus sit eo modo quo v. 3. 7. Eiusmodi exaltationem et gloriam Messias meruit (cf. 49, 6-9; 53, 11); quare quia pro suis meruit etiam eorum merces dici potest; ceterum etiam alia consideratione facta valent quae 43, 23 et 48, 9. 11 dicta sunt. Et quia Deus omnia quae promisit ad amussim reddet, foedus perpetuum, nullo iam tempore violandum vel abolendum, sed perenni firmitate mansurum feriet. Denuo indefectibilitatem theocratiae affirmat.

Si illud *odio habens rapinam in holocausto* per modum comparationis explicamus, ut sit sensus : Deus e re sacra quidquam decerpi, retineri minime vult, sententia haec contextui apta est et immerito a *Ges.* reprehenditur. Alii plerique qui hanc versionem retinent exponunt cum *S. Hier.* Deum odio habere munera quae de rapinis sint et iniquitate, vel holocausta e rebus raptis parata, vel quae quis animo invito et quasi coactus offerat. In qua sententia id in universum enuntiari volunt Deum omnem iniquitatem et fraudem abominari. Sed cur ex holocausto comparatio desumitur vel in holocausto declaratur Deum iniquitatem odio prosequi? Hebr. עוֹלָה *holocaustum* vertunt veteres aliqui Iudaei, uti *Kimchi, Iarchi, Abenesra* (cf. apud *Ros. Ges. Del.*), aliique interpretes, uti latini, *Munsterus, Clarius, Grotius*, e recentioribus *Rückert et Luzzatto.* Sed iam LXX, *Syrus, Chald.* et recentiores fere omnes vocem vertunt *iniquitatem*, uti vox in *vulg.* quoque transfertur Ps. 57, 3; 63, 7. Iob 5, 16 etc. Reprehendit quidem eam acceptionem h. l. *S. Hier.* « quasi aliqua sit rapina quae non ex iniquitate consistat »; sed si ea explicatio retinetur, rapina cum iniquitate vel rapina et iniquitas intelligi potest ex v. 7 de rapina, oppressione, iniuriis quae ab hostibus olim populo theocratico illatae fuerint (cf. 10, 7; 52, 4. 5). Legunt aliqui codd. apud *de Rossi* (supplementum p. 58) per patach et scheva עַוְלָה in qua pronuntiatione vox utique non sonat nisi iniquitatem. Atque haec explicatio propter v. 7 propius adiacet quam illa de holocausto.

Theocratia hunc in modum restituta populus theocraticus revera erit signum in nationibus et benedictio adeo ut pollicitationes patriarchis factae iam pleno eventu completae cernantur. Unde v. 9 « *et scient in gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus* »; — hebr. *et notum est* (scil. cum laude et gloria) *inter gentes semen eorum;* populus theocraticus longe lateque conspicuus est et cum gloria nominatus, ut mons domus Domini 2, 2; benedictio Dei in eum effusa adeo eminet, ut quicumque eum viderint profiteantur illos esse generationem eam cui benedixerit Dominus. Uti in vetere Israel male-

dictio Dei et ultio omnibus manifestabatur (cf. Deut. 29, 23. 3 Reg. 9, 8. Ier. 22, 8), ita in novo Israel, in Israel Dei (Gal. 6, 16) evidentissima cernentur benevolentiae ac liberalitatis divinae documenta; « sicut in maledictione Dei gravissima significantur incommoda, sic in benedictione bonorum omnium affluentia » (*Sanct.*). Cum igitur populus theocraticus adeo nobilis et insignis adstet inter gentes, etiam efficaciter eas invitare censendus est, ut theocratiae nomen dent et eiusdem benedictionis divinae se reddant participes.

c) Iubilus populi theocratici 61, 10-11.

Iam quid populus Dei tot gratiis a Deo praeventus Domino rependet? Uti v. 7 dictum est: laudabunt partem suam; ideo iuremerito sequitur hymnus laudis et exsultationis v. 10 « *Gaudens gaudebo in Domino et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis* »; — verbis hisce optime describitur quales esse debeant sensus animorum et affectus redemptorum. Iis enim fons et ratio gaudii et exsultationis non in divitiis vel in honoribus vel alia qualibet ponitur felicitate, sed in Domino, in quo solo omnis veri gaudii ratio firmiter ac indesinenter consistit. Et ista exsultatio ex intimis animi sensibus erumpit et impetu quodam amoris fertur in Deum *meum*, quae est vox amoris et animi gratissimi. Profitetur Ecclesia, uti olim Anna nato Samuele, uti Habacuc, ut beatissima Virgo: exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (cf. 1 Reg. 2, 1. Hab. 3, 18. Luc. 1, 47). Atque cum ea etiam Dei magnalia agnoscit: quia fecit mihi magna! Salvatione et sanctitate se liberaliter exornatam a Domino sibi gratulatur, ut ita vestita similitudinem referat cum Messia (11, 5). Vestimentis et copiam salutis et sanctitatis et statum exprimi perennem aliqui monent (cf. *Sasb. Mald.*). Ad huius laetitiae et ornatus magnitudinem designandam illae inducuntur comparationes, quibus maxima animi exsultatio et ornatus pulcherrimus declarari solet, in sponso scil. ac sponsa. Hebr. *quasi sponsum sacerdotio fungentem cum corona*; nam v. 6 sacerdotes Domini vocati sunt et totus populus esse debet regnum sacerdotale (Ex. 19, 6). Sponsi ergo laetitia cum dignitate sacerdotis coniungitur et decor coronae (v. 3) additur, ut quanta bona a Deo collata sint cumulatis comparationibus illustretur. Quam pulchra ac speciosa sit Ecclesia, in sponsa monilibus ornata depingitur, eo melius quia Ecclesia revera tamquam sponsa Christo praeparatur et ornatur (2 Cor. 11, 2. Eph. 5, 27). Uti alibi ad-

verti potest universalitatem quandam exprimi genere masculino et feminino adhibito (cf. 3, 1), ita hoc loco sponsus et sponsa nominantur, « ut maior Ecclesiae pulchritudo ac dignitas exprimatur, quae non satis alterutro significari posse videbantur ; sponsi igitur et sponsae delicias atque ornamenta coniunxit, ne quid ullus in Ecclesia Dei ad dignitatem et speciem requireret » (*Sanct.*).

Textum hebr. יְכַהֵן פְּאֵר aliqui ita explicant, ut כִּהֵן idem sit quod כּוֹנֵן vel הֵכִין, prout v. g. utraque forma כִּהֵל et כּוּל inveniatur (cf. *Hitz. Hahn*). Et forte eodem modo iam explicarunt veteres ; nam LXX habet ὡς νυμφίῳ περιέθηκέν μοι μίτραν ; *Sym.* κεκοσμημένον στεφάνῳ ; idem *S. Hier.* ; *Syrus* solum *sponsum gloriosum* praebet. Sacerdotis mentionem tamen ingerunt *Aq.* ὡς νυμφίον ἱερατευμένον στεφάνῳ. Atque revera כִּהֵן in usu frequenti est de functione sacerdotali, quae notio hoc loco etiam eo fortasse retineri debet, quia voces quoque מְעִיל et פְּאֵר ornatum sacerdotalem innuunt ; et prior quidem sine dubio ; altera etsi non directe de eo dicitur, tamen bis cum sacerdotali tiara iungitur Ex. 39, 28 et Ez. 44, 18 (cf. *Naeg. Del.*). Sed qui eam derivationem admittunt, communiter vertunt : qui tiaram sacerdotali modo gerit vel ornat ; at in *hac* notione vox nunquam occurrit et hanc significationem solum pro hoc loco afferunt lexicographi. Quae res sane suspicionem movet. Quare notio illa tentanda est quae revera voci inest : *sacerdotio fungi ;* huic additur in quo ornatu fungatur munere sacerdotali, illa scil. ornatus corona quam Messias v. 3 se daturum pro cinere promiserat. Hac explanatione et vis nativa vocis retinetur et sensus aptus exsistit ; similem iam proposuit *Malv.* qui inter alia exponit : erit mystes et sacerdos decorus.

Ierusalem tamquam sponsa monilibus exornata iam poterit oblivisci viduitatis suae ac sterilitatis pristinae (cf. 50, 1 ; 54, 1. 6. 11). In nova enim theocratia ubique praeclarissimi orientur fructus v. 11 « *sicut enim terra profert germen suum et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus* » ; — Dei gratia fiet, ut nova theocratia iam non sit vinea fallax et terra ingrata ; ubique germinabit et florebit iustitia et sanctitas ; hanc consequitur laudatio et gloria. Uti terra necessario profert germen et id omnino ad naturam eius pertinet, ita necessario theocratia Deo aspirante iustitiae fructus profert. Igitur *sanctitatem* pertinere ad naturam Ecclesiae eamque esse etiam indefectibilem indicatur. Id ergo plene fiet quod supra 55, 10 Deus dixerat. Alias prophetae rerum naturalium ordinem, stabilitatem ad incusandam hominum inconstantiam et improbitatem adhibent (cf. 1, 3. Ier. 8, 7) ; in nova theocratia adfore indicat iucundum concentum inter ordinem naturae et ordinem altiorem hominum gratia ornatorum. Uti res inanimatae necessario, ita hi maxima libertate normam a Deo praefixam sequentur. Ecclesia vero perpetua sanctitate conspicua coram gentibus Deo maximae gloriae erit ; ita implebitur

canticum seraphim 6, 3; ita illud : in te gloriabor (49, 3); cf. 55, 13; 60, 13. 21. Debet ergo Ecclesia gentibus et nationibus inferre verae iustitiae normam et formam, debet Dei gloriam illis manifestare; quo munere optime concluditur oratio qua ostenditur, per quem et quomodo illud debeat exsecutioni mandari, quod 60, 3 dicitur : ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. — Paucis *S. Thom.* hanc partem orationis ita describit : « exprimit in persona populi vel Ecclesiae cordis gaudium, secundo confitetur Dei beneficium sub similitudine vestimentorum, in quantum divina beneficia protegunt, sub similitudine ornamentorum, in quantum ornant, sub similitudine germinum, quantum ad fructum ».

Sunt qui in hac quoque parte a. v. 10 Messiam loquentem assumant; ita *Malv. Rohl. Troch. Del. Naeg. Or.* quibus accenseri possunt ii omnes qui in toto capite non audiunt alium loquentem quam prophetam (cf. *Hahn, Sein.*). Sed haec sententia non potest sustineri. Nam qui in v. 10 loquitur, sibi gratulatur quod a Deo vestimento iustitiae sit indutus et magnum Dei favorem ingenti cordis laetitia celebrat. Sed talia Ierusalem vel populum theocraticum facere saepe deprehendimus; cf. 49, 21; 51, 17; 54, 1; 60, 5; Sioni dicitur : induere vestimentis gloriae (52, 1); Sion potest a Domino quasi *sponsa* ornari; num haec sponsae comparatio ullo modo ad Messiam convenit? Dein adverti debet quid intersit inter v. 10 et v. 3. In v. 3 is qui loquitur *dat* coronam, *dat* pallium laudis lugentibus; si nunc in v. 10 aliquis gratias agit et gaudet de corona accepta, de pallio quo sit indutus a Domino, sodes, dic mihi, num is idem sit qui dederit aliis? Nonne ipsa rei evidentia dictat, eos gratias agere qui acceperint? eos autem accepisse quibus illa data fuerint, i. e. lugentes vel generatim populum theocraticum? Quare iure merito iam *Chald.* ad v. 10 verba praemisit : dicit Ierusalem. Et veram explicationem viderunt plerique; ita vocem Ecclesiae hic audiri docent *S. Ephr. Hier. Cyr. Theod. Thom. Sasb. Pint. Sanct. Sa, Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Bade, Loch, Reinke*; vocem populi *Mar. Schegg*, vocem prophetae qui Ecclesiae personam induerit *Mald.*, voces chori apostolici vel Ierusalem spiritualis *For.* esse censet vel etiam ipsius prophetae voces prae gaudio exsultantis; at prophetam non nomine suo loqui, sed sensus illos exprimere, quibus cives theocratiae novae imbuuntur ex v. 10 patet, si cum v. 3 confertur.

5. *Oratio quinta* 62, 1-12.

Arg. — Denuo Sioni promittitur salus eximia, cuius omnes gentes participes erunt. Sion gloriam Domini manifestabit, ibi Deus sibi complacebit, ibi erit pax et beatitas (62, 1-5). Donec autem haec opere complebuntur, Deus dabit viros qui populum ad salutem illam praeparent

Deumque supplices adeant. Praeterea Deus securitatem et terrae fertilitatem promittit omnesque invitat, ut ad salutem in Sion praeparatam et ad populum sanctum Dei magno cum studio accedant (62, 6-12).

Quo maiore calamitate populus premitur, eo magis et saepius necessarium erit splendida Dei promissa recolere ad animos erigendos et confortandos. Id in hac oratione vates praecipue spectare videtur. Unde denuo explicat, quam certo Dominus eam salutem sit effecturus et quam praeclara et beata illa salutis conditio pro Dei populo futura sit. Dein a v. 6 indicat longiorem adhuc fore periodum qua oporteat exspectare et sperare simulque quam instanter salus illa a Domino efflagitanda sit docet. Unde propheta magnificentia salutis descripta iam incipit ostendere quanto desiderio obviam ferri oporteat saluti a Deo promissae. Uti igitur in cap. 58 et 59 docuit quae impedimenta removenda sint, ita nunc ostensa salutis excellentia animos excitat, ut ad continuum eius assurgant desiderium.

a) **Iterata promissio salutis eximiae 62, 1-5.**

Sollemni asseveratione Deus promittit se sedulo opem et operam daturum, donec quae Sioni promiserit opere compleantur v. 1 « *Propter Sion non tacebo et popter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius et salvator eius ut lampas accendatur* » ; — in hebr. sicut etiam apud LXX, *Syrum* et *Chald.* ponuntur substantiva abstracta : *donec oriatur ut splendor iustitia eius* (scil. quae Sioni promissa sit eique debeatur) *et salus eius sicut fax ardeat* (vel facis instar ardentis et fulgentis). Tantopere igitur Deo cordi est, ut status ille rectus qui simul veram affert beatitatem constituatur ; idque *propter Sion,* Sioni enim i. e. populo theocratico iam olim omnia illa vaticinia quorum summum argumentum *iustitia* et *salute* continetur data sunt, et Deus regnum suum iustitiae et salutis i. e. sanctitatis et felicitatis pro hominibus in orbem vult inducere, quare promittit se continuo adlaboraturum, ut magnum illud quod animo concepit consilium in opus deducatur; opem vero et operam promittit eo modo, quo 42, 13. 14 et 57, 11 sermo de Deo est institutus. Intelligi autem non salvationem quandam particularem pro Ierusalem, sed salutem universalem quae in Sion tamquam in sede theocratiae reposita ad omnes gentes promanare debeat, iam ex comparationibus adhibitis elucet, quibus aperta adest allusio ad 60, 1-3. Qualem operam Deus sit daturus, ex parte explicatur in v. 6. Praeterea iuremerito intelligere possumus omnia illa quae Deus sua providentia pro populo iudaico egerit, ut iste populus foedere theocratico contine-

retur et usque ad Messiae tempora perduceretur. Deus autem studium adeo sedulum promittens certissimam spem omnium animis infundit eosque excitat, ut ipsi quoque magna alacritate et fiducia promissa Dei amplectantur.

Sed *quis* hic loquitur? Plerique sequuntur *S. Hier.* qui scribit : « dixerat Dominus atque salvator : spiritus Domini super me... post quam repromissionem respondit Ecclesia : gaudens gaudebo... nunc prophetae inducitur persona dicentis : propter Sion non tacebo... i. e. diebus ac noctibus ora non claudam nec mea unquam reticebit oratio ; sed tamdiu clamabo et precibus iungam preces, donec veniat qui promissus est et splendore suo cunctum orbem illuminet ». Sed num revera censeri potest Isaias id *de se* enuntiasse? num speravit se victurum donec salus messianica effulserit? num post 6, 11-13 et post 39, 6 id ullo modo in animum sibi inducere potuit? Nodum hunc bene vidit *Mald.*, quare explicationem de Isaia ita temperat : « oratio est conditionalis, quasi dicat : si usque ad Christum viverem, non desisterem eius adventum praedicere ; aut loquitur nomine omnium prophetarum, qui usque ad tempus Christi vaticinaturi erant ». Sed oratio non est conditionalis et Isaiam omnium prophetarum personam induere improbabile est, neque prophetae usque ad tempus Christi populo dati sunt. Quare cum *Clario* de choro prophetarum explicare non erit consultum ; praeterea durum est hic subito eos introducere loquentes de quibus nulla mentio hactenus facta est. Dein *tacere, quiescere* hisce in orationibus saepius de Deo dicuntur qui nationes vias suas ingredi permittit vel curam sui populi gerere non videtur ; ita 42, 14 ; 57, 11 ; 64, 11 ; 65, 6 et 18, 4. Quare, uti in versione graeca iam indicatur — habent enim exemplaria δικαιοσύνη μου, σωτήριόν μου — et *Chald.* aperte tradit, Deus loquens erit agnoscendus, ad quem omnia apte conveniunt et qui sua cura continua ostensa eos ad laetam spem provocat. Atque profecto verba haec in ore Dei multo efficaciora sunt quam si solùm prophetae studium enuntiaretur. Neque obstat quod in v. 2. 3 dicitur ; nam idem saepius usuvenit ; vide v. g. 58, 14 : delectaberis super Domino et sustollam te et cibabo te... verba sunt Domini. Quare assentiendum erit *S. Cyr. Osor. Troch.* qui Deum loquentem hic audiunt ; idem loquitur quoque v. 6 ; unde unitati quoque orationis melius consulitur.

Haec autem salus et ad omnes populos pertinebit et in Sion novum rerum statum a priore diversum efficiet ; ita v. 2 « *et videbunt gentes iustum tuum et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominabit* » ; — hebr. *et vident gentes iustitiam tuam et omnes reges gloriam tuam* ; ita LXX quoque et *Syrus* et *Chald.* ; posuit hic et in v. 1 *S. Hier.* nomen concretum ea forte ductus ratione, quia iustitia illa et gloria per Messiam adducenda est ; sensus quidem verus est et ex cp. 61 facile colligitur ; at versio est nimis

libera. Animadvertent gentes iustitiam et gloriam novae theocratiae; igitur theocratiam omnibus conspicuam ostendit, et eo quod vident eam et in ea veram adesse cognoscunt iustitiam et gloriam, iam habetur efficax invitatio ut ei nomen dent. Etiam h. l. Sion et Ierusalem non intelligi ipsam urbem qua talem, sed quatenus sit sedes theocratiae et ita symbolum quoque novae theocratiae, eo patet quia *iustitia et gloria,* dona hacc messianica, non urbi qua urbi dantur, sed dantur novae theocratiae, dantur regno messianico, dantur populo vere theocratico; si igitur sermo fit in v. 1 et 2 de iustitia et salute *eius*, urbs intelligitur, quatenus novam theocratiam apte repraesentat propter suam in vetere foedere dignitatem. — Quod Ierusalem novo nomine a Deo vocanda sit, cum nomen ad rei naturam designandam adhibeatur, manifestum est novam theocratiam longe prae vetere praecellere, aliam esse dignitatem, sanctitatem maiorem, alia dona multo praeclariora, ita ut novo opus sit nomine quod Dominus vocabit, qui quod vocat etiam efficit. Ipsa nominis impositione Deus declarat se auctorem theocratiae et laudatorem eamque in suam specialem clientelam recipit. Quale sit nomen quaerunt. Non erit aliud exquirendum quam quod in v. 4. 12 declaratur, quo nomine discrimen quod intersit inter foedus vetus et novum et huius prae illo excellentia satis indicatur. Huic explicationi etiam plerique acquiescunt. Novum nomen urbi iam inditum est 60, 14; praeterea vide Ier. 3, 17; 33, 16. Ez. 48, 35. Aliqui vaticinium in eo cernunt impletum quia novus populus theocraticus iam non Israel vocatur, sed e nomine Christi christianus (cf. *S. Hier. Theod. heracl. Theod. Barh. Mald.*) vel quia Ecclesia vocatur Dei vivi, civitas et domus Dei (*S. Cyr. Pint.*). Uti Deus nomina Abram, Iacob mutavit ad eventum magnum declarandum et ad promissiones praeclaras designandas, ita Sion quoque novo nomine insignitur quo novus status et nova dignitas contineatur (cf. 7, 14; 9, 6).

Quam gloriosum hoc nomen sit, iam reipsa in gloria Sionis cernitur v. 3 « *et eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui* »; — quam cara sit theocratia Deo nomine coronae et diadematis patet; simul quantam gloriam et decus Deo afferat et quam pulchra theocratia sit, cum coronae decoris et diademati regio comparetur quod Deus manibus tenet quasi oblectatus pulchritudine. Verba hebr. accuratius designare videntur regnum sacerdotale; diadema enim vel tiara צְנִיף proxime accedere videtur ad מִצְנֶפֶת tiaram summi sacerdotis (cf. Ex. 28, 4. 37. 39. Lev. 8, 9; 16, 4. Zach. 3, 5); id quod optime convenit ad 61, 10 et 61, 3. Erit igitur impletum quod 61, 3 Messias praedixit. Supra 28, 5 tamquam pignus pro Ierusalem et eius salvatione promissio data est: erit Dominus corona gloriae et sertum exsultationis residuo populo suo; hoc loco cum simile quid de Sion laudetur, Sion divina

quadam pulchritudine in imaginem gloriae divinae transformari perhibetur. Et talis Sion est pretiosa in oculis Domini; quare coronam et diadema tamquam rem iucundissimam sibique gratissimam simul et honorificentissimam semper manibus tenet, ob oculos versat, aliis ostentat (*Lap. Tir.*). Cur manu teneat, censent aliqui inde solum dici quia tali corona caput Dei coronari non deceat, coronam autem ad pedes iacere quasi abiectam minime fingi possit; alii *in manu* de protectione divina exponunt. Sed si nexum perpendimus qui saepius iam a 53, 11 et deinceps statutus est inter gloriam Messiae et splendorem Ierusalem, vix dubitabimus agnoscere cum *Lap. Tir. Men.* coronam et diadema quo Deus ipsi Messiae decus addit et ornamentum. Iam si Ecclesia est corona et diadema et tanti a Deo habita et tam insigni pulchritudine donata, idem suo modo dici poterit de unaquaque anima gratia ornata, in qua scil. regnum Dei revera radices egit; de qua re vide *S. Hier.* et explicatius disserunt *S. Cyr. Lap.*; et merito, nam in iustis demum verum habetur regnum Dei et sanctitas et gloria novae theocratiae in animis sanctis relucet.

Quanto in pretio Sion sit apud Dominum et quantis in deliciis, ut modo re et signis declaratum est, ita iam verbis quoque et nominibus exprimitur, quibus simul statum illum fore permanentem promittitur v. 4 « *non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te et terra tua inhabitabitur* »; — hebr. *tibi dicetur : beneplacitum meum in ea, et terrae tuae : maritata* (cf. *Mald. Mar. Osor. Malv. Sanct.*); novum enim foedus Dominus iniit et quam olim eiecerat (54, 1. 6. Os. 3, 3) et puniverat tamquam uxorem infidelem, hanc omni benignitate suscipit et sibi sponsat in sempiternum (Os. 2, 19) et in misericordia et miserationibus. Perpetuum Dei favorem in ipso nomine exprimit; sicut in servo Domini sibi complacet anima eius (42, 1), ita in opere quoque servi Domini, in theocratia instaurata. Ipsa nominis communione arcta illa societas inter Christum et Ecclesiam adumbratur. Ex norma veteris foederis amor et beneplacitum Dei cernitur in quieta possessione terrae; quare ipsa quoque terra sub speciali Dei cura et providentia collocata describitur. Hic ergo habetur nomen novum, quod os Domini nominabit, nomen quod iam de servo Domini nominavit, quod nominabit de Christo : in te mihi complacui; *novum,* quia theocratia vetus beneplacitum Dei minime retinuit neque illam habuit promissionem de sanctitate indefectibili. Nova ergo theocratia nunquam a fide et fidelitate deficiet, semper sancta, Deo cara erit, semper sponsa dilecta (cf. 2 Cor. 11, 2. Eph. 5, 25. Apoc. 21, 2). — Nomen Chephzibah (beneplacitum meum in ea) erat nomen uxoris Eze-

chiae regis (4 Reg. 21, 2); forte propheta allusit ad Ps. 16, 3. Sed audacius est cum aliquibus ex hoc nomine argumentum depromere pro Isaia auctore qui ad nomen reginae piae tunc viventis voluerit alludere.

Amor et benevolentia Dei depingitur in felici populi conditione v. 5 « *habitabit enim iuvenis cum virgine et habitabunt in te filii tui; et gaudebit sponsus super sponsam et gaudebit super te Deus tuus* »; — hebr. explica de iuvene qui sponsam virginem sibi associat et de filiis Sion qui terram occupant; hebr. בעל possidere et uxorem ducere, dominari; inde facilis oritur verborum lusus, qui in *habitabit* et *habitabunt* non cernitur. Ceterum bene explicat *S. Hier*: « sicut igitur sponsus gaudet in sponsa iuvenisque cum virgine, in quibus exemplis sancta coniunctio est, sic Dominus laetabitur in ea cuius nomina fuerint immutata ». In ea comparatione amor Dei tenerrimus depingitur qua Ecclesiam suam complectitur, de qua gaudet et delectatur summopere : deliciae meae esse cum filiis hominum (cf. *S. Cyr. For. Sanct. Lap.*). Pax igitur adesse depingitur et summa quaedam felicitas inter homines; adsunt filii Sion amore prosequentes Sionem et ea oblectati, et super omnes adest Dominus cum gaudio et laetitia populum suum sanctum cernens et amplectens. Alii בעל uxorem ducere etiam de filiis Sion dici censent : *maritabunt te sibi filii tui* (cf. *For. Mald. Mar.* et recentiores); id quod non solum pacem ac tranquillitatem significat (*For. Sanct. Men. Tir.*), sed insuper amorem maximum quem habent in Ecclesiam et fidelitatem qua illi adhaerent (cf. *S. Cyr. Osor.*) et gaudium et oblectationem de tali opere divinitus ad hominum salutem instituto (cf. *Euseb. Sasb. Mar. Lap.*). Iure autem delectantur filii Ecclesiae de ea, de qua Dominus ipse gaudet; « quemadmodum sponsus ex sponsa quam egregie caram habet voluptatem capit et illius specie delectatur, sic Deus tuus ex te et ex animi tui decore et eximiae virtutis elegantia voluptatem summam percipiet » (*Osor.*).

b) Salus magno desiderio expetatur oportet 62, 6-12.

Sedulam curam Deus de theocratia instauranda se gerere affirmavit v. 1. Iam huius curae partem non minimam explicat qua providet, ut adsint viri quibus incumbit veram fovere pietatem et continuo adlaborare, ut obstacula salutis removeantur et Domino praeparetur plebs perfecta. Unde v. 6 « *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt; qui reminiscimini Domini ne taceatis* »! — Dei est *custodes* theocratiae constituere i. e. prophetas suscitare et viros spiritu theocratico imbutos qui vigilias agant, peri-

culum quodvis imminens praevideant, nuntient, avertant et in civibus theocratiae tamquam eius custodes ac vindices eos animorum sensus et ea fidei pietatisque opera excitent atque promoveant, quae populum sanctum Dei deceant. Horum est continuo vigilare, monere, docere — et continuo Dominum quoque precibus obsecrare : *qui commonefacitis Dominum, ne sit silentium vobis* (hebr.)! ergo iis incumbit perpetuo Dominum monere, ut pro sua fidelitate memor promissionum ea in opus deducere ne tardet. Vigiles isti et custodes vi muneris et populum monere debent et Deum precibus adire et flectere; unde mediatores sunt inter Deum et populum et saluti venturae, tempori messianico viam parant. Quare cum prophetae etiam *custodes* nominentur et munus propheticum iisdem contineatur, hoc quoque loco non angeli erunt intelligendi (*Hahn, Sein.*), sed prophetae et viri prophetis similes, pii sacerdotes vel duces populi, qui per tempus exspectationis populum dirigant neque unquam cessent salutem promissam a Domino efflagitare. Unde simul liquet designari longiorem periodum usque ad salutem messianicam. Cum custodes constituantur *super muros* Ierusalem, vates innuere videtur hanc periodum longiorem fore post urbem ex exsilio restitutam (cf. ad 44, 26), ergo adesse longius intervallum inter liberationem priorem et salutem messianicam. In priore parte non prophetam (*Bade, Schegg*) loqui, sed Deum, iam eo manifestum est quia eiusmodi *custodes*, prophetas, mediatores instituere ex norma veteris foederis solius Dei est (cf. Deut. 18, 18. Ez. 33, 6. Hab. 2, 1. Zach. 3, 7 et vide Is. 21, 8. 11). Sed in altero membro facile Isaiam loquentem agnoveris, qui pro suo salutis quo ardet desiderio hos iam custodes instanter rogat, ut continuo Dominum deprecentur et moneant. Est ergo מַזְכִּיר h. l. profecto is qui alterum de opere quodam praestando, officio obeundo et actione peragenda monet (cf. *Cornely,* Introd. II 1 p. 296; *de Hummelauer,* Comment. in I. Samuel p. 331).

Et quanto studio ac desiderio continuo salus sit a Domino efflagitanda vates iterato declarat gravissima hac admonitione custodum v. 7 « *et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Ierusalem laudem in terra* »! — ergo ne desistant, immo ut urgeant summopere, Deo quasi nullam quietis partem concedant, sed constantia et pia quadam importunitate iterum iterumque eum supplices adeant, illius fere exemplo, de quo Christus (Luc. 11), qui nocte importuno tempore iteratis precibus tandem ab invito amico panes extorsit (*Sanct.*). Idque instanter urgere oportet, donec Deus theocratiam instauret, modo stabili fundet et ea omnia fiant quae de gloria Ierusalem qua omnes ad se invitare debet gentes et qua ubique summis laudibus celebratur adeo praeclare promissa sunt (cf. 60, 1 seq. 15; 61, 6. 8. 10; 62, 1 seq.). Sed quia do-

nec Ierusalem vel theocratia (cf. ad v. 1) ponatur laudatio in terra universa, laborare oportet etiam in novo foedere et laborandum erit usque ad consummationem saeculi, haud immerito alii institutionem custodum et admonitionem etiam valere dicunt pro Ecclesia, ad quam profecto utrumque facile et plane applicatur. Et revera Ecclesia semper habet custodes quibus propagatio fidei maximae curae sit et continuo in ea preces funduntur : adveniat regnum tuum (cf. *S. Cyr. Hier. Theod. heracl.* et interpretes lat.).

Huic desiderio et hisce obsecrationibus Dominus obviam venit promittens sollemni iureiurando suam protectionem et favorem populo nunquam defuturum; v. 8 « *iuravit Dominus in dextera sua et in brachio fortitudinis suae : si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis et si biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti!* v. 9 *quia qui congregant illud comedent et laudabunt Dominum, et qui comportant illud bibent in atriis sanctis meis* »; — si eiusmodi poenae quales Lev. 26 et Deut. 28 proponuntur iam non infliguntur, ex norma veteris foederis asseritur adesse in populo sanctitatem qua gratia Dei et benevolentia ei semper assistat. Et stabilem illum favorem Deus sollemni iureiurando confirmat. Deus iurat per dexteram suam, qua iam tot mirabilia patravit, populum ex servitute aegyptiaca ereptum sibi in hereditatem vindicavit, et per brachium suum fortissimum, per suam omnipotentiam cui nihil resistere potest; ergo summam potentiam suam quasi pignoris loco interponit iuramento, quo egregie constet novam Sionem iam non hostibus proditum iri neminemque posse ea auferre bona quae Deus suis concesserit. Bona ea ex norma veteris foederis et verbis legis describit; sed cum addatur *laudabunt Dominum, in atriis sanctis meis* altiora bona et veram pietatem declarari patet; praeterea alluditur ad epulas sacrificales (Lev. 6, 16. 26 etc. cf. *Malv. Men.*) et ad Deut. 14, 23 (*Sanct.*); illis maxima cum Deo familiaritas et participatio bonorum divinorum designatur, Deut. 14, 23 animus exprimitur gratus de beneficiis acceptis. Haec omnia egregie praestabit populus theocraticus, ab hostium incursibus (cf. Iud. 6, 3 seq.) pro sua pietate et divina inde consequente protectione securus. Quietam vero degere vitam bonis abundantem in possessione terrae symbolum est divinae benevolentiae summis votis ab Israelitis expetitum (cf. 3 Reg. 4, 25. Mich. 4, 4. Zach. 3, 10).

Cum igitur theocratia tantis bonis constet, iam omnes instanter admonentur, ut et ipsi ad eam accedant aliisque viam reddant facilem et expeditam ad illam omnesque ad eam invitent v. 10 « *transite, transite per portas; praeparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides et elevate signum ad populos* »! — primo invitantur qui in regionibus

alienis degunt ex Israelitis, ut ad Sionem redeant, simili forma sicut 48, 20 et 52, 11; dein ut via sternatur populi (hebr.), semita muniatur et elevetur (hebr.), lapides amoveantur (cf. 40, 3. 4; 57, 14). Ergo omni modo curandum, ut accessus ad Sionem fiat facilis, ut obstacula tollantur et ipsis viae commodis omnes alliciantur. Demum omnibus etiam maxime procul degentibus nuntius est perferendus : iis signum, vexillum est erigendum quo viso congregentur ad Dominum quasi milites ad signum militare (cf. 11, 12). Ergo qui theocratiae cives sunt et eius in se bona experti alios quoque invitent, aliis modis omnibus iter ad civitatem Dei applanent oportet. Cum alias Dominus elevare dicatur signum (5, 26; 11, 12; 49, 22), hoc loco cives theocratiae ad omnes nationes efficaciter invitandas stimulantur. In studio viam parandi ostenditur, quomodo oporteat alios iuvare ut demum in theocratia veram pacem et beatitatem inveniant (cf. 49, 22; 60, 4; 66, 12).

Primam adhortationem varie concipiunt. Vertunt aliqui, עִבְרוּ בּ *ingredimini per portas,* in portas (vel Ierusalem, vel templi, vel Ecclesiae), quia scil. portae Ierusalem semper sint apertae (60, 11), ita ut non opus sit nisi adhortatione, ut quivis hac utatur opportunitate (cf. *Sanct. Mald. Malv. Hahn, Sein.*). Sed obstat, quod ea quae sequuntur haud apte adnectuntur; nam antequam invitentur ad ingressum, viam parare, lapides removere oportebit. Dein עבר ב quamvis etiam de ingressu in urbem dicatur (Iud. 9, 26), tamen communiter significat transire per regionem vel per terram; vide 8, 21; 34, 10. Insuper orationis forma ita est comparata, ut ad similes adhortationes antea datas omnino conformetur; quare pariter erit explicanda; ita iam explicarunt *S. Thom. Pint. Calm.* Neque tamen video quid obstet quominus adhortationem omnino sensu intelligamus generali ad omnes dirigi nationes, ut relictis suis urbibus confluant ad theocratiam, eo scil. modo qui 2, 2 et Mich. 4, 1 indicatur. Neque ultimo membro prohibemur; nam sicut membris interiectis alii et alii iubentur accedentes iuvare, ita qui iam accesserunt apte exstimulantur, ut quos voce adhortari non possunt propter longinquitatem, eos signo erecto ad civitatem et militiam Dei convocent. — Aliis demum placet *transite..* dirigi ad custodes super muros positos qui iam iubeantur exire ex Ierusalem, ut ubique salutis nuntium praedicent (cf. *S. Hier. Cyr. Haimo, Sasb. For. Tir. Mar. Osor. Bade, Reinke*). At vix ex mente prophetae. Nam custodes ex v. 6 super muros Ierusalem constituti ibique consistentes Dominum deprecantur, donec ponat Ierusalem laudem in terra; certe ex mente prophetae propius adiacere videtur propter locutiones vel easdem vel simillimas, ut exponatur sententia secundum 48, 20 et 52, 11.

Cur omnibus via sit paranda ad Sionem et quid erecto vexillo nationibus sit significandum, declaratur v. 11 « *ecce Dominus auditum fecit*

in extremis terrae, dicite filiae Sion : ecce salvator tuus venit : ecce merces eius cum eo et opus eius coram illo » ! — quod antea Sioni dicebatur primo et proxime de priore liberatione, iam tamquam nuntius laetus ad extremos terrae fines perfertur tamquam annuntiatio salutis universalis. Hebr. *ecce salus tua venit*; cf. 40, 10. Cum ergo id quod Sioni dicitur iam annuntietur in orbe universo, manifestum est salutem Sioni datam considerari a propheta tamquam in se complectentem salutem messianicam. Verba illa « salus tua venit » omnes efficaciter invitant, ut ad Sionem confluant; proinde ibi regnum Dei fundari indicatur; eo quod Deus auditum facit usque ad extrema terrae, denuo elucet filiam Sion non ipsam intelligi urbem qua talem. Quid enim prodesset in extremis terrae regionibus scire salutem posse inveniri in *urbe* Ierusalem ; quotus quisque a finibus terrae poterit peregrinari in urbem illam ? et tamen omnes debent Sioni nomen dare et servire (cf. 60, 12)!

Quid felicitatis eos maneat qui nuntium illum animis percipiunt et voci Domini obsequuntur, docet propheta v. 12 « *et vocabunt eos : populus sanctus, redempti a Domino; tu autem vocaberis : quaesita civitas et non derelicta* » ; — populus dicitur *sanctus,* utpote a profanis nationibus in servitium Dei separatus et consecratus et vera pietate et sanctitate praeditus, in quo Deus gloriari potest et per quem gloriam suam manifestat (cf. 49, 3. 6 ; 60, 21 ; 61, 9 ; 62, 3) ; sunt redempti, vindicati a potestate hostium ; id quod dici videtur cum allusione ad liberationem ex Aegypto quacum liberatio ex exsilio et liberatio messianica saepius confertur. Redempti enim ex Aegypto foedere inito electi sunt in gentem sanctam, in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale ; eodem modo quos Deus ex extremis terrae vocat, iam in populum sanctum sibi eligit. Et uti olim elegit urbem Ierusalem sedem theocratiae, ita nunc quoque Ierusalem iam sensu sublimiori compellat *quaesitam civitatem,* quam omnes maximo studio prosequuntur, expetunt, quam Dominus ipse ut sponsam fidelem et caram iam amplectitur et quam nunquam deseret et nunquam reiiciet (cf. 49, 14. 15 ; 54, 6-12 ; 60, 15. 20 ; 61, 10 ; 62, 4. 5). Unde denuo asseritur sanctitas indefectibilis ; Sion iam non erit *derelicta,* neque a Deo, neque a populo numerosissimo, sicut vetus Sion. Nova Sion nomine i. e. natura sua et institutione est *quaesita* civitas, ad quam omnes salutis adipiscendae causa confluere debent, quam ardentioribus votis expetunt quam exsules Israelitae ; *non derelicta,* nam, uti promissum est : montes commovebuntur et colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te (54, 10), salus enim Domini est sempiterna (51, 6) et « sponsabo te mihi in sempiternum » (Os. 2, 19).

Demum adverte, a v. 10 complures reditum ex Babylone potissimum describi censere; explicant v. 11 de Cyri decreto. Ita iam *S. Thom.*; sed toto contextu et antecedentibus oraculis suadetur, de priore liberatione hoc loco sermonem non inferri nisi in quantum liberatio sublimior, de qua in tota serie orationum agebatur, ad modum et schema prioris aliqua ratione depingitur. Ergo id dici potest quod in prima iam sectione saepius vidimus (40-48) quandoque utramque liberationem propter nexum internum et rationem typicam prioris una quadam imagine exhiberi. Quare etiam *Sanct.* adnotat ad nostrum locum: « utriusque Sionis quanta futura sit felicitas declarat et quam certa pax et tranquillitas ». Neque est abs re, si tali loquendi forma hoc loco propheta utatur. Nam conditio praevia est, ut reduces ex exsilio iterum urbem aedificent et cultum Dei in Ierusalem instaurent. Unde quo maiore desiderio flagrat propheta, ut salus messianica quam citissime et uberrime exoriatur, eo maiore quoque studio exoptare debet, ut quam plurimi animis promptissimis ex terra aliena Deo vocante redituri sint. Hi enim reduces sanctum illud semen sunt (6, 13), ex quo novus populus Dei orietur. Quae erat morum conditio tempore Isaiae, nonne timendum erat ne plurimi vita liberiore gentilium illecti in terra aliena remanerent Deo suo spreto? Unde postquam salutem venturam splendide descripsit, plane non erat alienum a mente et consilio prophetae, denuo inculcare conditionem illam qua ad salutem adipiscendam erat enitendum.

6. *Oratio sexta* 63, 1-64, 12.

Arg. — Offertur vati species victoris et triumphatoris qui venit de Edom, ubi iudicium et ultionem in gentes exercuit solus sua adiutus potentia, et iudicii huius indicia vestibus impressa gerit (63, 1-6). Quomodo Israel huic vindici obviam ibit? Propheta primo gratias agit Deo benignissimo qui tot beneficia populo praestitit et contumacem quoque et rebellem ideo castigavit, ut aerumnis eruditi et pristinorum beneficiorum memores ad Dominum redirent (63, 7-14). Dein ferventi oratione Deum misericordem implorat, ut conditionis populi miseriis et peccatis pressi misereatur memor mirabilium suorum (63, 15-19); utinam Deus sicut olim maiestatem suam et potentiam hostibus demonstraret in terrorem, immensam autem bonitatem et clementiam piis ac fidelibus in salutem (64, 1-5)! Utique iustos diligit Deus; populus autem quam plurimis sceleribus est maculatus; sed cum nihilominus populus sit a Deo electus et cum in ignominia populi ipse quoque Domini honor opprobriis afficiatur, adest, cur remedium malorum et auxilium a Domino firmiter speretur (64, 5-12).

Oratio haec proxime adiungitur antecedenti. Dixerat vates 62, 11: ecce salvator tuus venit... iam eum depingit venientem victoria de ho-

stibus reportata. Sed simul populum docet quali ratione sese debeant praeparare, ut salutis oblatae fiant participes. Quare populo in formam quandam precandi praeit, qua beneficia olim praestita extollit, peccata commissa confitetur et deflet, aerumnas quibus omnes premuntur Deo exponit et maximo desiderio opem divinam efflagitat valentissimis rationibus spei et fiduciae adductis. Iterum ergo propheta illa de salute messianica documenta suis aequalibus reddit utilia docens quomodo grata recordatione beneficiorum Dei sese oporteat disponere ad nova accipienda, quomodo tribulationes sint subeundae et considerandae tamquam castigatio iuste pro peccatis inflicta et proin cum poenitentia toleranda, sed etiam quanto simul desiderio obviam ferri deceat promissis a Deo datis et quanta spe et fiducia illa sint expetenda. Hisce et aequalibus et posteris normam praefigit qua animos sensusque dirigant et qua in omni rerum vicissitudine firmiter Deo adhaereant optime scientes ad quem salutis terminum veri Dei cultores sint adducendi.

a) **Triumphator ex Edom 63, 1-6.**

Uti cap. 34, ita hic quoque Edom tamquam adversarius qui prosternendus sit κατ' ἐξοχήν exhibetur, tamquam is scil. qui omnes omnium in Deum inimicitias in se uno repraesentet atque complectatur. Neque immerito. Erant enim Edomitae quamvis generis propinquitate Israelitis maxime coniuncti, tamen perpetua et hereditaria hostilitate et odio implacabili eis infensi (cf. Ps. 136, 7. Lament. 4, 21. Abd. 10 seq. *Euseb. For. Malv. Mald. Sanct.*); unde si more prophetico in una imagine certa quaedam ac definita forma omnium inimicorum regni Dei erat describenda, hanc quasi formam ac typum praebent Edomitae. Vide quae ad cap. 34 dicta sunt. Proponitur itaque Messias qui ut salutem afferat hostes deiicit et praeclara victoria parta iam triumphantis in modum ingreditur. Unde v. 1 « *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum* » ! — bene notat *For.* sermonem conformari ad 62, 11, quare iam appropinquans civitati inducitur et de hostibus triumphans. Modo illo interrogationis et attentio excitatur et optime describitur quanta animi admiratione vates mentis intuitu cernens victorem illum praeclarissimum ac splendidum fuerit repletus; quare ea quaestione posita etiam in audientium animis eximia quaedam species maiestatis et triumphi excitatur, quae verbis additis de pompa et splendore vestimentorum et amplitudine roboris quo ille incedit non potest non augeri. De Bosra vide 34, 6. Am. 1, 12. Ipse triumphator declarat quis sit : *ego loquens*

in iustitia, potens ad salvandum (hebr.), ergo is cuius omnis sermo et actio ad iustitiam efficiendam dirigitur, ad illum scil. statum qui normae divinae sit consentaneus, et cui ad salutem praestandam adest vis ac potentia. Hac responsione ipsum describi servum Domini ex antecedentibus satis superque elucet (cf. 42, 4. 6 ; 49, 6 seq. 50, 4 ; 53, 11 ; 61, 1 seq.).

Iam quae sint vestes tinctae, rubicundae vel coccineae, et quare isto colore fulgeant, inquiritur v. 2 « *quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari* » ? — verbum אָדֹם *rubrum* ad Edom אֱדוֹם alludit (uti iam adnotant *S. Hier. Theod. Pint. Sanct. Mald. Tir.* etc.), sicut Bosra quoque בָּצְרָה alludit ad בָּצַר uvas abscindere, vindemiare, ita ut iam nomina quae selecta sunt symbola exhibeant rerum gestarum. Unde fortasse alia habetur ratio cur in Edom quasi in uno ex quo discas reliqua iudicium illud exerceri dicatur. In hebr. *cur rubrum vestimento tuo* vel in vestimento tuo ? qua loquendi forma indicatur rubrum esse vestibus aspersum, proin rubedinem non esse ipsum vestimentorum colorem, id quod membro altero etiam clarius enuntiatur, vestes scil. esse aspersas succo uvarum, esse sanguine maculatas. Quare quaestio illa est admirantium ; « doctori namque iustitiae et salutis auctori non cruentae vestes sed candidae atque purae conveniunt » (*Osor.*). Ipse autem ingreditur indicia gerens laboris et conculcationis i. e. iudicii exerciti et ultionis de inimicis sumptae; id scil. torculari designatur ; vide 16, 9.

Idem responsione declaratur v. 3 « *torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum ; calcavi eos in furore meo et conculcavi eos in ira mea et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea et omnia indumenta mea inquinavi ;* v. 4. *dies enim ultionis in corde meo ; annus redemptionis meae venit* » ; — symbolum calcantis torcular declaratur in v. 4 ; messis saepius pro figura iudicii adhibetur ; cf. Is. 17, 5 ; 18, 5; 27, 12. Os. 6, 11. Ioel 3, 13 quo loco et messis et torcularis symbolum eadem notione proponitur. Ultio de inimicis capta et salus vel redemptio intime inter se iunguntur. Hostes igitur delentur iisque superatis exsurgit salus. Idem ergo hoc symbolo nobis hic offertur quod ab initio libri Isaiae toties deprehendimus : prostratione adversariorum Dei regnum Dei, gloriam eius, salutem veramque iustitiam exsurgere. Is enim qui modo se iustitiae causam agere, eam stabilire et esse potentem ad salvandum professus est, idem iam dicit inimicos a se conculcatos ; unde aperte nexus idem declaratur. Iam opus hoc describit tamquam laborem susceptum, quem solus per se a nullo hominum adiutus subierit, quem sacra quadam indignatione, vehementia multa et insi-

gni peregerit constantia et fortitudine et cuius vestigia et indicia adhuc in eo cernantur. Haec ipso rei symbolo proposito enuntiantur. Iam singula ex antecedentibus explicationem habent non difficilem. Ultionem et redemptionem uno in opere concludi ex iis quae ad cap. 24 disputata sunt facile fluit ; idem enuntiatur, dum Dominus tamquam bellator fortis describitur qui hostibus superatis salutem efficit (cf. 42, 13 seq. ; 59, 17 seq.) ; idem demum indicatur omnibus illis locis quibus vel iudicia Dei vel Messias pro hominum varia habitudine vel in ruinam vel in resurrectionem fore dicuntur. Atque quo magis unum Dei consilium perspicias, adverte idem iam clarissime simul ac brevissime designari in primo vaticinio messianico : eo ipso enim quod serpenti caput conteritur, victoria reportatur et salus acquiritur a semine mulieris (Gen. 3, 15). *Solus* opus illud peregit ; id iam 42, 1-6 et 49, 2 seq. innuitur, cum omnis effectio operis messianici ad unum servum Domini referatur ; id ipse enuntiat 50, 4-9 ; id descriptione cap. 53 continetur et quasi ad vivum depingitur ; id totidem verbis de Iahve dicitur 59, 16 et 61, 1 seq. servus Domini denuo sibi soli opus illud perficiendum attribuit. Quomodo solus peregerit, declaratur : *de gentibus non est vir mecum* ; Dominum enim ei adfore adiutorem iam saepius dictum est ; cf. 42, 6 ; 49, 8 ; 50, 7. 9 ; 53, 12. Solus peregit ; « neque enim humanae auctoritatis vel dignitatis vel eloquentiae vel humanarum denique facultatum auxiliis usus sum ; nulla praesidia hominum, nullam potentiam, nullam artium disciplinam, nullum denique studium in huius gloriae societatem adscivi » (*Osor.*). Operis autem peracti insignia gerit : *et aspersus et succus eorum super vestimenta mea* (hebr., uti recentiores vertunt communiter ; alii *vigorem vitae* vocem explicant, uti Lament. 3, 18 ; LXX, *Syrus*, *S. Hier.* vertunt *sanguinem*).

Labor certaminis et molestia et difficultas, conatus victoris et victoria denique reportata denuo exhibentur v. 5 « *circumspexi et non erat auxiliator, quaesivi et non fuit qui adiuvaret, et salvavit mihi brachium meum et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*, v. 6 *et conculcavi populos in furore meo et inebriavi eos in indignatione mea et detraxi in terram virtutem eorum* » ; — cf. 59, 16. Qui in labore obeundo anxie circumspicit num non adsit qui adiuvet, qui quaerit opitulatorem, eo ipso laborem sibi incumbere dicit viribus suis fere difficiliorem, animi pandit angores et quantae sibi uni molestiae exantlandae sint, ipsa illa oculorum in omnem partem circumspectione anxia et auxilii postulatione abunde declarat. Verum in hac auxilii externi inopia maiores spiritus assumit ; ipse robur suum quasi ad maiores conatus excitat, indignatione qua vires animi corporisque fulciantur et ad ausus grandes provocentur subnixus adversarios impetu facto conterit, eos *inebriat* (cf.

19, 14 ; 29, 9) i. e. ingentibus tribulationibus eos prosternit veluti propinans illis maximas calamitates (*For.*) et ita *virtutem*, hebr. *succum* eorum vel sanguinem (cf. v. 3) *effudit* (hebr.) in terram. Ter victoriam partam proclamat; est trina haec exclamatio quasi paean victoris qui labore certaminis transacto de triumpho exsultat ; nota *populos* ter commemorari ; quare in Edom non de solis Edomitis vindictam esse captam annuntiatur, sed Edom tamquam symbolum poni et exemplum inimicorum Dei designatur.

Restat ut paucis huius symboli vim et rationem expendamus. Qui torcular calcavit, eo modo nobis describitur quo et labor eius exhibetur et ipsa quoque certaminis laborisque indicia in eo conspicua adesse significantur. Neque quis iure dixerit haec duo in symbolo proposita significatione carere, nam adeo in ipso symbolo eminent et efferuntur, ut ea in explicatione negligere minime liceat. Unde cum is qui torcular calcaverit idem sit qui loquens est in iustitia et potens ad salvandum (v. 1), is de quo hoc loco agitur, alius esse non potest quam servus Domini. Hic enim in utraque conditione et eius qui labores subeat et eius qui salutem afferat et iustitiam doceat et efficiat nobis in antecedentibus continuo exhibetur. Habes labores eius descriptos 49, 4. 7 ; 50, 4-8 ; 53, 1-12 ; doctrinam autem et salutem 42, 1 seq. 49, 1 seq. 61, 1 seq. Hoc autem symbolo praeprimis effertur ut qui, dum hostes prosternit, laborem subierit laborisque vestigia in se expresserit et qui victoria parta cum omnium admiratione ipse gloriosus gloriosum agat triumphum. Est ergo hoc symbolum primo plane accommodatum ad illud quod in protoevangelio iam nobis proponitur : semen mulieris utique victoriam reportat de serpente, capite scil. serpentis contrito ; verum haec victoria ei non contingit sine vulnere ; dum enim caput serpentis calcaneo conterit, ipsius quoque calcaneus vulneratur, conteritur (Gen. 3, 15 hebr.). Id quod in sacra Christi passione plene impletum cernis. Ad eam enim progressurus Christus principem huius mundi esse iamiam eiiciendum aperte professus est ; eum devicit morte sua ; ergo non sine vulnere, non sine labore. Et eandem suam passionem vocat : nunc est iudicium mundi (Ioan. 12, 31). Iam in nostro symbolo populi quos conculcat adversarii sunt Dei ; proinde neque ille erit excludendus qui omnium adversariorum Dei est antesignanus et princeps adeo, ut princeps huius mundi singulari modo appelletur. Potestas autem inimica devicta est in sacratissima passione et morte Christi. Hac Christus sibi meruit gloriam, sibi meruit ut iudex sit mundi, iudex omnium vivorum et mortuorum, sibi meruit ut tandem omnes inimici ponantur scabellum pedum suorum. Ergo revera in passione sua contrivit potestates inimicas, et quaecumque demum victoriae iam reportantur a singulis, ab Ecclesia de variis ini-

miorum visibilium et invisibilium generibus, singula in hostes Dei iudicia et iudicium universale in consummatione saeculorum, haec omnia non sunt nisi fructus et sequelae magnae illius victoriae per passionem acquisitae : nunc est iudicium mundi. Haec impletione per Christum facta per se innotescunt; sed ex iis demum docemur quam apte symbolum hoc sit selectum et ipsius symboli vis et ratio nobis panditur.

Christus *solus* torcular calcavit (50, 7); quis enim alius ex hominibus peccatoribus certamen illud inire et diabolum vincere poterat? Uti Deus solus sine ullo hominum merito promissa dat (44, 24), ita solus Messias ad opus illud efficiendum eligitur, ungitur, instituitur (42, 1; 61, 1). Etiam *solus* labores illos messianicos subit, uti iam innuitur 49, 4. 8; 50, 7. 8; 53, 4. Iam si in sacratissima passione et morte revera potestatem inimicam contrivit i. e. torcular calcavit, eius ingressus in v. 1 descriptus non est aliud nisi triumphus victoria parta actus, uti verba ipsa satis indicant. Is autem triumphus agebatur a Christo in sacra resurrectione gloriosa et in gloriosa qua illa quasi absolvebatur in coelum ascensione. Quare iuremerito veteres interpretes (*Pint. Sasb. Lap.*) in v. 1 ascensionem Christi delineari existimant. Atque revera ingrediens in coelum secum fert vestigia certaminis, sacratissima vulnera, et venit a magno illo labore et iam est « formosus in stola sua et gradiens in multitudine fortitudinis suae » gloria scil. et honore coronatus, excelsior coelis factus et considens ad dexteram maiestatis in excelsis (cf. Hebr. 1, 3; 7, 26). Quod vestimenta aspersa sunt ex imagine torcularis per se consequitur; aliis in locis passio eius verbis propriis describitur (53, 2 seq. Zach. 12, 10) quibus vulnera eius quoque indicantur.

Describi h. l. Christum salvatorem ac triumphatorem constans est ac vera SS. Patrum sententia (vide quos recenset *Reinke* l. c. p. 354. 359 et *Tailhan* l. c. p. 391) quam plerique etiam interpretum amplectuntur et latini quidem interpretes fere omnes et ex recentioribus *Allioli, Bade, Loch, Net. Rohl. Troch.* — Cum igitur in re praecipua consentiant, parum interest quod alii explicite de Christi in coelos gloriosa ascensione, alii de spoliis gentium praedicatione evangelii collectis, alii de ultima victoria cogitent qua antichristus prosternetur (cf. Apoc. 19, 15). Quae est ratio symboli, una imagine multa simul repraesentari possunt et certe hoc loco ea omnia non esse aliena a symbolo censenda sunt, quibus Christi de hoste triumphus quovis modo illustratur. Quaerunt alii quoque qui sint h. l. interrogantes. Admirationem aliqui explicant angelorum Christum cernentium ingredientem in coelum. Sed cum nihil de angelis in toto vaticinio dicatur et alias tamen Isaias ubi de angelis agitur angelos nominet, pia magis quam vera ad mentem prophetae ea videtur esse sententia. Quaestio igitur, cuius auctor nemo assignatur, ad ipsum vatem referenda erit qui hac dicendi forma et attentionem excitet et suam de visione praeclara

admirationem apte vestiat et gratam dicendi scribendique varietatem inducat.

Alii autem hunc victorem ipsum intelligi volunt Dominum, Iahve (*Schegg*, *Reinke* aliique quos recenset p. 361; *Ges. Hitz. Kn. Hahn, Sein. Del. Naeg. Or.*), pro qua acceptione provocari potest ad 42, 13 et praesertim ad 59, 16 seq. et ad 34, 8, quo in loco dies ultionis Domino esse dicitur in Edom. Sed re bene considerata non Iahve, sed servus Domini hoc symbolo describi videtur. Cum enim labor et molestia certaminis efferatur, iam hoc loco potius de eo erit cogitandum qui in antecedentibus talem laborem subire ostensus est; symbolum vestimentorum sanguine aspersorum praeclaram et facilem habet explicationem in Messia, nullam in Iahve, quia divinitas in se neque assumpsit signa quaedam laboris neque reliquias certaminis servavit. Neque valet quod obiicitur a *Del.* vestimenta non ipsius herois sanguine, sed sanguine hostium esse conspersa; ergo non agi de Messia. Nam symboli vis ac ratio ea solum est ut exprimatur, dum heros ille hostes contriverit, in ipso apparere laboris peracti vestigia eaque etiam cerni, dum triumphum agat. Hoc requiritur et plane sufficit ad veritatem symboli. Adde si vis vulnera Christo revera ab hostibus fuisse inflicta iisdem quos vicerit morte sua. Ceterum si oporteret symbolum illud adeo ad literam urgere, ut sanguine hostium aspergi deberet, quid quaeso habes in ipsa divinitate quod sanguine illo conspersum sit?

Alii demum hunc triumphatorem in rebus gestis vel Cyri vel Israelitarum quaerunt. Ita *Kn.* victorem explicat Cyrum, qui strage cruenta Croesum regem Lydiae gentesque ei foedere iunctas prope Sardes prostraverit (Herod. 1, 80; Cypropaed. 7, 1). Alii minas proferri in Edomitas volunt iisque indici exterminium, quod secundum alios intulerit Nabuchodonosor (*Eichhorn, Koppe*), secundum alios Iudas Machabaeus (cf. 1 Mach. 5, 3 seq. 65. 2 Mach. 10, 15; *Iosephus* Ant. 12, 11. 12; ita *Grotius, Calm.*), vel Hyrcanus (*Moldenhawer*). Uti alii sub nomine Edom regnum babylonicum intelligunt prostratum ope Dei a Cyro — sic sensu historico apud *Sanct.* sic *Dereser* — ita alii partim sequentes rabbinorum interpretationem Edom nomine designari opinati sunt imperium romanum rei religiosae infensum vel etiam ipsius antichristi inimicitias (cf. *Vitringa*). Singula refutare non erit opus, cum huius orationis cum antecedentibus nexu satis ostendatur, neque de Cyro, neque de Machabaeis fieri sermonem, neque solum invectivas proferri in Edomitas. Neque opus est cum *Naeg.* assumere vati in ea descriptione ob oculos versatam esse victoriam ab Amasia rege de Edomitis reportatam, de qua 4 Reg. 14, 7 et 2 Par. 25, 5-12, et eam victoriam quasi typum assumi cui oraculum superstruatur. Poteris utique et debebis distinguere inter symbolum quale forte ab Isaia sit intellectum et inter ea quae impletione facta in symbolo apte contineri et exprimi nos intelligere possumus. Isaias fortasse nihil aliud spectavit in symbolo nisi id quod saepius enuntiatur simul cum salute messianica fore iudicium in gentes et Dei adversarios iri prostratum; proinde Messiam venire quoque iudicem in ruinam et triumphatorem de inimicis. Atque hoc pro oratione contexta per se sufficit.

b) **De collatis beneficiis aguntur gratiae 63, 7-14.**

Spectaverat propheta Messiam *iudicem* (*S. Thom.*) adversarios Dei conterentem et parta victoria gloria et honore coronatum. Erit ergo Messias in ruinam multorum (cf. 8, 14). Sed cum in ipso populo electo etiam adsit tanta iniquitas (58, 2 seq. 59, 2 seq.), nonne timendum erit, ne suum quoque populum ille iudex sit conculcaturus? Quare propheta ostenso iudice et clade inimicorum Dei certo annuntiata iterum oraculum ad erudiendos aequales utile reddit explicans, quomodo se debeant praeparare, ut Messiae iudici secure obviam ire possint, ne ipsi quoque ab eo inter adversarios conculcentur. Hanc autem praeparationem animorumque dispositionem in se ipso delineat propheta. Quemadmodum in cap. 2 oraculum de monte Domini proponitur, ut ex eo conditio populi praesens reprehendatur, ita hoc loco doctrina inculcatur de Messia vindice iniquitatis, quo remota iniquitate melius sese disponant ad salutem accipiendam. Quare oraculum hoc v. 1-6 non est cum aliquibus a subsequenti precatione separandum (*Schegg, Hahn, Del. Naeg.*), sed ei potius argumentum praebet et rationem.

In Messia victore ac triumphatore bona cuncta concluduntur. Quare primum quod eius gloria visa menti prophetae offertur est recordatio beneficiorum Dei multiplicium; illud enim, ut *Sanct.* ait, insigne beneficium aliorum memoriam renovavit; « unde promittit quod ad orationis pondus plurimum confert animi grati memoriam, quae valde laxat divinum pectus ad omne liberalitatis officium; dum autem antiqua beneficia commemorat, ea supra omnia populi merita et ab una Dei singulari misericordia profecta dicit; quod ad obtinendum quod a Domino postulas potentissimum et quam saepissime a Patribus utriusque testamenti repetitum est » (*Sanct.*). Quare v. 7 « *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quae reddidit nobis Dominus et super multitudinem bonorum domui Israel, quae largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem misericordiarum suarum* » ;— hebr. laudes vel encomia Domini se celebraturum promittit sicuti decet de omnibus etc.; prius ergo celebrat favores Domini eiusque gloriam, dein (uti hebr. bene concipitur) copiam bonorum domui Israel ex liberalissima Dei benignitate praestitorum. Optime inter se iunguntur miserationes vel favores Dei et laudes vel encomia, quia quot sunt favores, toties Deus se ipsum glorificavit et toties amplam praestitit materiam et rationem valentissimam laudis ab hominibus sibi persolvendae. Iudici qui loquitur iustitiam petitionem porrigit, ut *S. Thom.* dicit; unde iuremerito Deo proponit quam multa

et praeclara olim pro populo gesserit, et ita eum ad ulteriorem pietatem et miserationem inflectit; idem fit dum animum gratum ostendit. Exorsus a gratiarum actione nos docet quam efficax reddatur oratio et petitio et quam Deo accepta grata memoria beneficiorum acceptorum. Animi autem Deo vere grati est beneficia ad unam Dei benignitatem referre et misericordiam exaltare, nihil autem de propriis meritis praesumere sed se indignum plane et imparem illis profiteri.

Cur Deus illa populo praestiterit, explicatur v. 8 « *et dixit : verumtamen populus meus est, filii non negantes; et factus est eis salvator* »; — Deus enim foedere et promissis patriarchis datis fideliter stetit; unde populum hunc sibi elegit in peculium de cunctis gentibus (Ex. 19, 5) ea utique spe et exspectatione, ut filii sint qui non mentiantur, non fallant (hebr.), qui quod spoponderint fideliter servent. Ea enim conditione foedus erat initum : « si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus... responditque omnis populus : cuncta quae locutus est Dominus faciemus » (Ex. 19, 5. 8). Deus ergo electionis suae memor et foederis populum suum magna amoris significatione prosequitur, bene de ipso sperat humano modo loquens : *filii* sunt, non erunt mendaces, rebelles, perfidi in patrem; vel beneficiis capti et deleniti fidem servabunt; quare adeo benigne sentiens de populo ei salutem et opem multiplicem praestitit. Vide quantopere verbis istis vates commendet et extollat divinam liberalitatem et amorem, sed etiam quantos iam aculeos colligat pro populo rebelli et contumaci!

Quam egregie Deus se praestiterit salvatorem, quantopere ergo ipse pro sua parte revera amorem ostenderit et optimam de populo existimationem operibus demonstraverit, iam grato animo vates recenset v. 9 « *in omni tribulatione eorum non est tribulatus et angelus faciei eius salvavit eos; in dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos et portavit eos et elevavit eos cunctis diebus saeculi* »; — hebr. explica secundum qeri : in omni tribulatione eorum doluit, i. e. miseriis eorum et afflictionibus tactus est, quare amanter opem tulit; eodem modo explica verba latina : non aversatus est eorum angustias; etsi iterum iterumque afflictionibus pressi eius opem requisierunt, non repudiavit, non moleste tulit, minime eum piguit. Idque opere exhibuit mittens angelum faciei i. e. angelum in quo facies vel praesentia Dei populo exhibebatur, in quo erat nomen Dei (Ex. 23, 21), qui Dei personam gerens Dei nomine et auctoritate ad populum loquebatur. Angelus dux erat et protector itineris per desertum (cf. Ex. 23, 20-23; 33, 2. Num. 20, 16) neque in terra palaestinensi eius ope destituebantur (cf. Iud. 2, 1; 6, 11 seq. 13, 3. Ps. 90, 11). Cum *facies*

Dei saepius dicatur etiam arca foederis vel sanctuarium ubi Deus peculiari ratione habitare censetur (Ex. 23, 15. 1 Reg. 1, 22 — unde frequens illud ante conspectum, hebr. faciem Domini) vel etiam nubes illa qua Deus suam manifestavit praesentiam (cf. Ex. 33, 14. Deut. 4, 37), angelus faciei eius apte dicitur angelus qui personam Dei gerens in sanctuario aderat, in nube se manifestavit, et ita opem Dei praesentem iis exhibuit. Talem ergo habebant comitem, in quo ipsa quasi facies Dei relucebat, in quo Deus se ipsis praebuit spectandum. Deum enim in vetere testamento non immediate apparuisse i. e. nunquam apparuisse in corpore immediate et per se assumpto vel in figura immediate et per se formata sed mediante aliquo angelo constans et vera est scholasticorum duce S. Thoma sententia (de qua vide quae annotavi ad Os. 12, 3 et Zach. 1, 11). Beneficium redemptionis ex Aegypto gratuito praestitum denuo effert, ei subiungit exaltationem populi et multiplicem opem diebus antiquis concessam, de qua vide ad 1, 2. Proinde varia beneficia olim praestita brevi sermone recensentur; quare prius quoque membrum de omni tribulatione non de sola afflictione populi in Aegypto, ut vult *Naeg.*, exponendum est, sed sensu ampliore intelligatur oportet; neque obstat angelus faciei eius, etsi angelus hic solum auctor liberationis ex Aegypto et dux itineris intelligeretur; nam quod in primo membro in universum affirmatur : Deum non piguisse iterum iterumque populo afflicto assistere, id in subsequentibus membris enumeratione quadam secundum rerum gestarum seriem comprobatur.

In textu hebr. adest kethib לֹא צָר, qeri לוֹ. Negationem exprimunt LXX, *Syrus, S. Hier.* et certe etiam *Theod.* cum praebeat οὐ πολιορκητὴς καὶ ὁ ἄγγελος τοῦ προσώπου, itemque *Chald.* Verba aliter ab aliis accipiuntur. LXX vertunt οὐ πρέσβυς οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ᾽ αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς; acceperunt ergo צר quasi צִיר cf. Is. 18, 2 et 57, 9 et Abd. 1 et פָּנָיו *facies eius* de ipso Deo interpretati sunt. Lectionis duplicis mentionem quoque iniicit *S. Hier.* : « quod hebr. dicitur *lo* et est negantis adverbium pro *non* legi potest et *ipse,* ut sit sensus : in omni tribulatione eorum ipse est tribulatus i. e. Deus, ut non solum peccata sed et tribulationes nostras ipse portaret ». Quomodo צָר sit accipiendum, multum inter se dissentiunt interpretes et veteres et recentiores. *Syrus* et *Chald.* explicant : non eos tribulavit, non eos afflixit; fortasse צר acceperunt, uti etiam alii quidam : non erat eis hostis, vel non erat eis afflictio (cf. *Malv. For. Mar. Sanct. Doederlein, Eichhorn, Ges. Bauer*). *Hahn* vocem explicat a צרר et videt allusionem ad צִיר *petram : non erat lapideus* i. e. non erat durus, non erat sine misericordia. Sed plerique legunt cum aliquibus codicibus et editionibus לוֹ (cf. *de Rossi*) explicantes : in omni tribulatione eorum ei erat angustum i. e. ipse doluit, ipse de eis sollicitam habuit curam; ita *Schegg, Reinke, Rohl. Troch. Hitz. Ewald, Kn. Del. Cheyne, Sein. Naeg. Or.* etc. — Haec explicatio eo commendatur quia cura quam Deus gesserit de populo magno cum pondere exprimitur, id quod ad orationem gratiarum actionis omnino est accommodatum, dum e contra aliae explanationes :

non erat afflictio, non erat hostis, et parum dicunt ratione habita gratiarum actionis et mancae esse videntur, quia vel *eis* vel *ipse* esset exspectandum. Immo iure asserere poteris alias explanationes ne verum quidem sensum fundere; nam illis *non* fuisse afflictionem, quomodo cum libris historicis conciliabis? *non* Deum iis immisisse calamitates, quomodo id constare poterit, cum sollemne sit sacris auctoribus asserere, Israelitas non hostium potentia sed a Deo vindice peccatorum esse castigatos? Deum autem non se hostem praebuisse populo, id quidem ut est verissimum, at pro precatione et laude divina tamen est languidum nimis et fere intolerabile post v. 7 et 8.

Iam quid populus pro beneficiis rependerit, cum animi dolore vates commemorat precationem ad confessionem peccatorum et poenitentiam inflectens: v. 10 « *ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt spiritum Sancti eius, et conversus est eis in inimicum et ipse debellavit eos* »; — hebr. *et ipsi rebelles erant et contristaverunt spiritum sanctum eius;* breviter quidem sed nervose tota series rerum israeliticarum et frequens eorum infidelitas et inde quae sequebatur castigatio recolitur. In qua re peccatum consistat et quae ex eo consequantur, graviter hic exprimitur. Est enim peccatum inobedientia, rebellio, qua Deo resistit peccator (hebr.) et spiritum Dei sanctum, omnis sanctitatis auctorem et hortatorem, quo inspirante et impellente ad probitatem quisque et pietatem invitatur, repudiat eique molestiam quasi et afflictionem creat, quia conatus illius irritos reddit et impulsus gratiae exstinguit. Unde Deus iam ex amico convertitur in inimicum, qui bellum infert offensoribus, et quis tali adversario resistet? Experti sunt hoc Israelitae satis superque. Uti antea laetatus est super eos bene faciens, sic iam coactus est eos subvertere ac disperdere (cf. Deut. 28, 63. Ps. 105, 32). Bellum eis intulit per gentes vicinas et longinquas quarum servituti subiiciebantur. Ita peccatis suis exciderunt a statu illo felici, ad quem per Dei benevolentiam erant evecti. Humili confessione facta propheta agnoscit id iure iis accidisse. Sed cum ad dignitatem populi Dei sint evecti et dona Dei sint sine poenitentia, inter ipsas miserias meliora sperare possunt. Id propheta iam effert.

Ostendit populo quomodo afflictionibus eruditi Deum possint et debeant obsecrare per magnalia illa quae olim pro suis patravit, ei quasi in memoriam reducens pristinum pro populo suo zelum eumque admonens ne tantum laborem incassum esse permittat. Unde v. 11 « *et recordatus est dierum saeculi Moysi et populi sui* »; — hebr. *et recordatus est dierum saeculi Moysi populus eius;* ita verba esse intelligenda ex subsequentibus patet. Vult scil. vates, ut populus praesentem miseramque rerum conditionem cum pristinis comparet beneficiis et ita ad desiderium salutis redeat et simul tali precatione Deum emolliat ad cle-

mentiam. Populum recordari dierum priscorum rite intellexerunt *Osor. Pint. Mald. For. Clarius, Sa, Malv. Schegg, Net. Rohl. Troch.*; Deum recordari volunt *S. Hier. Cyr. Thom. Sasb. Sanct. Mar. Lap. Men. Tir.* i. e. Deum variis in calamitatibus per iudices, Gedeonem, Iephte etc. opem tulisse populo. Sed cum in sequentibus populus loquatur, immerito pro hac parte mutatio subiecti inducitur. Deum recordari dicit opem a Deo latam. Sed hanc opem populus iam non habet. Unde eo quoque nomine altera haec explicatio admitti nequit, nisi multa suppleveris, Deum scil. olim quidem populo adstitisse etc. Neque satis ad v. 10 adnectitur haec explicatio, cum nulla appareat ratio, cur peccatis populi commemoratis et eius vindicta explicata subito addatur eum benigne populi memorem fuisse.

Sola vexatio dabit intellectum (29, 19). Miseriis pressi in memoriam sibi revocent quantis favoribus maiores fuerint a Deo ditati et quanta iis promptitudine Deus opitulator adfuerit; unde salutare desiderium vates excitare in iis studet : « *ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio eius spiritum Sancti sui* »? — vel hebr. *qui posui in medio eius spiritum sanctum suum,* vel *spiritum sanctitatis suae.* Commemoratur liberatio ex Aegypto quia uti est praeclarum initium quo Deus foedus olim promissum in opus deducere incipit — inde nomen *Iahve* tamquam eius periodi tessera et augurium promulgatur —, ita tamquam pignus consideratur et typus liberationis futurae maioris (cf. 43, 17. 18; 51, 10). Ad conditionem qua nunc premuntur (cf. 42, 22 seq.) perbene convenit quod eductionis e mari recordantur et pastorum, Moysis scil. et Aaron, quos Deus gregi suo providerat, qui gregem Domini colligerent, educerent et ad bona pascua adducerent. Hi enim coram Pharaone rem populi agebant et populum in deserto legibus Dei et sacris ritibus instituebant revera formantes populum theocraticum (cf. Ps. 76, 21. Mich. 6, 4). Deus autem electionem populi factam altiore dono sanxit et confirmavit; spiritum sanctum suum, spiritum scil. prophetiae quo Dei laudes annuntiantur et sacrosancta legis divinae observantia vindicatur et Dei voluntas sancta ad homines perfertur, posuit in medio eius, eum communicans Moysi, Aaron, Miriam, septuaginta senioribus aliisque (Num. 11, 25 seq. 12, 2).

In hebr. legitur numerus singularis רֹעֵה *pastorem*, quem LXX quoque praebent, qui praeterea *eos* non legunt sed : ποῦ ὁ ἀναβιβάσας ἐκ τῆς θαλάσσης τὸν ποιμένα τῶν προβάτων αὐτοῦ; legerunt igitur הַמַּעֲלֶה quam lectionem praebent « cod. Kenn. antiquissimus, meus 4 hispanus et accuratissimus, sicque correctum in hispano altero 560, ut plane legunt LXX, Syrus et Arabs » (*de Rossi*); eandem lectionem praeferendam censet *Naeg.* etiam propterea quia forma *mas.* הַמַּעֲלֵם non est plane ad omnes regulas exacta (exspectares הַמַּעֲלָם). Verum hoc minime valet; nam participium

cogitari potest vim verbalem ac notionem plane retinere (cf. *Del.*). Hoc autem membrum intelligit *Naeg.* de Moyse puerulo qui servatus est ex aquis Nili. *S. Cyr.* et *Theod.* legunt ἐκ τῆς γῆς; *Euseb.* ἐκ τῆς θαλάσσης. *Syrus* plane exprimit lectionem LXX. — Aliqui mirantur in lectione consueta mentionem fieri Moysis cum liberatio eius e mari a reliquorum liberatione non fuerit distincta neque singulari modo insignita. Quare *Kn.* ad ea verba ex antecedentibus supplere vult : et recordatus est pastoris gregis sui. Sed immerito. Cum enim Deus Moysen ducem populo praeficeret eique eam conferret potestatem, etiam insigne beneficium populo contulit ; quare iuremerito mentio fit Moysis.

Ceterum adverte lectionem *mas.* esse רֹעֵי pluralem numerum, quem *S. Hier.* et *Aq.* quoque expresserunt et quem plurimi codd. et multae ferunt editiones (cf. *de Rossi*) et quem etiam *Baer* et *Delitzsch* in editione textus mas. adoptarunt ; censetur autem esse lectio *mas.*, quia hic locus non recensetur inter quattuor רֹעֵה in *he* exeuntia. Cum igitur pluralis numerus sit legendus, etiam illa cadit explanatio qua *pastor* gregis intelligitur angelus faciei.

Neque hisce beneficia sua contineri voluit Deus ; alia addidit splendida et egregia v. 12 « *qui eduxit ad dexteram Moysen brachio maiestatis suae, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum* » ; — i. e. qui Moysen quasi apprehensa dextera deduxit, eum ingredi fecit eique potentia sua et maiestate adstitit ; ita LXX ὁ ἀγαγὼν τῇ δεξιᾷ Μωϋσῆν ; sim. *Sasb. Mald. Osor. Lap. Men. Tir.* ; alii in *dexteram* explicant in viam expeditam, in sortem prosperam (*S. Hier. Sanct.*), sed hebr. verte *ire faciens ad dexteram Moysis brachium gloriae suae* (cf. *For. Reinke* etc.) i. e. potestate sua gloriosa Moysen est comitatus, ei quasi commodans potentiam suam qua utatur ad mirabilia patranda. Ex illis commemorat fluctus scissos et maris rubri et Iordanis, quibus viam aperuit ut et carcere egrederentur et in promissam ingrederentur patriam (cf. Ex. 15, 15. Ios. 5, 1). Quibus miraculis nominis sui gloriam in aeternum voluit celebrari ; sunt enim insignia eius et potentiae et benignitatis documenta, quae revera in carminibus festivis Iudaeorum magnis encomiis praedicantur (cf. Ps. 76, 17 ; 105, 9 ; 113, 3) et in sacra quoque Ecclesiae liturgia suum obtinent locum (cf. Officium sabb. sancti ; itinerarium clericorum etc.). Efficax est ratio precandi qua gloriam Dei agi proponitur, uti fit in psalmis quoque : exsurge Domine, iudica causam *tuam !* Eam autem ipse Deus docet et commendat, cum dicat : gloriam meam alteri non dabo ; propter me, propter me faciam, ut non blasphemer etc. (42, 8 ; 43, 25 ; 48, 11).

Denuo et magnitudo miraculi et benignitas Dei effertur v. 13 « *qui eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto non impingentem,* v. 14 *quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor eius fuit ; sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriae* » ; — per maris abyssos eos fecit ingredi sicut equus per campum ingreditur ;

nullo modo impingebant (hebr.) in itinere illo adeo insueto, in via adeo insolita. Transitum per mare rubrum tangere omnino videtur, et ita quoque Ps. 105, 6 : et increpuit mare rubrum et exsiccatum est et deduxit eos in abyssis sicut in deserto, et similiter תְּהֹמוֹת Ps. 77, 17 de aquis illis dicuntur. Sed cur hoc loco post beneficia in deserto commemorata non simul cogitabimus de Iordane, in quo prius illud miraculum quasi instauratum fuit? et ad quem series rerum enumeratarum sua sponte nos adducit? et qui etiam propterea non omitti posse videtur, quia statim sequitur : *quasi iumentum quod descendit in vallem spiritus Domini eum adduxit ad quietem* (hebr.) i. e. sicut animalia in frugiferas valles ad ubera pascua deducuntur, ita Deus populum suum ad quietem et ad uberrimam terram adduxit, ita explens promissionem datam eodem verbo : requiem dabo tibi (Ex. 33, 14). In beneficiis illis et in statu populi felici cernitur quantae potentiae et gloriae Dominus sit; *ut faceres tibi nomen gloriae*; cf. v. 12; quam gloriam cum Deus sibi fieri velit, optime praeparatur petitio, ut pristina illa magnalia suscitet et populi conditioni afflictae medeatur. Gloriam agi Dei ipsius Moyses quoque saepius tamquam rationem firmissimam cur misericordia concederetur Deo proposuit Ex. 32, 12 seq. Num. 14, 13; cf. Ez. 36, 22. 32. 36.

c) Imploratur Dei misericordia 63, 15-19.

Talem se Deus olim plebi suae praestitit. Verum quantum praesens conditio distat a prisca felicitate (42, 22 etc.), in quantam non gloriam Dei sed ignominiam vertitur! Quare vates ex priscis illis animum sumens ardentes ad Deum preces fundit v. 15 « *Attende de coelo et vide de habitaculo sancto tuo et gloriae tuae! ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? super me continuerunt se* »! — cf. Deut. 26, 15 : respice de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo. Gloriam qua Deus in coelesti habitaculo circumfunditur ut etiam in plebe sua denuo manifestet vates precatur; « argumentatur tum a natura Dei benignissima, tum ab eius officiis quibus ornarat antea populum suum, et quando non minora tunc populus apud Babylonios subibat incommoda quam olim apud Aegyptios, orat ut zelum excitet et dexteram omnipotentem vibret in adversarios, pectorisque ad miserandum proni recordetur; quae omnia Deus cum tam liberaliter prius ostentarit, tam effuse impenderit, nunc tamen illa videtur apud se continuisse » (*Sanct.*). Hebr. *ubi zelus tuus, ubi fortia facta tua?* vel magnalia tua? *strepitus viscerum tuorum et miserationes tuae*

erga me se continent; sonitus, commotio viscerum vel fremitus intimam dicit miserationem; similiter vates loquitur 16, 11. Dicit Deum quasi maximae suae ad miserendum propensioni vim inferre, eam cohibere ne in opus exeat; cf. Gen. 45, 1; viscera uti σπλάγχνα (Phil. 2, 1. 1 Ioan. 3, 17) quasi pro sede affectuum habentur; vide Ier. 31, 20. Bene monet *For.* beneficiis acceptis nos iure posse fieri audaciores ad petendum; « ideoque David cum ingentia quaedam in se a Deo collata beneficia retulisset, ea esse causam affirmat, cur inveniret cor i. e. fiduciam haberet, ut oraret coram Domino; hinc istae Isaiae querimoniae; *erga me*.. si hoc membrum affirmative legas, magnum doloris sensum habet; si interrogative, ingentem et acrem admirationem » (*For.*). Vide similem precandi modum Ps. 88, 50. Baruch 2, 16.

Oratio inde novam capit vim, quia *solus* Deus opem ferre potest et ipse Deus monere solet in se uno esse omnem spem collocandam (*Sanct.*). Unde v. 16 « *tu enim pater noster! et Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos; tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum* »! — Deus enim populum creavit (cf. 43, 1) eumque filium adoptavit singulari clementia (Ex. 4, 22. Deut. 32, 6); *a saeculo,* a prisco iam tempore *redemptor noster est nomen tuum,* uti hebr. iungitur; se iam populi liberatorem et vindicem praestitit; cf. 43, 3: dedi propitiationem tuam Aegyptum. Ad quem alium demum confugiamus? neque enim alium habemus patrem, tutorem, vitae largitorem; « nec enim Abraham nobis subsidio fuit nec Israel opem attulit » (*Osor.*); illi nos non eripuerunt, tu Domine solus tamquam optimus pater nos nutrivisti, extulisti et in terra promissa collocasti (*Pint.*); quare iure nostro a te uti filii a patre auxilium flagitamus; quamvis Abraham et Iacob sint patres nostri, tamen si tecum compararentur, non sunt patres, sed tu solus (*Mald.* sim. *Schegg*). Vel nos nesciunt, quia nulla est apud inferos cognitio rerum humanarum; cf. Ps. 6, 6; 29, 10; 113, 17. 18. Iob 14, 21 de mortuo pronuntiat : sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget; Is. 38, 18 etc.; ita *Theod.* : nullus veterum illorum avorum nos novit (ἐπίσταται), *Reinke*, *Rohl. Naeg.*; si autem *naturaliter* ne scire quidem quidquam de rebus terrenis possunt, multo minus opem ferre poterunt.

Quomodo Abraham eos nescire dicatur, alii aliter expediunt. Et *S. Hier.* quidem ait, eos nesciri ab Abraham, « quia te offendimus nec cognoscunt filios quos a Deo suo intelligunt non amari » et sequuntur *Sasb. Malv. Tir. Calm. Allioli*; sed si ita, potius crederes eos id agere apud Deum ut degeneres filii reducerentur ad frugem meliorem. Alii tempus urgent praeteritum *nescivit*; nunquam *nos* viderunt, nunquam ulla nostri cura tacti sunt, quia nos illorum

tempore non exstitimus; Deus vero nos ab aeterno novit et amavit, est ergo modo eminentissimo pater (cf. *Euseb. S. Cyr. Thom. Lap. Men.*); sed praeter alia *perfectum* urgeri nequit, quia in membro parallelo *imperfectum* ponitur; ergo sententia valet in universum de conditione quadam perdurante. Ceterum videtur esse valde superfluum commemorare, Abraham et Iacob non vixisse usque ad ea tempora. Alio parumper modo vertit rem *Loch*: antequam Abraham et Iacob essent nosque nossent, Deus iam erat pater, quippe qui ab aeterno consilium istud adoptionis gratuitae ceperit; unde in illo consilio aeterno adesse firmam spei rationem. Neque tempore praeterito illos opem tulisse neque laturos esse in posterum alii explicant *nescisse* et *ignorare* (*Sa*, *Troch. Or.*); vel se non magis pendere ab Abraham quam si ab Abraham cogniti non essent; ab eo ergo nihil esse quod speretur (*Sanct.*). Sed nulla apparet ratio, cur *nescire* non etiam hoc loco de conditione inferorum, uti saepe, adhibeatur. Ab hac acceptione aliqui interpretes deterriti esse videntur, quia « utuntur novatores hoc loco contra invocationem sanctorum, quasi ignorarent res mortalium » (*Est.*); sed, ut iam *Mald.* ait, inepte ex hoc loco ita arguunt haeretici; sancti enim non sunt in scheol, sed clara Dei visione fruuntur et in Deo quasi in speculo lucidissimo res quoque alias cernere possunt.

Cum Deus sit pater populi et hoc titulo, quia populum filium suum appellavit, ipse glorietur et cum olim se praebuerit servatorem et liberatorem, iam propheta vehementi desiderio actus impetrandi salutem non potest non magnopere secum mirari, quod Deus nunc sinat populum miseriis tabescere et quod permiserit suam plebem ita implicari peccatis, ut pro sua iustitia eam debuerit adeo affligere. Oratio audaces quasi spiritus sumit et est veluti expostulatio cum Deo, cur populum tantopere inquinari permiserit, v. 17 « *quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hereditatis tuae* »! — Deus posset uberiore gratia apposita salvo libero hominis arbitrio peccatum praecavere; cur illud permittat, cur sinat hominem abuti libertate sua et ita perire et malum quandoque fere in immensum serpere, piorum etiam animos quandoque habet sollicitos. Ea mente ponitur quaestio illa, quae dicit: cur populum tuum electum adeo profunde peccatis et miseriis immergi sinis? nonne id tuis repugnat consiliis, tuae gloriae? Modus hic quaerendi non est nisi petitio vehementissima, qua vates Deum per sua ipsius consilia obtestatur, ut cadenti et prostrato quam citissime succurrat. Viae Domini sunt eae per quas vult homines incedere, ergo eius mandata quae in sentiendi agendique ratione exprimantur oportet. Dum Deus permittit populum cadere, dum potentiorem gratiam non apponit, aversus est a populo; se convertit ad eum, dum auxilium efficax tribuit et miseriis finem imponit. In *servis tuis*, in *hereditate tua* titulos Deo proponit,

quibus iure suo opem a Domino possit et debeat efflagitare et quibus se non frustra petere ex ipsa Dei fidelitate et veracitate et pignore nominis Iahve (cf. ad Os. 2, 20 ; 12, 5) perspectum habet. Bene notat *S. Hier.* ita dici, « non quo Deus erroris causa sit et duritiae, sed quo illius patientia nostram exspectans salutem dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiaeque videatur » ; et *S. Cyr.* : « cum emollire potuisset universorum Deus, permisit illis ut mentem praefractam haberent et contumacem ; hac de causa quia tenera et mollia ipsa non reddidit, ipse obdurare dicitur » ; vel ut *For.* dicit, ea ratione dici Deum indurare, quod cum posset facere ne indurarentur, non facit ; et sim. latini interpretes. Attende esse ardentem petitionem qua acri quadam vehementia Deo animi desideria proponuntur ; quare loquela audacior ex rei natura explicatur ; cf. Ier. 12, 1 seq. ; quare non opus est cum *S. Hier.* duplicem statuere ordinem loquentium iustorum et peccatorum, et haec verba attribuere peccatoribus qui causam peccatorum suorum in Deum referant quo se ipsos excusent.

Quo efficacius Deus flectatur ad misericordiam, iam proponit in quamnam conditionem servi Domini et eius hereditas sint redacti, ut pateat quam indigna patiantur et quantopere gloriae Dei intersit remedium afferre ; v. 18 « *quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum ; hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam* » ; — versionem suam explicat *S. Hier.* : « quasi ad nihil et absque ullo labore populum tuum sanctum possederunt adversarii nostri ». De acceptione textus hebr. non consentiunt interpretes. Alii cum versione *vulg.* fere consentiunt explicantes : *propemodum* (usque ad parvum) *possederunt* vel subiecerunt *hostes nostri populum tuum sanctum* (cf. *Sein.*) ; plerique tamen alio sensu : *ad modicum,* brevi tempore *possedit populus tuus* scil. terram ipsi attributam (ita *Osor. Mar. Malv. Reinke, Net. Rohl. Kn. Del. Naeg. Or.*) ; praeter terram hostes templo quoque, sanctuario Domini, manus intulerunt sacrilegas, quae iniuria quam maxime in Dominum redundat, et eius itaque vindictam in hostes provocare debet.

Sed cum tempus ab occupatione terrae palaestinensis usque ad exsilium vix nominari possit tempus modicum et breve, alii etiam aliam excogitarunt explicationem : brevi occupabunt vel possidebunt populum tuum (cf. *Malv. III* et *IV. Hahn*). At orationi magis consentaneum est id efferre et Deo proponere quod iam evenerit. Verum ad id et ad membrum alterum ea acceptio quam secutus est *S. Hier.* melius convenire videtur. Atque ad hunc sensum etiam verba hebr. facile accommodantur. Est enim מִצְעָר, ut *Naeg.* fatetur, synonymum cum מְעַט, quocum coniungitur Is. 10, 25 ; 29, 17 ; 16, 14 ; solum adhibetur 24, 6. Usurpatur de tempore, sed etiam de paucitate eorum qui relinquuntur ; ita 16, 14 et 24, 6 ; praeterea vide Gen. 19, 20. Iob 8, 7. 2 Par. 24, 24. Unde ex usu vocis nihil obstat, quominus notio h. l. *propemo-*

dum, parum abest, fere ei tribuatur. Neque enim ל particula necessario, ut *Naeg.* vult, ad tempus refertur; immo ut ad 7, 15 adnotavimus, nullo exemplo certo probatur particulae ל de se inesse significationem temporis. Cum igitur etiam מִצְעָר non unice temporis notionem in se exprimat, nihil obstat ex hac parte. Neque obstat verbum יָרַשׁ, uti notum est, cum saepe induat notionem *expellendi* etc.; dein numerus quoque pluralis in verbo et collocatio verborum huic favent acceptioni. Insuper non solum parallelismus melius servatur, verum si hostes dicuntur sanctuarium conculcasse, necessario intelligi debet eos antea populum subiecisse; dein oratio quae nomine et titulo *hereditatis* ad Dominum dirigitur efficacior redditur, si ipsa haec hereditas vel populus iam dicatur possideri ab hostibus. Demum nescio annon duriusculum sit in altera explanatione יָרַשׁ sine ullo obiecto relinqui. Hisce ergo causis priorem explicationem quam sequitur *S. Hier.* sed quam recentiores fere relinquunt posse retineri censeo. Neque placet rhetorica illa hyperbole in altera explicatione: *brevi* possedit populus tuus, cum tamen multa saecula iam possederint.

Cum igitur populus alienorum servituti sit fere subiectus et ipsum Dei sanctuarium violatum et profanatum, haud immerito conqueruntur apud Dominum v. 19 « *facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri neque invocaretur nomen tuum super nos* »; — iam nihil fere in nobis cernitur quo pateat nos esse populum tuum, qui ex tuo nomine tamquam ad te pertinens vocetur; de phrasi invocari nomen vide ad 4, 1. Dicunt ergo: cur populus Iahve appellemur, iam nulla apparet ratio; sumus enim in conditione simili, qua fuimus in Aegypto. Hebr. explica: facti sumus tales quibus a saeculo non es dominatus etc.; ad affectum precantis confert querelam ita augere ut dicat: iam non a gentibus distinguimur! Israel nomine Iahve insigniri, ex eo nomine vocari, unum est ex praecipuis quibus gloriandum est; vide Deut. 28, 10. Ier. 14, 9. 2 Par. 7, 14. Deo igitur sollicite proponunt: quomodo populum electum iam censes alienum, de quo nihil curas (*Sanct.*)? En, facinora illa praeclara a te edita iam incassum abierunt!

d) Quam ardens esse debeat desiderium auxilii divini 64, 1-5.

Ex querela quam vates modo fudit: *facti sumus*... ardens oritur desiderium et recordatio, quomodo olim Deus descenderit ad populum suum et eius causam defenderit. Quare memor illorum mirabilium iam flagitat vates nomine omnium omnesque pari desiderio supplices adire Dominum docet, postulans a Deo ut suscitet (cf. 10, 26) antiqua illa facinora in populi favorem olim patrata. Unde v. 1 « *Utinam dirumperes coelos et descenderes; a facie tua montes defluerent;* v. 2 *sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis; a facie tua gentes turbarentur* »! — ipsa vox *dirumpere, findere coelos* ardens depingit loquentis desiderium, quo exoptat ut Deus abrup-

ta omni mora descendat ad populum, uti olim descendit in montem Sinai; descensum exoptat iudicis qui populi causam suamque ab hostibus vindicet; quare ea addit indicia quibus tremenda maiestas adumbrari solet; scil. ita ut montes defluerent, tremebundi loco moverentur et imminuerentur; vide Mich. 1, 3; similiter Ps. 67, 8. 9 : Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est, etenim coeli distillaverunt, et Ps. 96, 2-5. Cum ergo Deus surgit a throno suo ut descendat tamquam iudex in terram, omnis creatura terrore maiestatis eius corripitur; quae descriptiones non solum Dei potentiam egregie adumbrant et sensibus praeclare exhibent, verum etiam ex variis Dei manifestationibus olim factis apte depromptae sunt (cf. Ex. 19, 6. Deut. 5, 5. 23. Iud. 5, 4. 5) vel ex iudiciis poenisque olim divinitus inflictis (Gen. 19, 24. Ex. 15, 8). Cum modo vates de iniuriis ab hostibus illatis sermonem fecerit, exoptat, ut Deus descendat, *sicu incendit ignis sarmenta et aquas ebullire facit ignis* (hebr.). Iudicium enim et destructionem Isaias saepe incendio omnia celeriter vastanti comparat; cf. 1, 31; 5, 24; 9, 18; 10, 17 etc.; est enim Deus ignis devorans atque consumens; quare et furor iudicis et magnitudo poenae et celeritas ruinae terroresque comparatione incendii et aquarum vi ignis effervescentium declarantur, et petit propheta ut sarmentorum in modum hostes ab igne ultore devorentur vel angoribus et terroribus vexentur et crucientur et veluti excoquantur sicut aquae igne supposito fervescunt. Uti in priore comparatione alluditur ad descensum Domini in montem Sinai, ita in hac altera haud improbabiliter censet *Sanct.* allusum esse ad eventus illos in Aegypto, de quibus explicatius refertur Sap. 16, 17. 19 et 19, 19. Tale vero iudicium efflagitatur, ut gloria Dei innotescat adversariis eorumque insolentia comprimatur. Ut ergo terra fiat plena gloria Domini (6, 3) vates votis omnibus precatur.

Alii comparationem *sicut ignis accendit* etc. referunt ad montium liquefactionem et dissolutionem (cf. *Mald. Sanct.* etc.); at non placet unam comparationem iterum alia adhibita describi. Ad hanc acceptionem utique referenda est versio graeca : montes liquescent sicut cera a facie ignis liquescit et comburet ignis adversarios, et eodem modo *Syrus*; vocem igitur הֲמָסִים *ceram* interpretati sunt; alios interpretes eam explicasse *consumptionem* et *tabem* refert *S. Hier.*; Hebraeos autem ait ita edisserere : sic comburet ignis iniquos quomodo aquae fervent ignis ardore. *Sym.* autem pro una illa voce, duas legit המס ים vel forte melius נמס ים ἐτάκη θάλασσα, ὕδατα ἐπτοήθησαν. *Theod.* praebet ἐτάκησαν ὕδατα, ἐξέκαυσας πῦρ; unde vocem ex מָסַס interpretati sunt. Verum recentiores (et iam apud *Malv.*) vocem communi consensu explicant ex arabico de sarmentis, ramis aridis, herbis siccis.

Idem desiderium etiam sequentibus exprimitur ex textu hebr. : *(utinam) faciens terribilia quae non exspectamus descenderes et a facie tua montes defluerent;* ita textum plerumque concipiunt (iam *Malv. IV. Rohl. Sein. Del. Naeg.* etc.). Sed vix opus est particulam *utinam* quae adeo remote collocatur ad hunc locum accersere; sensus exsistit aeque planus et constructio grammaticalis evadit facilior, si verteris : *faciens terribilia ultra exspectationem descendisti, a facie tua montes defluxerunt;* olim scil. ita egisti, inquit vates, et ea Deo proponit, ut ad similem maiestatis manifestationem eum invitet. Ita vertunt *Vat. Net.*; ad eundem sensum accommodantur *vulg.* verba v. 3 « *cum feceris mirabilia, non sustinebimus; descendisti et a facie tua montes defluxerunt* »; — manifestatio maiestatis divinae terrore concutit omnes; alluditur ad Ex. 20, 19, cum omnis populus visis signis in monte Sinai tremore corriperetur (cf. *Sanct. Osor. Mald. Sa, Tir.*).

Textum simpliciorem legerunt LXX, cum solum praebeant : cum feceris gloriosa, tremor apprehendet ex te montes. Eritne igitur textus hebr. corrigendus ? Turgidus enim satis videtur et repetitionibus onustus ex praecedentibus. Quattuor illa verba quae hoc loco iterum recurrunt ירדת etc. dittographia in hunc quoque versum irrepsisse videntur, quae si omittas, sensum habebis planiorem ; poteris enim tunc membra ita inter se ordinare : « ut notum faceres nomen tuum inimicis, a facie tua gentes contremiscerent, dum faceres terribilia ultra exspectationem ». Ad quae confirmanda statim subditur v. 4 : a saeculo non audierunt etc. Verum est verba illa repetita omnino inveniri apud *Syrum* et *Chald.* et eorum etiam vestigia deprehendi apud *Sym.* et *Theod.* ex quorum versionibus haec servata sunt : φοβερὰ ἃ οὐ προςεδοκῶμεν κατέβησαν ; ergo saltem ירד iterato legerunt. Sed aliqua menda in textu hebr. esse satis inveterata magis magisque agnoscendum erit, de qua re lege *Cornely,* Introd. I p. 265. — Textum *mas.* alio modo iungit et concipit *Hahn :* cum facias terribilia nonne nobis licebit sperare te descensurum et montes a facie tua iri concussum ? At etiam hac ratione sententia efficitur coacta nimisque turgida. — Etiam verba *vulg.* aliqui, ut *Mald. Sanct.* accipiunt eo modo quo hebr. textus concipi solet : utinam descenderes, vel si descenderes, a facie tua montes defluerent.

Deum supplex implorat vates quia solus salutem afferre potest eamque ultra omnem exspectationem maiorem : v. 4 « *a saeculo non audierunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti exspectantibus te* » ; — *absque te* i. e. praeter te; de rebus naturalibus edocemur sensibus nostris; sed ministerium sensuum non sufficit ad ea cognoscenda quae solus Deus constituit dare iis qui in ipso totam fiduciam collocant. Hisce ergo quam magna sit salus et quantopere excedat omnia quae homo sibi animo fingere vel a rerum naturalium similitudine discere possit, egregie describitur. Quid autem Deus *faciat* pro suis, de qua salute sermo sit, facile colliges ex antecedentibus, prae-

sertim ex 63, 4 et 62, 11. In textu hebr. ratio redditur, cur magna illa ultra exspectationem a Deo sint speranda hunc in modum : *et a saeculo non audierunt neque perceperunt neque oculus vidit Deum praeter te qui faciat pro sperante in ipsum* i. e. solus Iahve se Deum vivum et verum praestitit. Eundem sensum etiam fundit versio graeca : a saeculo non audivimus neque oculi nostri viderunt Deum absque te (πλὴν σοῦ) et opera tua quae facies exspectantibus misericordiam (apud *S. Hier.*), vel uti aliis in exemplaribus legitur et *S. Hier.* quoque (ep. ad Pammach. n. 9; *M.* 22, 576) affert : et opera tua vera et facies exspectantibus te misericordiam. Nota in textu graeco, sicut etiam apud *Syrum, S. Hier* et *Chald.* in ultimo membro *secundam* efferri personam, cum nunc in textu hebr. tertia legatur. Si *secundam* rescripseris, modo facillimo habes eum *sensum* quem exprimit S. Paulus 1 Cor. 2, 9. Verba videntur conformari ad Deut. 4, 32 seq.

Iam quae Deus faciat pro iis qui ei confidunt subiungitur v. 5 « *occurristi laetanti et facienti iustitiam; in viis tuis recordabuntur tui* » ; — ei scil. qui cum gaudio iustitiam facit Deus promptissimum affert auxilium, ei se ipsum obviam fert, ei nunquam deest, verum semper ei adstat eumque comitatur. Et is ex sua parte in viis Domini ingreditur (cf. 63, 17) et Dei laudes iugi memoria celebrat. Eum ergo qui hilari animo ea quae recta sunt peragit Deus singulari complectitur benevolentia, ab eo non recedit, is Deum ubique habet quasi sibi occurrentem, in se *impingentem* (cf. hebr.) i. e. quem auxiliantem valide experitur. Huius autem occursus divini fructus est, ut in viis Domini incedat et grato animo Deum semper ob oculos habeat. Mutua ergo illa amicitia quae inter Deum et iustum intercedit et cunctorum bonorum fons est inexhaustus, hoc membro egregie delineatur.

Etiam magis ad *vulg.* accommodata est versio v. 3 quam ponit *Ros.* : *quae nunquam audita, nunquam auribus sunt percepta, quae nullus oculus vidit, o Deus, praeter solum te, faciet exspectanti se* i. e. maiora fidentibus ipsi beneficia exhibebit quam ulla ingenii humani cogitatione comprehendi possunt, soli quippe nota Deo, cuius sublimis sapientia infinitum distat a consilio humano (sim. *Stier*). Doctrina igitur enuntiatur fere eadem quae habetur Ps. 30, 20 : quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Eam quidem interpretationem recte fieri negant *Hahn, Del. Naeg.*, affirmantes debuisse poni אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה. Sed num *necessario* אֲשֶׁר requiratur, mihi tamen dubium est, nam Iob 34, 32 obiectum ad *doce me* est בִּלְעֲדֵי אֶחֱזֶה id quod ego non video (vel ad literam : *doce me* id *praeter* id quod *ego video*) sine pronomine אשר quod exemplum a nostro non videtur esse absimile. Alia quae contra eam versionem moventur facile diluuntur. Nam si obiiciunt : solum Deum vidisse vel scire quae facturus sit, non convenire in contextum vel esse veritatem nimis planam quae minime oporteat enuntietur, solum ostendunt neque contextum neque vim argumenti se vidisse. Neque mutatio personae

faciet etc. post vocativum *o Deus*, est adeo inusitata, ut propter eam versio debeat repudiari; in oratione enim commota et sublimi eiusmodi personae mutatio non est adeo infrequens. Ceterum iam monui, veteres praebere secundam personam. — Novo modo et ab aliorum explanatione prorsus alieno *Hahn* vertit : a saeculo non audiunt neque percipiunt : deum praeter te sibi faciunt in quo spem ponant; vult מְחַכֵּה esse substantivum *fiduciam, exspectationem;* sed tale substantivum alibi non invenitur; dein cur subito iterum numerus singularis *facit*, postquam bis pluralis antecessit? num *oculus facit?* Demum ea versio contextu reiicitur.

Sunt qui particulam *utinam* etiam ad v. 4 repeti velint eamque ex v. 1 longo intervallo accersant; sed conatu et labore in vanum impenso! Nam qui cum gaudio iustum exercet, is habet Deum amicum, et sententia : utinam occurreres ei qui laetabundus iustitiam exercet, est pro norma veteris testamenti plane inaudita.

e) **Quomodo venia sit efflagitanda 64, 5-12.**

Ut re adeo desiderata potiantur, in ultima sententia vates viam iam monstravit. Verum quantum abest populus ab ea laetitia et alacritate in adimplenda iustitia? Unde « nobis autem propterea non solum non occurris, sed neque clamantibus respondes, quia peccavimus, et ideo iratus nobis es » (*For. Men. Tir.*) : v. 5 « *Ecce tu iratus es, et peccavimus; in ipsis fuimus semper et salvabimur* »? — qui veniam precantur castigatione Dei pressi, hanc castigationem sibi iusta Dei ira infligi fateantur, fateantur se peccasse et peccasse diu et in peccatis quasi obduruisse; at spem veniae ne abiiciant. Haec omnia vates hoc loco docet. Ultimum membrum lege per interrogationem, qua ut spes veniae innuitur, ita tamen omnis praesumptio excluditur et salutaris potius timor indicatur (cf. *Malv. I. Schegg, Rohl. Sein. Del.*); sed posset etiam concipi quasi quaestio indignantis : ut peccatores adstamus iam diu et hac ratione permanentes in peccato nobis salutem promittimus? Alii affirmative legunt et certam enuntiari spem volunt q. d. et tamen misericordia tua salvabimur (*S. Hier. Thom. Mald. Sa, Men. Gord. Calm.*). LXX h. l. nihil de salute efferunt, sed : ecce tu iratus es et omnes peccavimus, propterea erravimus; sed textum hebr. exprimunt *Syrus, Sym. S. Hier. Chald.*

Ceterum varia est eius sententiae acceptio. De tempore anteacto *salvati sumus* aliqui explicant (*Sanct. Mar. Lap.*); *For.* et eandem proponit explanationem et aliam per interrogationem, at eo sensu q. d. minime salvabimur. Illud *in iis* plerique referunt ad *peccavimus*. Alii tamen non ad hoc verbum, sed ad substantivum quod praecedit scil. *in viis tuis* accommodantes explicant vel : si in iis (viis tuis) perpetuo mansissemus, tunc servati fuissemus (*Malv. III. Grotius, Starck*), vel : aberravimus in iis (viis tuis) a priscis temporibus et vero servaremur (*Ros.*)? vel : in iis (in populo Israel) est aeternitas et nos servandi sumus (*Hahn*). Alii referunt *in iis* ad *ira-*

tus es : iam diu substamus irae tuae et poenae (cf. *Ges. Hitz. Kn.*). Denique non defuerunt qui coniectura loco opem ferendam esse putarent; legunt enim *Lowth, Koppe, Bauer, Or.* non *salvabimur* sed וַנִּפְשָׁע *et defecimus* vel *Ewald, Kn. Cheyne* וַנִּתְעַ *et aberravimus* (cf. LXX). Etiam בָּהֶם עוֹלָם mutationes subiit; vel rescripserunt במעללינו *propter facinora nostra,* quae mutatio audacior est et nimium a literis textus recedit; unde iterum aliam excogitarunt coniecturam בַּהַמְעוֹלִם *de facinorosis* (cf. *Ges.*); de verbo עוּל cf. Is. 26, 10. Ps. 71, 4. At sensus textus hebr. non tot difficultatibus obnoxius est, ut tali violenta indigeret emendatione. Nam quae sequuntur ei potius testimonium ferre videntur. Primo enim a v. 6-7 exponitur illud *iratus es et nos peccavimus*; a v. 8-9 autem explicatur spes et fiducia, ergo illud *salvabimur.* Qua consideratione adhibita textus omnino retineri potest, praesertim cum (exceptis LXX) veterum testimoniis satis fulciatur.

Iam humili confessione illud *peccavimus* et *iratus es* exponitur, ut Deus per agnitionem culpae et miseram populi conditionem ad misericordiam flectatur; quare ut est humiliter sese accusantium, flagitia graviter denuntiantur v. 6 « *et facti sumus ut immundus omnes nos et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae, et cecidimus quasi folium universi et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos* »; — duo priora membra epexegesin constituunt ad *peccavimus; immundum* intellige vel gentilem, qui eo nomine vocabatur, et refer verba cum *Sanct.* ad 63, 19; vel explica cum pluribus (*Men. Tir. Del. Naeg.*) de leproso, qui peculiari ratione immundus vocari potest. Lepra bene exhibet miserum statum quo totum corpus reipublicae est infectum et foedatum (cf. 1, 6). Iam id quod Deus 57, 12 postulaverat, ipsi sui accusatione agere student; denuntiant iustitias suas tamquam sordes maximas et abominationes. Si quid antea gloriati sint de iustitia sua vel de observatione caerimoniarum vel de oblatione sacrificiorum, si se innocentes iactaverint (cf. 1, 10; 29, 13; 58, 2), iam talem gloriationem quam maxime possunt retractant; « quidquid videmur habere iustitiae, panno menstruatae mulieris comparatur » (*S. Hier.*); cf. 4, 4. — Duo membra ultima iram Dei exhibent et poenam irrogatam. Respublica emarcuit, arbor olim florida emortua est (cf. 1, 30; 6, 13); omnes vigore privati ad tabem quasi et maciem redacti sumus et demum turbine et tempestate hostili respublica est eversa, populus abductus et abreptus in regiones alienas. Victi et deiecti sunt *facile,* sicut ventus facile folia deiecta dispellit (cf. 40, 24. Iob 30, 22); vide ad 22, 17.

Iterum duo illa membra *peccavimus* et *iratus es* v. 4 alio modo declarantur; qui enim vere dolet de iniquitate admissa, non tam facile tristem earum memoriam derelinquit; qui precatur veniam, quo magis eam exoptat, eo magis preces iterat, denique iis qui audaci praesumptione et pietate fucata se iustos existimant (58, 2. 3), iterum atque iterum ini-

quitates sunt proponendae. Unde v. 7 « *non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te; abscondisti faciem tuam a nobis et allisisti nos in manu iniquitatis nostrae* »; — *omnes* esse peccatores, *neminem* pie supplicare Deo, dicitur accommodate ad flagitantis et dolentis animum et ut haec necessitas doloris et sinceri ad Deum reditus clare exhibeatur iis qui falsa pietate vel securitate sibi blandiuntur; simili modo in psalmis quandoque preces funduntur. Hebr. *qui sese excitet ad adhaerendumtibi,* qui scil. excusso somno sese incitet, ut omni studio Deo precibus quasi vim intentet ad opem obtinendam (*Osor.*), qui ergo simili modo quo 62, 1 indicatur, maximo desiderio saluti obviam feratur; « vera oratio est cum sui ipsius exsuscitatione tamquam ad rem seriam et magni ponderis excutere desidiam, avocare ab aliis omnibus animum et magna animi contentione ad deprecandum Deum accedere; hoc qui facit, *tenet* Deum seu apprehendit quasi manu et ne elabatur tenet, ut sententiam revocet neque prius abeat quam nobis benedicat » (*For.*). Iste ipse languor et haec desidia refertur ad poenam et ad gratiae subtractionem; hebr. *quia abscondisti faciem,* suum favorem populo subtraxit, iis irascitur; unde etiam *liquefecisti nos in manum iniquitatum nostrarum* (hebr.) i. e. « tradidisti nos peccatis nostris, ut illa nos comminuerent, resolverent et omnem virtutem nostram exhaurirent, ut consistere prorsus nequeamus et sicut cera quae liquescit laberemur et tota respublica nostra, regnum, cultus, religio, dignitas et quidquid virium est evanescerent » (*For.* sim. *Vat. Osor. Mald. Mar. Malv. Lap.*). Nota quantopere vates nexum efferat qui adsit inter peccatum et ruinam (cf. 5, 18); « has enim vires habet iniquitas in sui auctores » (*Lap.*); necessitate enim peccatum gignit ruinam; nam est venenum quod dulce videtur, at dolores et mortem affert; cf. Iob 20, 12-14. Unde *in manum* i. e. in potentiam et vim exitialem iniquitatum tradi et ita tabescere dicuntur.

Postquam propheta duo illa in v. 5 *iram* Dei et *peccata* populi chiastice exposuit in v. 6 et 7, iam tertium quod eodem in loco enuntiabatur, *spem salutis,* tangit et quibus rationibus fulciatur et foveri debeat magna precationis instantia docet; ita v. 8 « *et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu et opera manuum tuarum omnes nos* »! — cf. 63, 16; 43, 1. 21; effert Dei benevolentiam, qua populum sibi formavit; huic opponit fragilitatem et imbecillitatem, qua ad misericordiam commoveatur eo magis quia *opus manuum suarum* non disperdet Deus, sed sibi ipsi debet, ut illud servet, exaltet, ornet; cf. Iob 10, 8. 9; Is. 29, 16; 45, 9. Deus creator omnia diligit quae creavit (Sap. 1, 14; 11, 25); singulari ratione autem homini creando operam impendit, unde ipso formationis modo eum prae ceteris creaturis hono-

ravit. Utut hoc in universum verum est, ita praeclariore modo valet de populo electo quem sibi non sine praeternaturali interventu ex Abraham formavit et tantis curis ac miraculis educavit. Et cum simul sit *pater,* qua voce vere paterna sollicitudo ac clementia declaratur, nos autem simus *lutum,* fragiles, maxima adest et ratio spei pro homine et ratio misericordiae pro Deo; cf. Ps. 102, 13. 14 : « quomodo miseretur pater filiorum, misertus est ... quoniam ipse cognovit figmentum nostrum; recordatus est, quoniam pulvis sumus ». In *luto* simul declaratur quam facile Deus possit si velit res collapsas restituere et homines ipsos ad verae iustitiae conditionem revocare eosque ad suam imaginem renovare vel figurare. Cum igitur possit et *facile* possit et suo ipsius honori debeat, ut attrita populi conditio sanetur, adest cur maxima fiducia animos in tribulationibus sustentent atque confortent.

Quare ex Dei clementia et hominum imbecillitate enascitur petitio : v. 9 « *ne irascaris, Domine, satis et ne ultra memineris iniquitatis nostrae; ecce respice, populus tuus omnes nos* » ! — duo petuntur, ne iram *usque valde* (hebr.) usque ad extremum sinat excrescere, neve in perpetuum iram servet semper memor iniquitatis (cf. *For.*); *ecce, considera* (hebr.); imploratur ut benigne consideret et rationem habeat omnes esse populum suum, omnes hoc nomine salutis et gloriae contineri et ratione electionis a Deo factae ipsius esse, quare ne ipse suum opus et suam electionem repudiet. Quam ardenter vates supplices ad Deum manus tendat, ex הֵן ecce et particula נָא post imperativum in ipso loquendi modo apparet. — Ita tria illa quae in v. 5 sunt indicata vates exposuit et firmissimam rationem spei attulit ipsam Dei electionem quae irrita fieri nequit; nam quia elegit hunc populum prae aliis, sibi ipsi et honori suo et gloriae debet, ne eum sinat in miseriis tabescere. Quare vates hac ratione in considerationem adducta id ultimatim tangit quod ipse Deus tamquam gratiae praestandae causam exhibet : propter me, propter me faciam (48, 11). Et hac suprema et valentissima ratione precatio claudi potuit et probabiliter forte ab Isaia est conclusa. Quae enim sequuntur, tempore exsilii quo haec petitio certe piis Israelitis erat familiaris, videntur esse addita eo modo quo eodem tempore similia quaedam aliquibus psalmis addita sunt (cf. Ps. 50, 20. 21), quibus etiam magis ad illam temporis conditionem et calamitatem accommodarentur.

Quantopere honor et gloria Dei agatur, longiore enumeratione proponitur v. 10 « *civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est* » ; — hebr. *urbes sanctitatis tuae* i. e. urbes sanctae tuae *factae sunt desertum,* מִדְבָּר proprie dicit regionem in quam greges ducuntur, *pascuum*; ergo id evenisse dicitur quod propheta 7, 21; 6, 11 vaticinatus est. In talem pascui conditionem etiam mons Sion

est redactus; cf. 7, 25 et Lament. 5, 18: mons Sion disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. Et *Ierusalem facta est solitudo* (hebr.). Immo v. 11 « *domus sanctificationis nostrae et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas* »; — templum ipsum, habitaculum Dei, sacrosanctum, in quo sanctitas et gloria Dei sese manifestavit et sanctitatem et gloriam populo quoque communicavit, quod donis quoque externorum erat insignitum et gloriosum (2 Par. 32, 23) et in quo tot psalmis et hymnis patrum divina maiestas celebrabatur, iam igne exustum et prostratum iacet. Aedificium illud adeo magnificum, gloria et gaudium Israelitarum et quaecumque demum iis erant in deliciis, domus, palatia, horti, omnia conciderunt et in ruinam et vastationem redacta sunt. Ecce, tanta amplitudine impleta sunt quae Isaias minatus erat: dies Domini super omne superbum etc. cf. 2, 12; ruit enim Ierusalem et Iuda concidit 3, 8 etc.

Ex tanta miseria demum ad Dominum clamant v. 12 « *numquid super his continebis te, Domine, tacebis et affliges nos vehementer* »? — se continere cf. 42, 14 et 63, 15; Deus *tacet,* dum populum in miseriis vitam degere permittit; vide de eo loquendi modo 42, 14 et 57, 11 et 62, 1; neque id solum, verum nos affligit *usque valde* (hebr.) v. 9. Voces sunt quam maxime afflictorum et pondere calamitatum oppressorum; eosdem sensus relege in Lament.

7. *Oratio septima* 65, 1-25.

Arg. — Gentes Deum quaerent et invenient, populus autem Israel contumax erit, sicuti nunc idololatriae et variis superstitionum generibus operam dant, quare poenam sceleribus debitam non effugient (65, 1-7). Attamen populus non abiicitur; reliquiae salvabuntur et hereditatem Domini possidebunt, dum rebelles gladio interibunt; servi enim Domini omni bonorum abundantia cum exsultatione fruentur; rebelles aerumnis et maledictione conficientur (65, 8-16). Deus enim novam condit theocratiam coelum et terram complectentem, priore longe excellentiorem, in qua summa pax, sanctitas, beatitas imperturbate dominabitur et Deus suis cultoribus liberalissime praesto erit; ita exsurget regnum pacis iam 11, 6 seq. praedictum (65, 17-25).

In oratione antecedente vates populum edocuit quomodo oporteat Deo iudici et vindici obviam ire, quomodo scil. oporteat sese praeparare et quos animi sensus induere, ut Messiam venientem secure videant, qui ut venturus est in salutem, ita tamen contumacibus et adversariis erit in ruinam (cf. 63, 3. 6). Ostenderat quippe vates iterato, qua ratione

magna illa documenta de Messia et nova theocratia inservire possint et debeant ad populum erudiendum et spiritu theocratico imbuendum, functus officio prophetico quod in eo continetur et absolvitur, ut Domino paretur plebs perfecta.

Eritne igitur populus vati suo et Deo per ipsum loquenti dicto audiens? Respondet Deus in hac oratione : gentes audient et suscipient nuntium divinum ; populus vero Israel, uti nunc est sceleribus infectus et a Deo alienus, ita continuo Deo vocanti et invitanti resistet ; solum reliquiae salvabuntur (v. 8). Ita oraculum hoc in fine libri positum idem enuntiat quod prophetae in visione inaugurali ostensum est : arbor Israel caeditur, remanet solum truncus, semen sanctum (6, 13) ; maior pars erit rebellis et contumax (6, 9-11). Verum iis denuntiatur interitus ; ruinae malorum opponit propheta beatitudinem piorum, desiderans ut repetita admonitione et sorte adeo contraria duros animos percellat et ad meliorem adducat frugem. Demum novam terram novosque coelos, novum Dei regnum terram et coelum complectens magnifice describit omni felicitatis copia abundans. — Deus igitur non obstante malitia et contumacia populi electi consilium suum de theocratia nova et universali in opus deducet ; exsurget regnum Dei, venient ab oriente et occidente gentes ut eius beatitate fruantur (v. 1) ; si filii regni eiiciuntur, sua culpa et perpetua in Deum contumacia eiiciuntur, quia videntes nolebant videre et audientes nolebant audire (cf. 6, 9 seq.). Hoc documentum quod Isaias toties per integrum librum inculcat, in hac quoque oratione clare proponitur.

a) Conversio gentium, Israelis rebellio 65, 1-7.

Petierat propheta ut Deus memor gloriae suae populum sibi conderet et regnum divina sublimitate dignum. Respondet Deus talem sibi populum futurum potissimum ex gentibus v. 1 « *Quaesierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quaesierunt me; dixi : ecce ego, ecce ego ad gentem quae non invocabat nomen meum* » ! — hebr. *quaesitus sum iis qui non interrogabant, inventus sum iis qui non quaerebant me;* hisce ut bene monet *Sanct.* gentes describuntur : « quae optima gentium descriptio est, quae cum Deum verum ignorarent neque illum consulebant, cum sua sibi haberent oracula, neque quaerebant, cum quid ab illo praestari posset ignorarent » ; ii igitur qui eousque de Deo nihil compertum habebant, eum iam *quaerunt* i. e. colunt, venerantur et eum inveniunt, in eo tamquam omnium bonorum auctore conquiescunt. Ipse vero Deus magna quadam alacritate et promptitudine

eis se obviam fert, iis opitulatur, occurrit, promptissime assistit, qui antea nomen eius non invocaverant, nullum ei cultum praestiterant; vel ex hebr. קֹרָא qui antea non appellati erant ex nomine Iahve i. e. qui antea populus Iahve minime vocabantur. « Haec geminatio demonstrativae particulae (ecce ego, ecce ego) magnam addit vim et celeritatem orationi, quae speciem quandam exhibet abiturientis aut ad alios commigrare parantis, ac si dicat Deus : en videte, quemadmodum ego vobis relictis ad eos discessum molior, a quibus hactenus ita alienus fui, ut nomen meum non invocaverint » (*Sanct.*).

Iis autem opponuntur alii, quos Deus continuo invitabat sed qui continuo renuebant v. 2 « *expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas* » ; — hebr. *ad populum refractarium* סוֹרֵר cf. 1, 23 ; expandi manus i. e. ut eos ad me invitarem et attraherem, ut eos ducerem, protegerem ; quibus igitur *tota die* i. e. continuo, sine cessatione (cf. 51, 13) opem suam offerebat et quos omni modo sibi coniungere et secum retinere cupiebat. Ipsi autem sese praebebant refractarios, contumaces ; continuo in viis incedebant idololatriae et scelerum, suas sequentes malas concupiscentias et prava consilia, non legem Domini. In hoc versu Iudaeos describi agnoscunt omnes. Atque revera quomodo aliter verba possent concipi ? Cura Dei quam suo populo impendit lege data, institutione theocratica, continua missione prophetarum eorumque praedicatione et adhortatione, castigationibus quoque immissis, minis propositis, datis promissis etc., haec, inquam, cura, quid est aliud nisi continua quaedam manuum expansio, invitatio perpetua et nunquam interrupta, ut tandem populus sequatur Deum suum ? Verum maxima pars rerum gestarum populi electi eum exhibet rebellem in Deum et prophetas, abeuntem post prava animi desideria, aversum a Deo. Aeque certo et clare subsequentibus ostenditur, in hoc versu de Iudaeis esse sermonem.

Iam si hoc constat, etiam constare debet contra recentiores plerosque in v. 1 non de Iudaeis, verum de gentibus sermonem fieri. Adest enim oppositio inter versum utrumque ; in priore dicitur : *quaesitus sum, inventus sum* vel ut alii hebr. niphal vertunt vel explicant : effeci ut me quaererent, praesto sum, exaudio ; idque asseritur ratione habita eorum qui Dominum non inquisierunt et qui non ex nomine Iahve vocati sunt ; paucis ergo dicitur : Deus iam cognoscitur ab iis qui eum antea non cognoverunt neque populus eius vocabantur. In altero autem versu exhibetur populus contumax qui continuae invitationi Dei refragatur. Adest porro talis oppositio, ut non sermo esse possit de bonis et malis inter Iudaeos, sed ut prior versus ad gentes debeat referri. Nam plane fieri nequit, ut Israelitae ii dicantur Deum invenire qui eum non quaerebant.

Tota haec sententia prima non potest accipi de Israelitis neque de bonis neque de malis. Non de bonis, quod per se patet; neque de malis, nam initio huius seriei reprehensi sunt : me etenim de die in diem quaerunt et vias meas scire volunt... rogant me iudicia iustitiae (58, 2. 3); ergo de iisdem non potest iam contrarium enuntiari. Porro Israel non potest vocari *gens non appellata nomine meo;* Israel enim est et appellatur nomine Iahve, est et appellatur populus Iahve, immo gloriatur ea appellatione (48, 1. 2); similem habes explicandi rationem, si cum aliis hebr. intellexeris de gente *in qua non est invocatum nomen meum;* nam in Israel invocabatur nomen Iahve, uti 58, 2 probatur, et idololatrae quoque in Iuda Dominum colebant simul cum idolis (cf. Ier. 5, 2. Ez. 20, 1. 30. 31; 23, 38. 39); unde ea appellatione populus Israel omnino non potest designari. Gentes vero apte ita describi et apte unice probatione non indiget. Deinde qui v. 1 quoque de Israelitis explicant, non vident quantam cum sequentibus contradictionem incurrant. Nam ab iis ex Israel qui Dominum non quaesierunt etiam non est inventus, i. e. iis qui nullam de Deo quaerendo sollicitudinem exhibebant salutem non praestat, eos repudiat, eos ruinae et interitui tradit (cf. v. 11. 13-16). Gentes autem, quae et nomine גּוֹי in v. 1 et triplici descriptione tamquam gentes a Dei cognitione et foedere alienae describuntur, uti hoc loco ita saepius apud Isaiam exhibentur tamquam quae vocandae sint ad Dei cognitionem et quae huic invitationi prompte respondeant (cf. 2, 2 seq. 11, 10; 14, 2; 19, 24; 42, 4; 44, 5; 49, 6. 22; 52, 15; 55, 5; 60, 3. 14; 61, 5), idemque vates 66, 20 effert; quare valde mirum est quod hanc acceptionem tamquam a contextu alienam aliqui traducunt.

Quare interpretatio quam dedit S. Paulus Rom. 10, 20 etsi rem solis rationibus hermeneuticis expenderis, unice vera invenitur. Eandem interpretationem proponunt SS. Patres, quos[1] vide apud *Reinke* l. c. p. 393 et apud *Tailhan*, Analys. bibl. Kilber. I p. 392; eandem amplectuntur interpretes latini, *Reinke, Loch, Bade, Net. Troch.* et ex protestantibus *Hendewerk, Hofmann, Stier, Naeg.* Plerique autem interpretum protestantium et inter catholicos quoque *Schegg, Rohl. Mayer* intelligunt etiam v. 1 de Iudaeis et argumentum quod inde petat S. Paulus pro conversione gentium vel prorsus mancum esse volunt (cf. *Del.*) vel meram verborum ad alium sensum accommodationem (cf. *Schegg, Mayer*). Sed haec inconsiderate dicuntur. — Ut explicationem v. 1 de Iudaeis suadeant, plerique vertunt niphal : *potui quaeri, potui inveniri* vel *quaerendum et inveniendum me obtuli, me exhibui;* ita ut idem sit cum sequenti *expandi manus;* sed gratuito illa significatio pro niphal adstruitur. Habet enim vel notionem

---

1. Quibus adde *S. Ephr.* qui explicite v. 1 de gentibus, v. 2 de Israel explicat.

reflexivam vel passivam et in hac significatione accedit sensus ad niphal quod vocant tolerativum, quale habes Ez. 14, 3 ; 20, 3. 31 ; 36, 37 a verbo eodem דָּרַשׁ (*vulg.* respondere). Neque ex Is. 55, 6 illa notio sequitur ; nam sensus est : quaerite Dominum ibi, ubi revera *invenitur* ; ex qua sententia utique consequitur, eum *posse* inveniri ; quia ab esse ad posse valet illatio, verum non valet illatio haec : ergo נִמְצָא significat *posse* inveniri, ita ut *inveniri* non significet (cf. *Ewald*, Lehrb. §. 123 b. c ; *Naeg.*). Si ergo niphal in nativa sua significatione relinquitur, Deus revera dicitur *quaeri, inveniri*, minime autem solum potuisse quaeri et potuisse inveniri. Priore notione etiam veteres interpretes acceperunt : LXX ἐμφανὴς ἐγενήθην, εὑρέθην ; *Aq. Theod.* ἐξεζητήθην ; *S. Hier.* quaesierunt me, invenerunt ; sensu passivo *Syrus* et *Chald.* — Denique in altera acceptione molesta adest tautologia, cum in v. 1 idem enuntietur quod in altero proponitur. Bene exponit versum utrumque *Theod.* : « gentibus per orbem terrarum innotui ; lucem viderunt qui erant in tenebris, auctorem suum cognoverunt qui nesciebant, thesaurum invenerunt qui non quaerebant ; qui prophetas non habebant, in eum quem illi praedicabant credunt. Gentes ergo quae prophetam nullum acceperunt, benefactorem agnoverunt, ipsi vero quibus nullum defuerat genus providentiae, nullam utilitatem retulerunt, sed in solita iniquitate permanent ». *S. Thom.* explicat v. 1 de Iudaeis, at dicit mystice valere de gentium conversione. Verba *expandi manus* apposite accommodant ad manus Christi in cruce expansas, quibus ostenderit quam paratus sit ad eos suscipiendos ; ita multi SS. Patrum ; cf. *For. Lap.* etc.

Iam quaenam sint viae et cogitationes populi refractarii quem frustra ad se invitat *tota die* (cf. 28, 24 ; 52, 5 ; 62, 6), pluribus explicatur v. 3 « *populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis et sacrificant super lateres* » ; — statim iniquitatis culmen, idololatria, turpissima foederis initi violatio effertur Atque tantum facinus committunt *ante faciem meam;* verba sunt עַל פָּנָי eadem quibus in decalogo dicitur : non habebis deos alienos *coram me* (Ex. 20, 3. Deut. 5, 7) ; nunc vero aperte coram Domino, ante faciem eius, i. e. impudentissime, ita ut eum minime vereantur neque peccatum suum abscondere nitantur, idolis supplicant. Insuper cum *facies Dei* saepius dicatur de Dei in templo praesentia (cf. 1, 12. Ex. 23, 15 ; 34, 15. 23. Deut. 31, 11. 1 Sam. 1, 22 etc.), cogitari poterit idololatria in ipso templo exercita (cf. 57, 8) ; unde simul haberetur indicium reprehensionem hanc factam esse ante exsilium ; in *hortis* immolare vide 1, 29 ; 57, 5 ; *super lateres* i. e. in aris lateribus obductis. Ipsa haec altaria iam dicunt cultum superstitiosum ; ex lege enim mosaica altare de terra erat faciendum vel de lapidibus non sectis vel de lignis setim et aere obducendum (cf. Ex. 20, 24 ; 27, 1 ; 30, 1). Perperam censent aliqui (*Del. Naeg. Or.*) propter lateres nos

amandari ad Babyloniam, in Pentateucho enim lateres solum commemorari de aedificiis in Babylonia et Aegypto erectis; sed propius quam Pentateuchus et historiae illae vetustissimae nobis adiacet id quod apud ipsum Isaiam legimus a Samaritanis dictum : *lateres* ceciderunt (9, 10). Alii (*Ges. Hitz. Ewald*) tegulas tectorum intelligunt, cum in tectis quoque idololatriam exercitam esse prophetae referant (cf. 4 Reg. 23, 12. Ier. 19, 13; 32, 29. Soph. 1, 5); at vix probabile est tecta vocari lateres; in hebr. *suffientes super lateres,* thus adolentes, aromata cremantes in honorem idolorum; « apta enim sunt testacea vasa ad incendendos odores quae nullum ex se odorem vi ignis reddere possunt neque etiam aduri; quare olim super lateres suffiebant et odorifera adolebant » (*For.*).

Cum idololatria varia iunguntur superstitionum genera v. 4 « *qui habitant in sepulcris et in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam et ius profanum in vasis eorum* » ; — hebr. *qui sedent in sepulcris et in* (*locis*) *custoditis pernoctant;* prius sane refertur ad necromantiam, ad responsa a mortuis postulanda (ita *Osor. Mald. Sa, Mar.* etc. et plerique recentiorum). Necromantia enim et evocationes mortuorum in usu erant (cf. 1 Reg. 28, 7. 4 Reg. 21, 6. Is. 8, 19), lege autem prohibebantur (Deut. 18, 11). Alii pauci (*Vitringa, Ges. Hahn*) explicant de inferiis, feralibus, februationibus, de sacrificiis in sepulcris pro manibus oblatis; sed cur dein *sedentes?* In locis *custoditis pernoctare* forte dicitur de celebratione mysteriorum in antris et cavernis facta, vel cum LXX κοιμῶνται δι' ἐνύπνια et cum *S. Hier.* : « in delubris idolorum, ubi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent; quod in fano Aesculapii usque hodie celebrat error ethnicorum multorumque aliorum, quae non sunt aliud nisi tumuli mortuorum ». *Syrus* : pernoctant in speluncis; *Chald.* : et cum cadaveribus filiorum hominum morantur; *Aq.* et *Sym.* : ἐν τοῖς διατετηρημένοις αὐλιζόμενοι. De qua re varios veterum locos vide apud *Sanct. Ges. Winer* (s. v. somnia) *Ros.* etc. — Comedere carnem suillam probabilissime refertur ad epulas sacrificales; sues enim in variis sacrificiis esse immolatos certum est (cf. *Movers,* Phoenizier I p. 219 seq. *Ges. Kn. Naeg. Reinke*); esus autem eiusmodi carnium etiam profanus severe interdictus erat lege; cf. Lev. 11, 7. 8. Deut. 14, 8. 2 Mach. 6, 18. 21; 7, 1. Fortasse ultimum quoque membrum ad epulas sacrificales refertur vel ad convivia quae cum gentilibus instituuntur, in quibus leges mosaicae de cibis minime observabantur; communiter vertunt : *frusta abominationum vasa eorum* (hebr.) i. e. in vasis suis vel scutris cibi adsunt abominandi. Alii (*Fürst, Kn.*) hic cernunt describi ἱεροσκοπίαν : vasa i. e. adiumenta et subsidia vel instrumenta quibus res futuras divinare conentur sunt iis frusta ea quae idolis immolabant.

In hebr. kethib est פְּרַק quae vox vi verbi (cf. Ps. 7, 3) *discissum, fragmentum* significare videtur; qeri h. l. praebet מְרַק *ius* vel *iusculum;* cf. Iud. 6, 19. 20; quam vocem LXX, *Syrus* et *S. Hier.* exprimunt et nonnulli codices hebr. et editiones referunt (cf. *de Rossi*). LXX praeterea aliter iungunt : comedentes carnem suillam et ius (ζωμὸν) hostiarum, profana omnia vasa eorum. *Syrus :* polluentes cadaveribus indumenta sua.

Atque eiusmodi mysteriis et superstitionibus initiati se magna superbia prae aliis efferunt de sua munditia et sanctitate insolenter gloriantes : odi profanum vulgus et arceo; v. 5 « *qui dicunt : recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es* »! — hebr. proprie *appropinqua tibi* i. e. sta apud te et ideo : procul esto a me (cf. *Mald. Mar. For. Malv.*), *quia sanctus sum tibi,* i. e. ne parum reverenter ad me accedens iram numinis in te suscites, cui ego consecratus sum; « ne si hominem sanctissimis sacris initiatum tetigeris, inexpiabilem religionem in te suscipias » (*Osor.*). Uti sanctuarium rebus profanis laeditur in sacra dignitate, ita numen et sacram suam dignitatem profanari asserunt aliorum attactu. Ergo quo magis abominationibus idolorum se tradunt, eo magis se sanctos existimant, cum tamen ex lege idololatria maxima sit immundities et abominatio. Ita plerique recentiores verba concipiunt. Atque profecto si tanto cum contemptu veros cultores Dei tractabant et sibi peculiarem attribuebant dignitatem, quantopere a Deo eiusque lege alieni fuerint satis superque declaratur. Eadem videtur esse sententia *S. Hier.* : « in tantam dementiam veniunt, ut quicumque eorum non fuerit similis eum quasi perditum detestentur » (sim. *Sasb.*). Alii id ab eis dici volunt gentilibus, quos arceant a suo convictu, ne quid maculae ab eis traherent (*Sanct. Lap. Men. Tir.*); delinearetur ergo superbia qua Iudaeus etiam idololatra se efferret contra gentiles (forte similiter ut Rom. 2, 17-21); at de societate gentilium vitata certe non reprehenderentur a propheta; neque ea superbia talis foret iniquitatis, qualem hoc loco post alia scelera et ante gravissimam poenarum denuntiationem exspectamus.

Verum quantopere isti iram Dei provocent et quantis poenis sint castigandi, graviter explicatur : « *isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die* »! — « eritis fumus, ignis ardens qui de meo furore accensus est » (*S. Hier.*). Deus qui est ignis ardens atque consumens eos apprehendet et incendio immisso eos reddet quasi ignem iugiter ardentem, ut toti quasi in ignem et fumum converti videantur; cf. 1, 31; 5, 24; 9, 18; 10, 17; 47, 14; « perpetuo materiam iracundiae meae subiiciunt, ut in illos incendar et indignationis meae flammis eos exuram » (*Osor.*). Considera quam graviter describatur poenae magnitudo :

erunt ignis ardens continuo. Ita autem enormitate scelerum exigitur v. 6 « *ecce scriptum est coram me; non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum;* v. 7 *iniquitates vestras et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum* » ; — tota eorum iniquitas est inscripta in monumentis Dei ad iudicium ; « omnia enim nostra peccata patent Dei oculis et in his scripta sunt libris, de quibus in Daniele legimus : throni positi sunt et libri aperti » (Dan. 7, 10. *S. Hier.*) ; sim. *S. Cyr.* ; cf. Deut. 32, 34 : nonne haec abscondita sunt apud me et signata in thesauris meis, ego retribuam eis in tempore et mea est ultio — ita *Malv. For. Lap.*; sim. *Osor. Sanct. Sasb. Mar. Men.* et illustratione a contrario a libro vitae adducta *Mald.* ; censentur enim res nostrae scriptae et repositae apud Deum; cf. 4, 3; 49, 6. Ps. 138, 16. Ier. 17, 1. Alii decretum Dei et iudicium designari volunt (*Vitringa, Hahn, Naeg. Troch.*), uti *scribi* dicitur Iob 13, 26. Ier. 22, 30. Dicit se non quieturum, nisi antea (כִּי אִם cf. 55, 10. Gen. 32, 27. Lev. 22, 6. Ruth 3, 18. Iud. 15, 7. *Del.*) plene reddiderit et in eorum sinum et caput verterit facinora illorum; *in sinum* metaphora est deprompta a sinu vestimenti in quo munera v. g. et dona reconduntur (cf. Ruth 3, 15. Ps. 78, 12. Ier. 32, 18. Luc. 6, 38). Iniquitates patrum eo sensu puniuntur in filiis, quia uti fit in calamitate quadam universo populo communi, quae maiores peccarunt et filii eorum vestigiis insistentes addiderunt eam tandem ruinam reipublicae attulerunt et eas aerumnas et tribulationes advexerunt, quas nunc luunt. Similis est locutio : implete mensuram patrum vestrorum; « peccaverunt quidem et qui tunc in vivis erant quando haec ab Isaia denuntiabantur et qui iam ante vita functi fuerant, nondum tamen illam impleverant peccatorum mensuram, ad quam Deus statuerat urbe ac templo deletis gentem illam duro atque aerumnoso exsilio mulctare; impleta ergo ab impia atque infelici posteritate peccatorum mensura quam ad summum fere usque parentes impleverant dederunt filii poenas, quae tam suis quam parentum peccatis debebantur » (*Sanct.*). Non *tacebo* i. e. non dissimulabo, non patiar inultum, sed ulciscar (*Sasb.*); cf. 42, 14; 62, 1. Denuo designat idololatriam tamquam omnium malorum fontem et originem : incensum adolebant in montibus et in collibus Deum ignominia afficiebant (hebr.); vide 57, 5 seq. Et hanc idololatriam vocat *opus eorum primum,* facinora illa iam a longo tempore et fere ab initio foederis patrata (cf. Ez. 20, 7 seq.) quae reliquorum malorum segetem progignebant amplissimam. — Hebr. plerumque concipiunt : et retribuam iis prius mercedem, id quod meriti sunt (cf. *Reinke, Net. Rohl. Sein. Del. Naeg. Or.*); at cum de improbitate

patrum sermo sit et ista iure opus vocari possit primum, pro quo poena repetatur, acceptio illa quam praebent LXX ἀποδώσω τὰ ἔργα αὐτῶν, *Syrus* et *S. Hier.* videtur praeferenda, praesertim cum illud *prius retribuam* indigeat suppletione quam illi utique tacite faciunt sed quae hic non adest: et *dein* dabo salutem. Sed sensus aeque aptus, immo melior est idem quem simili rerum concursu Christus indicavit dicens : ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram etc. (Matth. 23, 35) ; ita *For.* explicat addens esse certum numerum certamque mensuram peccatorum quae cum impleatur regna et imperia everti.

b) **Sortes bonorum malorumque diversae 65, 8-16.**

Verum ex ruina populo intentata secundum normam ab initio apud Isaiam promulgatam reliquiae salvabuntur; v. 8 « *Haec dicit Dominus : quomodo si inveniatur granum in botro et dicatur : ne dissipes illud quoniam benedictio est, sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum* » ; — hebr. *quemadmodum si inveniatur mustum in uva, dicitur : ne perdas... sic faciam;* adest enim in Israel semen sanctum, adest argentum, quod excoctione a scoriis sit purgandum (cf. 1, 25; 6, 13) ; non tota vinea est corrupta, adsunt boni, utique numero pauci, id quod comparatione exprimitur : in uva id servatur quod bonum est, etsi sit parvum. Servantur ergo reliquiae *propter servos meos,* sicuti tempore anteacto saepius regnum servatum fuit propter servum meum David; vide 3 Reg. 11, 11-13. 32-39 ; 15, 4. 5. 4 Reg. 8, 19; 19, 34. 2 Par. 21, 7. Uti saepius apud Isaiam iam deprehendimus (cf. 1, 6. 22 seq. 9, 15), comparatio modo instituta in sequentibus declaratur v. 9 « *et educam de Iacob semen et de Iuda possidentem montes meos, et hereditabunt eam electi mei et servi mei habitabunt ibi* » ; — ex Iacob et ex Iuda, ex Israelitis sensu strictiore, et ex Iudaeis colligentur ad instaurationem theocratiae, revertentur in terram palaestinensem, in terram Domini, quam denuo possidebunt; *montes meos* cf. 8, 8 ; 14; 25. Ex. 15, 17. Deut. 11, 11. Ez. 34, 13 etc. Indicatur itaque reditus ex exsilio tamquam initium instaurationis; de qua re vide 14, 1. 2; 40, 3 seq. Os. 2, 15 ; 3, 5. Am. 9, 8-12. Mich. 2, 12. 13; 4, 6; 7, 11 seq.

Iam pauca illa grana in botro cum iis adsit Dei benedictio amplum praebebunt proventum, semen illud parvum in maximam Deo favente excrescet messem, — qui revertentur pace et securitate fruentur v. 10 « *et erunt campestria in caulas gregum et vallis Achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me* » ; — hebr. *et erit Saron in pascua ovium;* uti *S. Hier.* advertit : « pro campestribus in hebr.

Saron ponitur; omnis regio circa Lyddam, Ioppen et Iamniam apta est pascendis gregibus »; cf. 33, 9. Vallis Achor, « in qua quondam maledictio fuit atque supplicium (Iud. 7, 24-26) erit in armentorum requiem » (*S. Hier.*); vetus illa maledictio vertitur in benedictionem (cf. *S. Cyr. Osor. Sasb. Lap.*); olim erat populo terram ingredienti vallis illa fatalis, nunc autem erit, ut Osee loquitur 2, 15, vallis ad aperiendam spem. Sita erat in finibus septemtrionalibus tribus Iuda et a Ierichunte septemtrionem versus. Erit igitur terra a parte occidentali (Saron) usque ad orientalem versus Iordanem i. e. regio tota gregibus ovium et armentorum abundans. Vita autem pastoricia symbolum est pacis et tranquillitatis; eodem modo vitam post reditum describit Mich. 7, 14. Indolem quoque instaurationis pacificam, a bellico strepitu et pompa mundana remotam, vates delineat; estque symbolum illud eo aptius quia regnum Messiae est regnum pacis (9, 6; 11, 6) et ipse Messias tamquam pastor bonus populum suum colliget (40, 11. Ez. 34, 23) qui uti David ex radice Iesse et humili conditione egressus est ad pascendum populum, ita ipse quoque ex trunco Iesse exorietur ad regnum pacis fundandum et ad thronum David possidendum (cf. 9, 7; 11, 1). In terrae fertilitate, in pace, in bonorum abundantia et securitate simul declarari ex norma veteris testamenti adesse in populo veram morum sanctitatem, iam saepius animadvertimus (cf. ad Am. 9, 13; comment. in Proph. min. I p. 336 et vide Lev. 26, 3. 5. Deut. 28. 29).

Verum non erit pax impiis v. 11 «*et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae mensam et libatis super eam,* v. 12 *numerabo vos in gladio et omnes in caede corruetis, pro eo quod vocavi et non respondistis, locutus sum et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis et quae nolui elegistis* »! — a Domino alieni et aversi, montis Sion i. e. cultus Dei et promissionum obliti mensam ponunt i. e. lectisternia parant pro *Gad* et pro *Meni* libamen implent (hebr.). Gad ut nomen appellativum *fortunam* dicit (cf. Gen. 30, 11 LXX ἐν τύχῃ), ut idolum (cf. Baal Gad) explicant de deo fortunae et in eo cernunt planetam cui a Iove nomen est, quam stellam Arabes maiorem fortunam appellabant, dum stellam cui a Venere nomen est inditum vocent minorem fortunam. Hinc fit, ut Meni de hac stella et de dea eius stellae praeside accipiant communiter (cf. *Del.*).

Nomen loci Baal Gad Ios. 11, 17; 12, 7 invenitur. In inscriptionibus ex Phoenice et Palmyra servatis nomen Gad saepius occurrit (*Del.*). De Gad iam adnotat *Pint.*: « rabbi Moses dicit esse eam stellam quam Iovem appellamus et rabbi David hic in commentariis etiam sidus quoddam esse ait ». Quid *Meni*

significet, est valde incertum. Idolum hoc nomine appellatum, utrum alibi occurrat necne, non liquet. Nam nomen Abdmeni, servus Meni, quod in nummis aliquibus aramaico - persicis satraparum legi perhibetur ab aliis dubium esse declaratur (cf. *Schrader* in Handwoerterb. ed. *Riehm* p. 980); alii vocem comparant cum Μήν, Μήνη (cf. *Movers*, Phoenizier I p. 650; *Kn. Sein.*) i. e. cum deo Luno vel dea Luna. Deam Menam etiam novit *S. Augustinus*, quam praefecerunt menstruis feminarum (Civ. D. 4, 11) et quae testibus Diodoro (3, 56) et Nonno (Dionys. 5, 70 seq.) in Phoenicia et Africa adorabatur (*Del.*). Sed tamen valde incertum remanet, num Μήν cum Meni cohaereat; *Del. Or.* potius in eam inclinant sententiam adesse nexum cum idolo Arabum antiquorum Manât. Pro iis qui vatem in Babylonia vixisse contendunt iuvat annotare quod *Del.* dicit totam hanc idololatriae descriptionem ex moribus Babyloniorum illustrari non posse, neque Lenormant (la magie chez les Chaldéens) inter plurima idolorum nomina chaldaica ullum afferre quod ullam cum Gad et Meni prae se ferat similitudinem. Lectisternia apud Babylonios in usu fuisse patet quidem ex Baruch 6, 27. Dan. 14, 2 et ea quoque innuere videtur *Herodotus* (1, 181); at sane nemo dixerit ea apud solos Babylonios in usu fuisse; epulae enim sacrificales omnes quid demum sunt nisi mensae diis instructae? Ssabios quoque per lectisternia fortunae idolum coluisse referunt (*Schrader* l. c.); et *S. Hier.* refert: « est autem in cunctis urbibus et maxime in Aegypto et in Alexandria idololatriae vetus consuetudo, ut ultimo die anni et mensis eorum qui extremus est ponant mensam refertam varii generis epulis et poculum mulso mixtum, vel praeteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes ». LXX praebent: ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. Macrobius (Saturn. 1, 19) refert ab Aegyptiis daemonem habitum esse solem et τύχην lunam; si id verum est et si interpres graecus ex hoc more aegyptiaco est explicandus, adest vestigium Meni revera habitam esse deam Lunam. — *Syrus* in priore membro habet *Gad*, in altero: temperastis crateres. *Aq.* et *Theod.* praebent τῷ μεινεί; *Sym.* ἐκτός μου. *Chald.* solum in universum de idolis et diis loquitur.

Cum emphasi et paronomasia-meni, manithi-alludens ad ipsum nomen planetae eodem verbo utitur vates ad poenam denuntiandam (*For. Malv. Sanct. Lap.* etc.) v. 12 *numerabo vos in gladio* etc. i. e. numeratos vos caedi tradam, unus e vobis non effugiet (*Vat. Mar.*) vel *destinavi vos gladio et omnes vos ad mactationem vos incurvabitis* (hebr.); ut scil. vos incurvastis idolis (2, 9), iam incurvate cervices et colla praebete gladio; *incurvare* vide 10, 4. Et quattuor demum modis ratio poenae affertur ex eorum contumacia, qua Deo vocanti et continuo docenti restiterunt et ea opere praestiterunt quae Domino sunt abominationi; cf. 50, 2; 66, 4. Mortem hanc et caedem *unam* esse ex poenis variis quibus rebelles puniendi sint, ex sequentibus colligitur; quamvis enim dictum sit: *omnes vos ad mactationem,* tamen alia quoque genera ca-

stigationum denuntiantur : v. 13 « *propter hoc haec dicit Dominus Deus : ecce servi mei comedent et vos esurietis; ecce servi mei bibent et vos sitietis;* v. 14 *ecce servi mei laetabuntur et vos confundemini* ; *ecce servi mei laudabunt prae exsultatione cordis et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis* » ; — attende gradationem : servi Dei iis quae ad vitam necessaria sunt abundabunt, praeterea gaudio fruentur, immo iubilatione exsultabunt (hebr.) prae consolatione animi ; impiis vero, ut iam 3, 1 minatus erat, fulcrum panis et aquae subtrahitur, ad inopiam accedet ignominia et opprobrium, demum corporibus animisque ita malorum mole prementur, ut prae moerore et angustiis vociferentur et eiulent. Illi igitur divinis beneficiis et vera beatitudine affluent, hi bonis spoliati et praesidio divino nudati malis miserrime succumbent.

Insuper utrorumque sors longe lateque innotescet v. 15 « *et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis et interficiet te Dominus Deus et servos suos vocabit nomine alio,* v. 16 *in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen, et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen, quia oblivioni traditae sunt angustiae priores et quia absconditae sunt ab oculis meis* » ; — poena eorum erit adeo conspicua et horrenda, ut nomen et sors eorum ad diras et imprecationes usurpetur; *S. Hier.* : « nomen vestrum erit in iuramentum, ut pro malorum exemplo vos habeant et detestentur talia sustinere et iurent sic : non haec patiar quae passus est populus Iudaeorum » ; idem explicatius minatur Ieremias : et dabo eos in opprobrium et in parabolam et in proverbium et in maledictionem in universis locis ad quae eieci eos (24, 9); cf. Ier. 29, 32. Ita implebitur quod iam Num. 5, 21 dictum est : detque te Dominus in maledictionem. Porro maledictione omnium obruti misera morte a Domino conficientur ; ita post maledictionem sequitur comminatio mortis, uti idem habes Ier. 24, 10 : et mittam in eis gladium et famem et pestem, donec consumantur de terra. Neque enim illud *et interficiet te* est formula imprecationis vel iuramentum exsecrationis quod h. l. a propheta inseratur (*Mar. Kn. Or.*), sed uti particula *et* indicatur et forma verbali ipsa demonstratur, mors tamquam poena a Deo infligenda proponitur ; ita demum coelitus percussi fiunt in maledictionem, ut ab eorum sorte imprecatio usurpetur. Verba eo sensu esse accipienda etiam eo suadetur quia si formula ipsa iuramenti exsecrationis daretur, alterum membrum quo comparatio contineretur vix posset deesse ; vide Ier. 22, 29 : ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne ; cf. Gen. 48, 20. 1 Reg. 3, 17. — Dum igitur impii omnibus sunt horrori et in eorum sorte tremendum cernitur documentum vindictae divinae, Deus servos suos electos singu-

lari ratione ad sui familiaritatem et bonorum divinorum communionem admittet, ita ut in novam quandam et sublimiorem conditionem evecti novo quoque nomine eoque honorificentissimo ab eo consalutentur. Quale sit nomen, vide ad 62, 2-4 et infra v. 23 : semen benedictorum Domini, vel cogita cum *Mald. Sanct. Sasb.* 62, 12 : populus sanctus, redempti a Domino; alii nomen *christianorum* designari volunt (*S. Hier. Cyr. Theod. Barh. Pint. For. Mald. Sa, Lap. Calm. Reinke, Bade, Troch. Naeg.*), quae acceptio nimis videtur esse ad unum restricta neque ullo modo ante impletionem cognoscibilis; dein adverti debet *vocari nomine* non eam habere vim, ut nomen debeat revera geri vel in ore hominum versari (cf. ad 7, 14), sed solum rei virtutem vel naturam declarari.

Servi Domini ad sublimiorem conditionem prae vetere foedere evecti —id enim in alio nomine imposito iure cernes—iam beata sua felicitate in se omnium oculos convertent, ita quidem ut quicumque sibi bona apprecatur in orbe terrarum, ea sibi apprecetur per Deum fidelem et veracem. Ita ex hebr. (cf. *Mald. Mar. Sanct.* et recentiores). Cernuntur ergo in servis Domini promissa Dei adeo impleta et tam larga benedictio effusa, ut omnium vota illam appetant conditionem et in ea Deum veritatis et fidei sese eximio modo manifestasse fateantur. Unde cultus quoque veri Dei in orbem terrarum propagabitur, quae cultus diffusio uno cultus genere, iurisiurandi scil. sacramento, declaratur (cf. 19, 18; 45, 24; 48, 1), cum iam in orbe terrarum per Deum veritatis omnes iurent, eum igitur Dominum supremum agnoscant et venerentur. Ita per servos Domini cognitio Dei inferetur gentibus (cf. 42, 12). Haec autem cultus Dei propagatio plurimum promovebitur, quia Deus servos suos ea bonorum copia et ea consolatione donabit, ut priores angustiae et clades iam oblivioni omnino tradantur; insuper ea sanctitate nova haec rerum instauratio praedita erit, ut veteres illae aerumnae etiam ab oculis Domini abscedant, i. e. ut Deus malorum praeteritorum iam non recordetur ad ea denuo inducenda (cf. *Mald.*); quod enim longe abest, absconditum esse dicitur ab oculis (*Sanct.*); unde quia Deus novae theocratiae iam non illaturus est eas castigationes quibus veterem punivit et erudivit, illae absconditae esse dicuntur ab oculis Domini, illarum Deus iam non recordari perhibetur venia et indulgentia copiosissime collata, qua damna vetera eximie sunt reparata. Unde quantopere nova rerum conditio prae vetere eminentior futura sit, pluribus deinceps explicatur.

c) Quam praecellens sit nova rerum conditio 65, 17-25.

Cur in servos Domini ea bonorum copia sit effundenda, ut omnes sibi per Dominum bona sint apprecaturi, vates rationem reddit amplis-

simam ex consilio divino quo Deus creaturam suam ad summum quoddam gloriae fastigium perducere decreverit et regnum gloriae coelum terramque complectens condere statuerit; v. 17 « *Ecce enim ego creo coelos novos et terram novam; et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor* » ; — i. e. priora iam non in mentem venient, iam non de illis occurret vel habebitur cogitatio. Statim ultima illa perfectio proponitur ad quam regnum Dei demum sit adducendum, quando revera coeli novi et nova terra consummatione saeculorum facta Dei gloriam et gloriam filiorum Dei annuntiabunt (cf. Rom. 8, 21. 2 Petr. 3, 13. Apoc. 21, 1). Ut enim beatitudo illa quam Deus servis suis parat in summa sua perfectione exhibeatur et ut talis maledictioni illi et morti cui adversarii Dei succumbent efficaciter opponatur, iuremerito vates salutem messianicam describit qua coeli et terra nova gloria eaque perpetua donantur, quo facilius ex innovatione et gloria in ipsam creaturam redundante ad gloriam servorum Dei fiat conclusio. Quod supra 51, 6. 16 vates indicaverat, hic iam aperte declarat. Nova ergo theocratia innovationem et gloriam coeli et terrae efficiet, de qua demum in consummatione saeculorum futura libris novi foederis edocemur. Sed per se patet totam illam gloriam et innovationem non statim exorituram, verum per gradus quosdam et post indeterminata temporum spatia ad eam esse perveniendum. Describit ergo vates etiam hoc loco theocratiam ex illa gloria ad quam tandem erit adducenda stadiis intermediis atque intervallis relictis; et apte quidem ita describit, quia ex consummata illa gloria quasi uno conspectu exhibetur, quantum sit illud quod Deus praeparaverit diligentibus se.

Ita locus iste duce doctrina in sacris libris proposita exponendus videtur. Ea enim expositione verborum proprietas omnino servatur, quae eadem cernitur 2 Petr. 3, 13. Apoc. 21, 1 seq.; habetur veritas rei, quia creatura revera erit glorificanda, et apte hoc gloriae fastigium et praecedentem descriptionem sortis bonorum absolvit et subsequentem eminentiam novae theocratiae orditur. Neque alienum est ab Isaia, ut ab ultima quasi rei perfectione exorsus eaque summatim proposita ad alia descendat intermedia et viam delineet qua ad summum illud erit perveniendum (cf. 2, 2; 52, 13; 54, 1; 60, 1). De illa innovatione audi *S. Hier.*: « qui novitatem commutationem in melius et non elementorum arbitrantur interitum illo utuntur exemplo Ps. 101, 26. 27, in quo perspicue demonstratur perditionem et interitum non abolitionem in nihil, sed commutationem sonare in melius; quod intelligens et Paulus apostolus loquebatur: praeterit enim figura huius mundi (1 Cor. 7, 31); consideremus quid dixerit: figura praeterit, non substantia ».

Alii in coelis novis novaque terra locutionem cernunt hyperbolicam, qua magna quaedam et incredibilis mutatio in melius significetur (*Mald. Sanct.* sim.

Osor.) vel designari nova de coelo auxilia, nova de terra beneficia (*S. Thom.*) vel dici novos coelos, quia laetis cuncta videantur pulchriora (*Mar.*); sed haec utut veri aliquid continent, tamen verba adeo ampla et clara nimis extenuant. Alii in novis coelis terraque nova simpliciter cernunt Christi Ecclesiam hisce in terris institutam et degentem (cf. *S. Ephr. Pint. For. Lap. Men. Tir. Reinke, Bade*), monentes in subsequentibus ea efferri quae non in beata aeternitate sed hisce in terris et in via ad patriam eveniant et Ecclesiam revera dici posse novum mundum, multo augustiorem et pulchriorem isto quem cernimus. Haec quidem vera sunt; at in v. 17 de Ecclesia in terra constituta sermonem esse non evincunt. Nam docente revelatione verba aliquid etiam augustius sonant; cur ergo id hoc loco excludatur? Nonne prophetarum est res describere ex summa et ultima perfectione? Idque praeprimis valet in exhibenda salute messianica, quae uti revera aeternitatem complectitur et in ea tandem omni suo splendore et beatitate possidetur, ita eam proponunt haud infrequenter ea amplitudine et pulchritudine iisque effectibus quae non adsunt nisi in aeternitate. Idem poteris etiam quandoque in subsequentibus observare; felicitas enim describitur talis qualis vere haberi nequeat hisce in terris; quamvis igitur describatur tamquam in conditione terrestri conclusa, tamen huius terrae limites excedere et superare videtur. Unde potiore iure explicabimus v. 17 de beata temporum plenitudine. Tempus et aeternitatem simul hoc versu comprehendi *Troch.* censet; at melius *Sasb. Calm.* de creaturae immutatione gloriosa capiunt; et inde ultima verba ita exponit *Sasb.*: « coelum et terra quae iam admiramini non erunt semel comparanda cum illis coelis et illa terra quae erunt post resurrectionem et omnia post resurrectionem erunt multo praestantiora »

Novos coelos novamque terram iri praeparatum creatione et innovatione Ierusalem tali, ut fiat sanctitatis sedes, exponitur v. 18 « *sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quae ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exsultationem et populum eius gaudium* »; — in hoc versu propheta ab ultima perfectione regni messianici quae futura est in aeternitate, a coelis novis et terra nova, descendit ad conditionem temporalem eiusdem regni, quam ita exhibet, ut centrum veteris theocratiae et ipsa vetus theocratia — loquitur enim de Ierusalem et de populo theocratico — dicatur nova quadam creatione immutari adeo ut fiat exsultatio et gaudium. Idcirco magna quaedam annuntiatur innovatio quae ex parte Dei considerata sit creatio, ergo opus Dei modo quodam eximio ad efficientiam Dei referendum, ex parte vero veteris theocratiae talem inducat rerum mutationem, ut qui antea ob violationem foederis erant exsecrationi et aerumnis traditi iam non spirent nisi laetitiam et gaudium et hanc felicitatem etiam cum aliis communicent. Nova ergo theocratia adumbratur tamquam fons gaudii et exsultationis, tamquam verae felicitatis scaturigo; unde bene in hebr. *laetamini et exsultate in*

perpetuum de tali Dei creatione, qua implebitur quod dictum est 60, 5 seq. 61, 3 et 62, 3. Quanta indicetur rerum mutatio usu nominum abstractorum, facile patet comparatione instituta cum 49, 14 et 51, 18 seq.; « nunc creata dicitur Ierusalem gaudens et exsultans, quia longe meliorem statum nacta est quam cum sederet lugens et sordida » (*Sanct.*).

Et quanta sanctitas futura sit in hac creatione divina, pulcherrime delectatione ea describitur qua Dominus sibi in ea complacet v. 19 « *et exsultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris* »; — in *gaudio* Domini vide delineatam ex una parte eximiam sanctitatem in theocratia relucentem, ex altera parte Dei amicitiam et benevolentiam et tenerrimam illam curam et ingens desiderium quo singulorum salutem prosequitur. Ergo consistit regnum fundatum in iudicio et iustitia (9, 7), nunc est Ierusalem plantatio fidelis, vinea meri, germen plantationis ad glorificandum (cf. 27, 2; 54, 12 seq. 60, 21). Simul cum ablatione peccati cessant aerumnae et afflictiones et oppressiones; delineatur sanctitas ratione habita temporis prophetae, quo propter iniquitatem eiulatus et clamores oppressorum audiebantur. In oratione precatus erat vates ne perpetuo irasci vellet Deus, respondet Dominus quod non solum populus gaudebit sed ipse quoque exsultaret (*For.*). En quam abunde orationem vatis se suscepturum atque impleturum spondet!

Novae theocratiae conditio felix et Deo accepta iam variis imaginibus ex norma veteris legis depromptis accuratius delineatur. Et primo quidem morte immatura neminem iri abreptum, verum longaevitatem fore illam quam in priscis patriarchis origini generis nostri proximis adfuisse sacrae literae docent v. 20 « *non erit ibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur et peccator centum annorum maledictus erit* »; — hebr. *et non erit inde* (scil. ex Ierusalem) *amplius infans dierum* per pauculos solum dies vivens; omnes implebunt dies suos et tanta erit longaevitas ut si quis centum annos natus moreretur, is tamquam puer mortem obiisse censeretur vel tamquam peccator morte praematura abreptus crederetur; verte hebr. *nam puer (tamquam) centum annos natus moreretur et peccator (tamquam) centum annos natus maledicto abriperetur.* Quid sibi vult haec longaevitas? hi dies ligni (v. 22) ita ut homines diuturnitatem arborum assequantur? Duo puto a propheta spectari. Primo eum velle in vita diuturna quam homines magni aestimant et quae in sacra quoque Scriptura ut merces virtutis proponitur (Ex. 20, 12. Deut. 5, 16) statum eum designare, qui bonis omnibus abundet et imaginem quandam exhibeat sanctitatis perfectae et ipsa vitae longaevitate quam maxime similis depingatur vitae quae in paradiso fuisset transigenda. Secundo eum in-

dicare in novo rerum ordine normas illas pro vetere fixas iam non eodem modo valere; nam ibi valet : defecerunt anni eorum (peccatorum) cum festinatione (Ps. 77, 33) et viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Ps. 54, 24); generatim in vetere lege poenae temporales transgressoribus erant propositae; sed alia erit indoles novae legis.

Alio modo alii verba explanant. Qui millennium exspectant (chiliastae) et antiquiores et recentiores exponunt id fore ad literam in ea periodo (cf. de antiquioribus apud *S. Hier.* de recentioribus *Del. Naeg.*). De qua sententia vide quae notavi ad Is. 2, 4 et Mich. 4, 4. Alii impletione quadam minima contenti observant morbos pestiferos inter populos christianos iam non adeo grassari, ut olim inter barbaros et idcirco exspectari merito posse quo magis religio vera et vera animorum immo et regionum cultura propagetur, eo magis quoque fore ut vita hominum a periculis praematurae mortis removeatur (cf. *Mayer*). Plerique tamen interpretatione quavis literali relicta ad sensum mysticum se recipiunt. Neque ii uno modo vel concorditer. *S. Cyr.* : « in vocatione, inquit, per Christum et temporibus adventus neque immaturus neque senex inter se different; nam omnes erunt perfecti et omnes implebunt tempus i. e. in virum perfectum evadent et ad mensuram aetatis plenitudinis Christi. Adolescens enim i. e. gentilis populus erit centum annorum q. d. erit perfectus et mente canus et ad spiritualis aetatis summum gradum perductus. Perfectionis namque signum seu symbolum est centum annorum numerus ». In peccatore autem centum annorum cernit *S. Cyr.* eum qui perfectionem legalem adeptus iustitiam per fidem nolit accipere. *Euseb.* et *Theod.* ad tempus quoque referunt post resurrectionem, quando aequalis futura sit pro omnibus aetas; centenarium numerum designare aeternitatem; sim. *Procop.*; *S. Hier.* autem integrum relinquit, utrum intelligatur post resurrectionem in secundo Christi adventu an post baptismum. Hanc explicationem de sanctitate per baptismum collata amplexi sunt multi : neminem iam esse infantem spiritu, sed omnes esse senes i. e. maturos, sapientes, virtutibus instructos, quia qui pii sint summam possideant sapientiam, et pleni dierum quia vitam sibi comparent aeternam (cf. *Pint. Sanct. Sasb. Malv. Lap. Men. Tir. Calm. Reinke, Loch*). Sed de puero et peccatore centum annorum iterum dissentiunt. Alii enim membrum utrumque de peccatoribus explicant : homo centenarius, interim tamen puer sensu, morietur morte aeterna, et senex non implens dies suos maledictus erit (*Sasb. Pint. Sanct. Lap. Men. Gord.*); alii : etsi quis in pueritia moriatur, morietur meritis dives, ita ut de eo valeat; consummatus in brevi explevit tempora multa (Sap. 4, 13. *Mald. Tir.*) vel *Osor.* : « omnes ad eam aetatis maturitatem pervenient quae non est annorum numero, sed integritate vitae definita»; et quamvis peccator perveniat ad aetatem maturam, tamen infans erit, divinis diris obnoxius neque perfectam aetatem attigisse existimabitur. — Sed in hac explicandi ratione oportet confugere ad metaphoras apud prophetam inauditas et complura quibus res constituitur suppleri debent; quae duo documento sunt sensum prophetae ab interprete non esse recte perceptum. Quare hanc quoque descriptionem eo

modo esse accipiendam existimo quo supra similes descriptiones tamquam symbola rerum explicatae fuerant (2, 4; 11, 6; 14, 9; 43, 20 etc.). Vitam ergo beatam Deoque gratam et novam rerum conditionem a vetere diversam vates exhibet depingens diuturnitatem vitae; ad quam descriptionem clarius efferendam etiam ultima pars versus referri debet sensu conditionato: si quis centum annos natus moreretur, iuvenis mortem obiisse censeretur vel existimaretur peccator Dei maledictione sublatus; tanta ergo erit longaevitas, in qua simul quantus sit vitae vigor, quantum robur corporis, quanta rerum omnium salubritas describitur. Hisce autem omnibus *imago* constituitur et *symbolum* vitae felicissimae; symbolum vero non eodem modo quo describitur impletum iri res est satis perspicua.

Eandem felicitatem et sanctitatem, cuius indicium est prosperitas, ulterius vates exhibet v. 21 « *et aedificabunt domos et habitabunt et plantabunt vineas et comedent fructus earum;* v. 22 *non aedificabunt et alius habitabit, non plantabunt et alius comedet; secundum enim dies ligni erunt dies populi mei et opera manuum eorum inveterabunt* »; — in lege mosaica transgressoribus hae intentantur minae: frustra seretis sementem quae ab hostibus devorabitur (Lev. 26, 16); domum aedifices et non habites in ea; plantes vineam et non vindemies eam; fructus terrae et omnes labores tuos comedat populus quem ignoras (Deut. 28, 30. 33), quorum singula quoties rebellibus evenerint, testes sunt libr historici (Iud. 3, 8. 14; 6, 4; 10, 9 etc.) et ipse Isaias (1, 7). Quia igitur haec cum manifesta allusione ad legem mosaicam iam non fore dicuntur quae alias pro peccatis infligi solebant, aperte status quidam pietatis et sanctitatis ratione symbolica describitur secundum normam Israelitis ex lege notam. Praeterea in illa prosperitate delineari bonorum spiritualium abundantiam facile concipitur, quia ipsa prosperitas indicium est divinae in populum benevolentiae et liberalitatis. Membrum ultimum verte ex hebr. *et opera manuum suarum plene consument electi mei,* iis integre et perfecte fruentur et quam diutissime perfruentur; ita esse potest longaevitas ratio, cur quae plantaverint ipsi comedere dicantur. Dies *ligni* intellige spatium quo arbores vivere et florere solent, sicut cedrus, quercus, terebinthus, quae per plura saecula virent vegetae. Fortasse haec pars a suo loco qui esse videtur in v. 20 casu quodam est remota (uti accidit 38, 21, 22); verba enim ea melius ad illum versum conveniunt quam hoc loco, nisi dicere malueris cum *Mald.*: tamdiu unusquisque vivet in populo, quamdiu vinea quam plantavit duraverit, ut comedat omnes fructus eius, vel explicaveris cum *Sanct.* non de vitae diuturnitate sed de vita, in qua splendor et viror non marcescat; ergo semper vegeti et valentes ad comedendum, quamdiu vivunt? Sed dubito num hic nexus cuiquam placeat.

Benedictio divina ulterius cernitur v. 23 « *electi mei non laborabunt frustra neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est et nepotes eorum cum eis* »; — iam spes eorum et exspectatio non falletur; hebr. *neque generabunt ad terrorem* vel exitium repentinum; liberos scil. non procreabunt qui morte immatura vel strage hostili vel alio infortunio sint auferendi. Notat *S. Hier.* : « neque generabunt in maledictione, et ut in hebr. expressius ponitur εἰς ἀνυπαρξίαν h. e. ut esse desistant »; LXX εἰς κατάραν, idem *Syrus*. De voce hebr. vide Lev. 26, 16. Ps. 78, 33. Ier. 15, 8. Iis autem favoribus donantur quia sunt a Deo benedicti; nepotes ipsorum cum eis i. e. ipsi erunt longaevi neque nepotes eorum morte praematura abripientur. Et quantopere Deus promptus paratusque sit ad favores favoribus addendos, insigni modo describitur v. 24 « *eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam* »; — plus promittit quam 64, 5 vates commemorat, plus quoque quam 30, 19 proponitur. Quam primum desiderium mente animoque concipitur, antequam verbis voceque pronuntiatur et Dei gratia pro eo imploratur, Deus spondet se responsurum (hebr.), illis adhuc orantibus se exauditurum. Qua loquendi ratione « explicatur benevoli animi singulare studium, qui sic est in aliorum causam intentus, ut non solum vocem aut orationem audiat, sed latentes animi atque silentes motus » (*Sanct.*). Hoc *S. Hier.* illustrat ex crebris apostolorum miraculis : « loquentibus enim et clamantibus apostolis et apostolicis viris Dominus signorum magnitudine respondebat ».

Tam praeclare igitur Deus respondet ad petitionem prophetae *salvabimur?* in 64, 5 et ad illa suspiria : *ne irascaris, pater noster es tu* etc. (64, 8. 9). Absolvitur salutis eximiae descriptio symbolo illo regni pacis quod fere ex 11, 6 seq. depromitur : v. 25 « *lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas et serpenti pulvis panis eius; non nocebunt neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus* »; — vide ad 11, 6-9. Gloria enim regni messianici etiam in creaturam redundabit; quo sensu et quo modo vide quae notavi ad 11, 6; de qua re quoque vide ad Os. 2, 21; 4, 3. Am. 9, 13. Ioel 3, 18. Mich. 7, 14. Hab. 3, 17. Soph. 1, 3. Bestiae feroces domitae cernuntur in ea imagine et pacificae; eo symbolo vis nativa regni messianici declaratur. Serpenti, cuius 11, 6 non est facta mentio, panis assignatur pulvis cum manifesta allusione ad Gen. 3, 14; ergo maledictio illa in serpentem prolata effectum tulisse hoc loco dicitur, ergo diabolus qui in serpente maledictione percellitur hoc symbolo serpentis pulverem comedentis victus atque prostratus declaratur. Eius potentia est superata : nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Uti in paradiso serpens erat instrumentum diaboli, diabolus igitur se viribus naturalibus abuti posse

ad malum peragendum ostendit, ita plane consequens est etiam in servitute corruptionis cui creatura subiecta est (Rom. 8, 21) diabolum suas agere partes et suas immiscere fraudes. Unde Christus triumphator etiam creaturam liberat a servitute illa; liberat eam iam per benedictiones Ecclesiae, cernitur illius liberatio et elevatio in sacramentalibus et sacramentis, in quibus creatura quasi vehiculum fit et instrumentum beneficiorum divinorum, modo gloriosiore eam liberabit et elevabit in glorificatione filiorum Dei. Interea autem symbolo illo quanta vis pacis insit regno messianico delineatur et quantopere fracta sit et victa potentia Deo adversaria. Demum ex pace illa in creaturam redundante et ferocissima quaeque edomante quae sit salutis excellentia et beatitas ut rite colligamus et perpendamus admonemur.

8. *Oratio octava* 66, 1-24.

Epilogus ad totam prophetiam.

Arg. — Deus pro sua maiestate et omnipotentia nullo templi splendore condigne potest honorari, verum sibi complacet in animo humili et pio; eos autem qui quamvis sacrificia offerant animum habent sceleribus pollutum et contumacem severe castigabit (66, 1-4). Admonentur pii ne propter impiorum ludibria animis cadant; Deus enim egredietur ad iudicandos et prosternendos inimicos et novam theocratiam numero hominum longe praestantiorem repente condet pro sua potentia et virtute (66, 5-9). In ea autem suos ingenti bonorum copia donabit et summa consolatione eos afficiet, inimicos vero et contemptores et idololatras horrendo iudicio et ingenti supplicio prosternens gloriam suam manifestabit (66, 10-18). Tum mittentur legati Dei in omnem orbis terrarum partem ad gloriam Dei gentibus annuntiandam et ad filios Israel ad Dominum adducendos; eligentur ex gentibus sacerdotes et levitae; omnes venient ad adorandum Dominum, Dei autem inimici aeternis cruciabuntur suppliciis (66, 19-24).

Iterato propheta indolem theocraticam et internam animorum innovationem inculcat et urget; quod in prologo reprehendit, etiam hic in epilogo reprobat: spiritum illum pharisaicum quo putant praestationibus quibusdam et caerimoniis persolutis res cum Deo satis esse compositas (cf. 1, 10 seq.). Denuo ob oculos ponit, quanta bona Deus amicis sit largiturus, quanto vero exitio rebelles et contumaces sint interimendi. Tamquam alter igitur Moyses populo suo hac oratione valedicturus vitam proponit et mortem, ut eligant; vitam insignibus dicendi lumini-

bus illustrat et abundantiam divinae consolationis et beatitatis praeclare et suavissime celebrat, si forte animi tanta bonorum copia alliciantur; ruinam vero et excidium impiorum gravissime igne, gladio, furore Dei et aeternis suppliciis et incendiis ob oculos ponit, ut tot malorum cumulo ab improbitate absterreantur. Novam theocratiam exorituram describit repente, modo insigni, erit tamquam nova Dei creatio et quasi generatio ad magnam omnium admirationem; eximio modo eius indolem exhibet universalem et insignem cultum Deo per sacerdotes ex gentibus assumptos reddendum et continuam quae in ea aderit Dei adorationem. Unde magna illa documenta quae in oraculis Isaiae deprehendimus in hoc epilogo quasi in unum collecta cernuntur : iudicium Dei et salus, regnum Dei universale, vera sanctitas et summa in Deo beatitudo.

a) **Deus pios respicit, aversatur impiorum cultum 66, 1-4.**

Inter praecipua prophetarum munera iis incumbebat veram in populo fovere pietatem et cavere ne iste ritibus quibusdam caerimoniisque persolutis officio suo erga Deum se perfunctum esse sibi persuaderet. Quod periculum quam prope adfuerit et in tanta legalium observatione et in populi ad ritus externos pronitate, illis admonitionibus edocemur quas propheta iam in priore parte de eadem re dedit 1, 10 et 29, 13. Idem hoc loco praestat, docens in animi pietate et prompta erga Deum obedientia id contineri quod Deus a populo expetat et misere eos decipi qui existiment se magni quidquam praestitisse, si ad templum exornandum operam vel opes contulerint. Quocirca ad sublimem notionem maiestatis divinae animos elevare studet, ne divinam gloriam ad modum gentium ex humani ingenii imbecillitate vel pravitate dimetiantur. Hanc divinae maiestatis sublimitatem symbolice aspexerat in visione inaugurali (6, 1 seq.), hanc oraculis suis saepius praeclare celebraverat (v. g. 40, 12 seq.), hanc denuo breviter, verum efficacissime ob oculos ponit, ut ex notione vera maiestatis divinae quis cultus ei acceptus sit cognoscatur. Unde v. 1 « *Haec dicit Dominus : coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum; quae est ista domus quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meae* »? — si sibi blandiantur de opere templi et a Deo sibi quasi gratiam habendam esse pro tanto studio existiment, haec divinae magnificentiae descriptio apta est qua superba eorum complacentia retundatur : Deus habitans in coelis, cuius thronus ingenti illa stellarum multitudine et fulgore solis exornatur et qui orbe terrarum tamquam vili utitur scabello pedum, num quidquam magni vel praeclari cernere poterit in domo una quam

homunciones pauci exornant? vel quid est aedificium illud comparatione instituta cum coelo stellifero? Cf. 3 Reg. 8, 27. Act. 7, 48; 17, 24.

Atque ratio additur efficacissima cur externo illo cultu non honoretur neque illum in aliquo habeat censu v. 2 « *omnia haec manus mea fecit et facta sunt universa ista, dicit Dominus; ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos* »? — quid enim est templum illud unum comparatione facta cum universo mundo adspectabili? quam angustum, quam vile mundi totius amplitudine et opibus consideratis? Dein etsi in illo templo summa essent omnia et maxime egregia, illa tamen non ab hominibus essent, Dei sunt opera qui omnia creavit et a quo speciem habent et splendorem. Quare cum emphasi Deus dupliciter idem affirmat : mea sunt, ego feci. Dein quid vere requirat et in quo sibi complaceat iis pluribus explicat qui spiritu pharisaico tumentes opera sua in templi ornatu posita coram Deo enumerant : oculi eius intenti sunt in eum qui miseria oppressus est, qui non altiores spiritus assumit sed animo demisso se Deo subdit et verba et mandata Dei cum omni reverentia et timore suscipit et veneratur. Ergo non opes hominum neque eorum industriam vel artificia primo et per se probat, sed humilitatem, religionem, obedientiam. Similiter cultum mere externum reiicit et animorum pietatem exquirit Deus Ps. 49, 7 seq. 50, 18. 19; cf. 1 Reg. 15, 22 : numquid vult Dominus holocausta et victimas et non potius ut obediatur voci Domini! melior est obedientia quam victimae et auscultare magis quam offerre adipem arietum.

Sed de quonam templo vates loquitur? Sunt qui censeant Iudaeis in exsilio viventibus in mentem venisse templum esse erigendum ; prophetam vero id oppugnare (*Hitz. Kn.*). Verum tale consilium in exsilio agitatum esse prorsus gratuito fingitur. Ei enim obstat lex de uno sanctuario in loco quem elegerit Dominus, neque eum fuisse exsulum animum colligitur ex Ps. 136, 4 : quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? etc. neque eius consilii ullum adest vestigium apud aequales prophetas, Ieremiam, Ezechielem (etiam non 11, 16), Danielem, Aggaeum, Zachariam, neque in libris Esdrae et Nehemiae; immo cum de negligentia et socordia ipsi reduces apud Aggaeum (1, 4 etc.) graviter arguantur et stimulis additis ad opus templi excitari debeant et urgeri, plane incredibile evadit studium illud templi erigendi in terra exsilii. Alii (*For. Calm. Rohl. Del. Or.*) verba referunt ad templum post exsilium exstruendum. Sed non intelligitur cur vates tale consilium prophetice reprehendat, praesertim cum 44, 28 templum revera post exsilium fundandum esse dicatur. Atque qui reduces erant adeo segnes sese exhibebant in opere templi, ut de tali opere superbiisse nulla ratione censeri

possint; vituperium igitur prophetae minime ad illud tempus pertinere potest. Eo enim tempore stimulis indigebant et calcaribus, ut operi templi insisterent. Sed minime deest ipso Isaiae tempore eius admonitionis opportunitas, dummodo בָּנָה *aedificare* non de prima aedificatione acceperis, verum de quadam templi instauratione et ornatu vel de restitutione partis aedificii. Ita בָּנָה adhiberi nemo iure negaverit (cf. 1 Reg. 15, 17. 2 Par. 11, 6. Dan. 4, 27, quo loco v. g. Nabuchodonosor ait: nonne haec est Babylon magna quam ego aedificavi in domum regni); iam sicut tempore Iosiae multum aedificatum est ad templi instaurationem (4 Reg. 22, 4 seq.), ita eiusmodi labores etiam tempore Isaiae necessarios fuisse facillime is crediderit qui recogitaverit tempora Achaz idololatrae, per quae certe templum iacebat neglectum; fieri quoque potuit, ut eiusmodi instauratio magis splendida ab Ezechia pio rege fieret post invasionem Assyriorum; idque eo magis evadit probabile quia Ezechias ad solvendum tributum a Sennacherib impositum « confregit valvas templi Domini et laminas auri quas ipse affixerat et dedit eas regi Assyriorum » (4 Reg. 18, 16), ex quo loco discimus Ezechiam iam ante invasionem ad templum exornandum operam contulisse. — Alii censent in universum dici: ubinam esset domus quam aedificaretis mihi, quae scil. me digna esse posset et quam ego propter magnificentiam magni aestimare deberem (cf. *Mald. Osor. Sanct.*), Deum ergo uno genere unoque exemplo ostendere, uti 1, 11 in sacrificiis, se rebus istis externis quas illi magnifaciant minime tangi. Id in explicatione data etiam continetur; sed praeterea tamen consultius est certam eius admonitionis opportunitatem statuere.

Quid oculis divinis placeat, in v. 2 dictum est. Verum ab hac animorum habitudine maior pars populi abest. Ritus quidem externos observant, sacrificia legitima Deo offerunt, at dum talia obeunt animos gerunt sceleribus plenos et ad idololatriam et superstitionum genera promptos ac paratos. Haec ergo ratio est cur etiam operam in templo collocatam Deus minime laudet. Hanc autem animorum conditionem perversam vates exagitat v. 3 « *qui immolat bovem quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris quasi qui benedicat idolo. Haec omnia elegerunt in viis suis et in abominationibus suis anima eorum delectata est* »! — sensus fit planus et simplex, si cum textu hebr. omissa particula comparationis verteris: *mactans bovem* (*est*) *interficiens hominem, sacrificans ovem* (*est*) *cervicem frangens cani, offerens fertum* (*est offerens*) *sanguinem suillum, adolens thus* (*est*) *benedicens idolo* i. e. is qui taurum mactat ad sacri-

ficium offerendum (ita שָׁחַט Lev. 1, 5; 3, 2; 4, 4 etc.) simul animum gerit caede pollutum; legem de sacrificio servat, legem Dei « non occides » spernit et conculcat; ergo idem hoc loco improperat Deus quod 1, 15: manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Ovem alius immolat ritu legitimo, sed idem qui Domino cultum externe exhibet, alia occasione cum Phoenicibus in cultu idololatrico canem offert (cf. *Movers*, Phoenizier I p. 404. 405); alius fertum ritu mosaico offert, at simul sacrificiorum abominandorum se participem reddit, quibus sues immolabantur apud Phoenices, Syros, Aegyptios (cf. 65, 4. *Movers* l. c. p. 219); alius thus tribuit (*S. Hier.*), thus adolet, quod ad fertum communiter addebatur; sed simul idola adorat, laudat, ab iis favores expetit. In hebr. idolum h. l. vocatur אָוֶן *inane, vanum, malum*, uti contemptus causa talia nomina idolis indebantur; cf. 1 Sam. 15, 23. Os. 10, 8; 12, 12 et iam Deut. 29, 16 etc. et vide supra 41, 29. Idolum intelligi et ex verbo *benedicere* vel salutare elucet et ex membris antecedentibus, in quibus ritus superstitiosi et idololatrici designantur. Quam maxime igitur vates reprehendit quod simul cum cultu Dei externo iniustitiam et multiplicem idololatriam coniungunt; eadem ergo rerum conditio hoc loco tangitur, de qua 1, 11 et 2, 8 sermo erat. Nota insuper sermonem fieri de sacrificiis Deo oblatis; ergo non de tempore exsilii haec valent, sed tempus ante exsilium clare describitur.

Haec explicatio plana est et optime cohaerens et iis ipsis quae 1, 11 seq. habentur omnino suadetur et plane commendatur verbis illis: *haec omnia elegerunt.* Sed mirum est, in quam diversas opiniones et explicationes interpretes abierint. Multis iam difficultatem creavit particula comparationis, quae adest apud LXX, *Syrum, S. Hier. Chald. Sym. Theod.*; nam quomodo is qui bovem mactat est quasi occidens virum? LXX inserunt in textum: ὁ δὲ ἄνομος ὁ θύων; sed etiam haec sententia: iniquus qui immolat bovem est quasi homicida, dura est, uti bene dicit *Mald.*; nam cum Deus ipse praeceperit sacrificia, quomodo ea iam homicidio quasi aequalia reprehendit? Neque emollitur difficultas, si cum pluribus dixeris, intelligi sacrificia quae animis pollutis offerant et inquinata conscientia, vel istis comparationibus declarari a Deo quam odiosa et molesta sibi sint Iudaeorum studia religione et pietate fucata et hypocrisi infecta (cf. *Osor. For. Mald. Sanct. Sa, Mar. Malv. Tir. Calm. Reinke, Bade Rohl. Troch. Sein. Del. Or.*). Nam: qui bovem in honorem Dei immolat et ab iniquitate non discedit, is sese hominis caede cruentat, vel: qui bovem mactat, perinde est ac si altare sanguine humano foedaret, vel: detestor sacrificia vestra ac si essent homicidia, haec sane sunt tanta cum exaggeratione dicta, ut veram explicationem continere nequeant. Quis enim ferre potest id dici a Deo quod sine ingenti hyperbole dici nequit vel potius quod in se omnino est falsum: qui bovem immolat in sacrificium ex legis ritu, homicidii apud me reus est? Alia

via *Loch* rem expedire studet : ut ostendat vates cultum divinum peragi a Iudaeis impie more gentilium, opponi singulis generibus sacrificiorum legitimorum singula genera litationum abominandarum gentium ; ita holocausto sacrificium humanum quod Moloch cremabatur (Ier. 32, 35); sacrificio propitiatorio immolationem canis in honorem Typhonis factam ; ferto sanguinem suillum Cereri aliisque diis oblatum, memoriali de sacrificio (Lev. 2, 9) cremationem thuris in honorem idolorum (Ez. 23, 38) — at ea quoque sententia nimis dura est ; nunquam enim fieri potest, ut actio illa qua quis sacrificium lege praescriptum peragit in eodem ordine ac censu habeatur cum actione, qua hominem in idolorum honorem occidat etc.

Denique alii verba haec intelligunt de tempore messianico et de abolitione legalium dicta (cf. *S. Hier. Cyr. Sasb. Pint. Lap. Men. Naeg.*). At ne haec quidem explicatio potest consistere ; nam qui tempore messianico thus adoleret Deo ritu mosaico, tamen nullo modo dici posset idola adorare ; vel qui bovem mactaret, non fieret reus homicidii ; praeterea hoc loco de tempore messianico quo legalia sint abolenda sermonem fieri, is solum dicere potest qui contextu neglecto neque versus antecedentes neque subsequentes (praesertim v. 4. 5) attenderit. Quare omnino dici debet id quod textus hebr. omissa particula comparationis indicat, non inter se comparari actionem sacrificalem et homicidium, neque actiones a lege praescriptas hic tanto horrore reiici et tanta detestatione et odio inuri (*Kn. Del.*), verum reprehendi a Deo, quod simul cum ritibus legalibus et scelera et idololatriam exercent. Id plane indicatur ultimis verbis versus, quae *For.* ita explicat : « homicidae plane sunt et canes et sues immolant et vim inferre aliis felicitatem ducunt et istae universae abominationes illis placent ».

Tanta scelera poena sequitur necessario. Nexus effertur in hebr. *ut illi elegerunt vias suas et in abominationibus suis anima eorum sibi complacet, ita ego eligam vexationes eorum* etc. Eundem nexum fere habes in lat. v. 4 « *unde et ego eligam illusiones eorum et quae timebant adducam eis, quia vocavi et non erat qui responderet, locutus sum et non audierunt, feceruntque malum in oculis meis et quae nolui elegerunt* » ; — nervose dicitur : *uti illi elegerunt, ita ego quoque eligam* i. e. quanto studio illi ad idola et malum currunt, tanto Deus illis miserias et tribulationes quibus vexentur exquiret et *terrores* (hebr.) i. e. tales vitae conditiones quae sint horrori et terrori ; cf. Prov. 1, 26 ; 10, 24. Iob 3, 25. Et culpa eorum multum augetur quia non peccarunt ex ignorantia vel inadvertentia, sed quamvis continuo admoniti et de lege Dei edocti et eruditi per prophetas qui legem Dei et voluntatem continuo auribus ingerebant ; cf. 50, 2 ; 65, 12. Eadem ratione ex continua missione prophetarum Deus culpam populi reprehendit auctam Ier. 7, 13. 25 ; 11, 7 ; 25, 4 ; 26, 5 ; 29, 19 ; 35, 14 ; 44, 4. Os. 6, 5. Am. 2, 11 etc.

b) **Deus in iudicio condet regnum suum 66, 5-9.**

Iam explicatur quomodo Deus ex v. 2 oculos intentet in pios et afflictos. In castigatione impiis denuntiata aliquid solatii pro piis adest, quia ex norma prophetica impiis deiectis et punitis salus et beatitas efflorescit. Prius pios ludibriis impiorum exponi multumque vexari dicitur v. 5 « *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius : dixerunt fratres vestri odientes vos et abiicientes propter nomen meum : glorificetur Dominus et videbimus in laetitia vestra ! ipsi autem confundentur* » ! — illos quos Deus benigne et amanter respicit ac complectitur v. 2, Iudaei apostatae odio et ludibrio habent propter nomen Iahve i. e. quia Dominum colunt et servi eius et vocari et esse volunt fide et fiducia ei addicti, eos a se repellunt, excludunt suoque aditu et congressu arcent quasi homines maledictioni devotos. Eos dicteriis insequuntur blasphemis verba prophetica vertentes in ludibria : utique, evadat tandem aliquando Dominus gloriosus, ut videre possimus laetitiam vestram eaque perfrui et delectari ! Multa vates de gloria Domini, de piorum felicitate dixerat; sed cum oracula non statim opere impleantur, iisdem Deum blasphemant piosque irrident, uti supra 5, 19 et 28, 10. Eadem sorte suos usuros esse apud impios Christus iisdem fere verbis praedicit Matth. 5, 10. 11 ; 24, 9. Luc. 6, 22. Ioan. 16, 2 etc. Irrisioni et blasphemiae respondet vates brevi omnium malorum compendio : *confundentur*, laeta impiorum spes et illusio acerbissimum habebit exitum ; certissimum oraculorum et minarum eventum affirmat (cf. 48, 22 ; 50, 11 ; 56, 9 ; 57, 21 ; 65, 14 et ex parte priore 1, 29 ; 2, 11 seq. 3, 11 ; 5, 25 etc.).

Secundum accentus *mas.* iungitur : propter nomen meum gloriosus erit Iahve ; ita connectunt nonnulli Hebraei, ut *For.* dicit, et *Ros. Stier, Hahn;* sed iure iam advertit *For.* hanc coniunctionem non esse ad rem ; quare fere omnes explicant et iungunt sicut *vulg.* — Aliter sententiam hanc efferunt LXX : dicite fratribus vestris qui oderunt vos et abominantur ut nomen glorificetur Domini et appareat in laetitia eorum, et illi confundentur ; ita apud *S. Hier.* ; alias legitur εἴπατε, ἀδελφοὶ ἡμῶν, τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς ; reliqui, *Syrus, Aq. Sym. Theod. Chald.* concordant cum textu hebr. — De verbo נִדָּה cf. Am. 6, 3 ; habet in lingua seriore notionem excommunicandi (excommunicatione inter tres species levissima ; cf. *Buxtorf*, lex. chald. p. 1303) ; cf. ἀφορίζειν Luc. 6, 22. Cur punctatores accentus ita posuerint, ut *propter nomen Iahve* ad sequentia referatur, ratio est satis perspicua ; nolebant enim dici aliquando quosdam propter nomen Domini esse excommunicatione punitos. Ex similibus rationibus enim textum esse emendatum et mutatum satis probabile videtur ; fuse de ea re agit sed longius progreditur *Geiger,* Urschrift p. 93 seq. 308. 345 seq.

« Quomodo confundendi sint, quam cito, quam graviter, novo dicendi genere declarat quo maxime significatur perturbatio atque confusio ex insperato inimicorum appulsu » (*Sanct.*) v. 6 « *vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis* » ; — iam mente et animo percipit vates tonitru iudicii divini appropinquantis ; describit primo strepitum et tumultum qui ex urbe longe lateque personat ; hebr. *vox tumultus ex urbe* ; dein accuratius strepitum proficisci ex templo, Domini habitaculo ; proinde Dominum iam indicare tonitru quae est vox Domini (cf. Ps. 28, 3-10) iudicium appropinquans, uti fit in Ps. 17, 8-10 et Ioel 3, 16 : Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem suam, Am. 1, 2. Ier. 25, 30. Ex Ierusalem, ex templo, ex theocratiae sede iudicium devolvetur in inimicos ; fit etenim ad fundandum et stabiliendum regnum Dei et inimicis deiectis theocratia novo splendore fulgebit, uti constanter oraculis prophetae exhibetur (cf. ad cap. 24; 42, 13; 51, 9; 59, 17; 63, 3 etc.). Iudicio breviter hoc loco indicato (— accuratius idem prosequitur vates a v. 15 —) ad solamen piorum et ad confusionem impiorum affirmandam statim transit vates ad iudicii effectum et fructum : nam Sion in iudicio redimetur.

Iudicio enim constituitur salus, constituitur nova theocratia, novus Dei populus, quem Sion mater subito edet : v. 7 « *antequam parturiret, peperit*; *antequam veniret partus eius, peperit masculum ;* v. 8 *quis audivit unquam tale et quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos* »? — ex verbis ultimis statim apparet Sionem esse parientem et partum illum vel masculum esse gentem integram, esse filios Sionis plurimos, uti iam ipso loquendi modo ex 54, 1-10 et 49, 18-24 et 60, 3-16 indicatur. Quod dicitur *antequam parturiret... antequam veniret ei dolor* (partus scil. hebr.), describit modum repentinum, supernaturalem, laetum, quo nova theocratia, novus Dei populus in lucem effunditur. Rem esse stupendam et omni admiratione dignam in v. 8 explicatur. Theocratia quidem nova diu est praedicta et diu quoque parvis initiis praeparata, attamen nihilominus debebit subito, inexspectato et statim splendida numero filiorum in lucem prodire. Hunc theocratiae novae partum felicissimum cernunt factum tempore Pentecostes, ubi una S. Petri concione tria hominum millia (Act. 2, 41) et iterum quinque millia (Act. 4, 4) regno Messiae nomen dederunt (*S. Hier. Cyr. Theod. Mald. Osor. Sanct. Pint. Sasb. Lap. Sa, Tir. Bade, Reinke, Troch.*). Aptius in hebr. v. 8 *numquid terra uno die in lucem editur ?* i. e. populus terrae, vel terra aliqua deserta non subito incolis abundat. Miratur vates quot cives novae Sionis repente exsistant. Hic partus igitur erit novum

illud quod Dominus patraturus est, quod vates a fortitudine brachii Domini efflagitat; in eo restauratio Sionis habetur (cf. 42, 9; 43, 19; 51, 9; 52, 10; 54, 11; 59, 16; 61, 4; 62, 6. 7; 64, 1).

Et ne quis operis magnitudinem admiratus dubitet, respondet Deus v. 9 « *numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus; si ego qui generationem ceteris tribuo sterilis ero? ait Dominus Deus tuus* »; — partus ille est opus Dei ad quod efficiendum Deo potestas non deest; « cum enim ipse rebus aliis dederit vim facultatemque gignendi, quomodo ipsi non facile erit tot filios gignere » (*Sanct.*)? Declaratur ergo Deus auctor et parens populi theocratici [1], sunt geniti a Deo, filii Dei, uti populus Israel filius Dei appellatur; « ego enim populum istum spiritu meo genui, neque fieri potest, ut quod ego verbo meo procreandum suscipio, ullum casum subeat quo minus ad effectum perveniat et luce perfruatur » (*Osor.*). Si impletionem spectamus in Ecclesia Christi, vero aliquo sensu adest nativitas ex Deo; « dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui non ex voluntate carnis,... sed ex Deo nati sunt » (Ioan. 1, 13) et: oportet nasci denuo et hanc regenerationem fieri ex aqua et Spiritu sancto (Ioan. 3, 4. 7), ad quam doctrinam compara 44, 3: effundam aquas... effundam spiritum meum, et quod habetur praeprimis Ez. 36, 25. 29. Iam sensu quodam sublimiore in nova theocratia dici filios Dei, dici eos gigni a Deo, quam in vetere (Ex. 4, 22. Deut. 32, 18. Is. 1, 2), ex habitudine utriusque foederis facile colligitur.

Hebr. communiter vertunt recentiores: *num ego uterum perrumpam* (perducerem ad partum) *et parere non sinam? num ego qui parere facio occludam* (uterum)? quaestio est quasi mirantis: num medio in consilio exsequendo sistam? num illud ipsum quod ego institui et ad effectum perducere coepi reprimam et cohibebo? Deus est fidelis et constans; opus quod promisit efficiet; Sioni ergo talem concedet partum et eum ad exitum felicem perducet. Qua explicatione illud quod de

1. Ad quae verba haec notat *Lap.*: « doctores scholastici a pari hinc probant fecunditatem naturalem in Deo esse immensam et efficacissimam, scil. Deum Patrem ab aeterno posse et de facto generare Verbum sibi consubstantiale et aequale; quia ipse facit ut homo hominem sibi consubstantialem et in natura aequalem generet ipseque omnibus generantibus et parientibus tribuit vim generandi et pariendi; quidni enim qui facit alios naturaliter parere, ipse naturaliter pariat, id est generet filium sibi homoousion? Verum *hoc non intendit hic* propheta, ut patet ex dictis ». Recentiores quidam tamen censent non solum redemptionem, verum etiam aeternam Verbi generationem eiusque Incarnationem, immo ex virgine nativitatem quoque in textu secundum sensum *profundiorem* (?) explicato contineri; cf. *Heinrich*, Dogmatische Theologie, IV p. 91. *S. Ephr.* ad verba v. 9 notat: « ego promisi reditum post septuaginta annos; num (promissum) adimplere non potero » ? ergo *parere* explicat de impletione promissionis datae.

nativitate ex Deo in textu lat. habetur non adeo clare effertur. Sed textus hebr. etiam verti potest hunc in modum : *num ego perducam ad partum et ipse non gignam? num ego qui gignens sum cohibebo?* i. e. num qui aliorum infantes ad lucem educo ipse non gignam filios ? num ego dum gignere filios statui me cohibebo, ita ut non potius ingentem filiorum numerum edam ? Qua acceptione et filii Sionis tamquam a Deo geniti designantur et ratio habetur cur maximo numero exsistant. Textum autem hebr. ita verti posse, ex eo elucet quia ילד in hiphil qua forma h. l. bis adhibetur habet semper significationem gignendi (cf. *Ges.* Thes. p. 595) ; pro notione *parere facere* non afferunt nisi hunc quem prae manibus habemus Isaiae locum (ita *Ges. Fürst, Mühlau et Volck*). Sed nulla est ratio qua a consueta notione verbi recedere cogimur. Significatio enim alias usitata et frequenter adhibita[1] etiam hoc loco optimum dat sensum, et ni fallor, meliorem uberioremque quam ille est in explicatione apud recentiores communi. Neque ab hac versione recedendum erit propter 37, 3 ; nam hic locus ad nostrum non est plane similis. Si autem obieceris ad *gignendum* non satis convenire id quod supra dictum est de *nativitate* ex Deo, te mitto ad 1 Ioan. 3, 9 : quoniam semen ipsius (Dei) in eo manet qui scil. ex Deo natus est.

Apud LXX in v. 9 ita legitur : ego autem dedi exspectationem hanc et non recordata es mei, dicit Dominus ; nonne ego parientem et sterilem feci (*S. Hier.*) ? prius membrum eo explicatur quod pro שֶׁבֶר legerunt שֵׂבֶר cum *sin* quae vox significat *exspectare ;* unde reliqua orta sint, difficile est dictu. *Syrus* in membro priore sequitur eundem sensum quem LXX exprimunt : ego dedi exspectationem hanc (סוכיא) ; in reliquis textum hebr. fideliter exprimit ; אוליד et הַמּוֹלִיד vertit per aphel eiusdem verbi ילד ; hoc verbum hac forma elatum plerumque habet significationem *genuit, generavit, procreavit liberos ;* sed etiam pro uno alterove loco affertur notio : *peperit* mulier, *obstetricavit* (Ex. 1, 16), *producere fecit* (Is. 55, 10), *effecit, produxit*; cf. Thesaurus syriacus ed. *Payne Smith* p. 1594 ; unde ex usu quoque syriaco versio quam proposui commendatur *ipse non gignam*? Ex hexaplis haec servata sunt : *Aq.* in membro priore idem effert quod LXX et *Syrus* : μήτι ἐγὼ προςδοκίαν δώσω ; dein pergit καὶ οὐκ ἐκτοκεύσω ; pro quo membro *Sym.* habet ἐκτοκίσω, qui prius ita refert μὴ ἐγὼ ὁ καθίζων ἐπὶ τὸ τεκεῖν. Idem verbum ἐκτοκίζειν adhibet *Sym.* Ps. 29, 8 pro hebr. יָחִיל bis, quae vox ἐκτοκίζειν in cod. syr. hex. redditur per aphel verbi ילד (cf. *Field,* Hexapl. II p. 129. 564) ; ceterum ἐκτοκίζειν etiam adhibetur apud LXX Deut. 23, 20 : ne sumas fenus a fratre tuo. — In ultimo membro praebet *Sym.* ἢ ἐγὼ ὁ συνεκτοκίζων καὶ συνέξω ; Videtur igitur *S. Hier.* vertens *pariam* secutus esse versionem *Aq.* et *Sym.* ; in altero membro eandem verbi hebr. formam reddidit *generationem ceteris tribuo.* Asserit *S. Hier.* etiam reliquos interpretes textui hebr.

---

1. Nota significationem *adiuvare ad partum, parere facere* exprimi ter forma piel : Gen. 35 17 ; 38, 28. Ex. 1, 16 ; ita obstetrix vocatur מְיַלֶּדֶת

congruere. Quomodo ipse intellexerit *pariam*, elucet ex paraphrasi : « quod scil. qui omnes homines creavit ex nihilo possit de universis gentibus unam partem in se credentium Ecclesiam facere » et comparat Ps. 39, 9 : qui plantavit aurem non audiet et qui finxit oculum, non considerat ? Etiam Ps. 29, 8 in hebr. scriptum esse asserit : vox Domini parere faciens desertum ; ubi igitur יָחִיל intellexit simili modo uti *Sym.* (sed recte in *vulg.* eo loco : concutiens desertum). *Chald.* verba ea liberiore paraphrasi exhibet : ego Dominus creavi mundum a principio... ego creavi omnes homines ; ego dispersi eos inter populos, ego quoque congregaturus sum captivitatem tuam.

c) Piorum impiorumque sortes diversae 66, 10-18.

Cum igitur Deus veterem theocratiam potentia sua creatrice ad tam nobilem innovationem sit transmutaturus, iis omnibus maxima laetitia est exsultandum qui causam regni Dei cordi habent ; unde v. 10 « *Laetamini cum Ierusalem et exsultate in ea omnes qui diligitis eam ; gaudete cum ea gaudio universi qui lugetis super eam* » ! — eos alloquitur quibus conditio regni Dei cordi est, qui de eius statu florenti gaudent eumque omnibus expetunt votis, sed de eius conditione afflicta, de vexatione populi Dei, de cultu divino neglecto, de improbitate aliorum dolore afficiuntur ; lugentibus enim in Sion salus et beatitas promittitur ; vide ad 61, 2. 3. Iam bonorum abundantia promissa omnes invitantur, ut causam regni Dei summis votis prosequantur : v. 11 « *ut sugatis et repleamini ab ubere consolatianis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius* » ; — hebr. *ex ubere consolationum eius, ut cum voluptate hauriatis et deliciis affluatis ex plenitudine* [1] *gloriae eius* ; quo magis atque intimius adhaerent theocratiae, eo maiore copia consolationum divinarum erunt participes ; in ea enim Deus opes suae dulcedinis reposuit, ita ut Sion (theocratia) mater sit, de cuius divitiis et gloria filii quo plus matrem diligunt eo uberiore copia accipiunt (cf. 49, 23 ; 51, 3 ; 60, 16 ; 61, 3).

Et ne promissio videatur maior et uberior quam ut fieri possit, affirmat Deus et confirmat eam v. 12 « *quia haec dicit Dominus : ecce ego de-*

---

1. Vocem זִיז denotare *plenitudinem*, *abundantiam* ex assyriaco *zâzu* concludit *Delitzsch*, Prolegg. p. 67. Eadem vox Ps. 50, **11** (hebr.) vertitur in textu gracco ὡραιότης *pulchritudo* agri mecum est, et Ps. 80, **14** μόνιος *singularis* ferus depastus est eam. Etiam hisce locis probabiliter notio plenitudinis retineri potest, eo scil. sensu quo alias dicitur v. g : Domini est terra et plenitudo eius i. e. omnia quae terram implent, ita ut bestiae poetice dicantur *plenitudo campi*. Alii זִיז explicant ex notione crebro se motandi in hanc vel illam partem ; vel etiam pro nostro loco significationem *uberis* (cf. Zitze) vel *ubertatis lactis* (*Ges. Luzzatto, Cheyne*) statuunt. — De voce assyriaca vide *Strassmaier* S. I. Verzeichniss der akk ass. W. n. 2819.

clinabo super eam quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis; ad ubera portabimini et super genua blandientur vobis »; — hebr. *declinabo ad eam instar fluminis pacem* i. e. concedet et donabit Sioni pacem abundantissimam; ergo copiam bonorum messianicorum, quorum summa est pax; ad eam accedit gloria gentium i. e. opes, divitiae gentium; hisce duobus, pace (cf. 9, 7; 32, 17; 48, 18; 52, 7; 53, 5; 54, 10; 57, 19; 60, 17) et divitiis gentium quae regno Dei inserviant (49, 23; 60, 4 seq. 61, 6) quasi utroque genere bonorum et spiritualium et externorum splendor regni Dei effertur. Hebr. *super latus,* ad latus *portabimini;* vide ad 14, 2 et 49, 22 et 60, 4; gentes promptissimae erunt ad servitia filiis Sion praestanda. Haec promptitudo et emolumenta inde provenientia describuntur iucunda imagine: tale erit gentium studium et materna in filios Sion indulgentia, ut non aliter eos accipiant ac matres teneros infantes solent fovere in sinu, blandiri in gremio, super genibus demulcere (cf. *Sanct.*).

Hisce autem bonis accedit tamquam culmen Dei benevolentissimi amor tenerrimus, cuius exhibitione summam delectationem percipient v. 13 « *quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos et in Ierusalem consolabimini;* v. 14 *videbitis et gaudebit cor vestrum et ossa vestra quasi herba germinabunt; et cognoscetur manus Domini servis eius et indignabitur inimicis suis* »; — cf. 49, 15. Apoc. 21, 4. Hebr. eodem modo verte sicut LXX quoque ὡς εἴ τινα μήτηρ παρακαλέσει. Alii vocem אִישׁ efferentes explicant: ut *virum* quem consolatur mater, ita ego vos consolabor i. e. vel populum iam non cogitari infantem, sed virum ex exsilio reducem, robustum, sed aut malorum recordatione aut timore periculorum laborumque afflictum; vel matris consolationem eo potentiorem videri quia iam non infantem vel filiolum gaudio afficiat, sed filium adultum, virum qui non tam facile in aerumnis consolationem percipiat. At haec subtiliora esse videntur; neque placet imago matris virum leniter ac blande tractantis et demulcentis atque solantis. Amor enim tenerrimus matris cernitur in filiolos, et amorem tenerrinum matris exemplo Dominus delineare vult, ut bene notat *S. Hier.*: « misericordiam creatoris in creaturas suas exemplo matrum discimus, quae liberos in sinu nutrientes omnem superant caritatem » et *Sanct.*: « est autem in Scriptura frequens, ut cum molle aliquid et tenerum significare vult metaphoram sumat a matribus, quarum in teneram prolem impensior est et mollior indulgentia. Hanc autem consolationem Dei in una theocratia dari denuo asseritur: *et in Ierusalem consolatione afficiemini* (hebr.); *consolabimini* in *vulg.* intellige, uti saepius, sensu passivo (cf. *Kaulen,* Handbuch z. Vulg. p. 163-165). Proinde, uti 2, 3 populi ad Deum Iacob accedere dicuntur et 4, 3 omnis in vita scribitur in Ierusa-

lem, ita 44, 5 et hoc loco in regno Dei cui unusquisque nomen dare debet salutem reponi declaratur et unumquemque ad illam accedere debere familiam indicatur in qua Deus se manifestaverit.

Hac consolationum abundantia et animi gaudio et laetitia recreabuntur et ipsa quoque corpora ex illa redundantia novo vigore perfundentur, uti alias animorum afflictione et moestitia etiam corpora molestiam sentiunt. Comparatione effertur vita corporis laeta, vigore et sanitate vegeta, tuta ab infirmitate et tabe. Israelitas in exsilio tabescentes ossibus aridis conferri Ezechieli in visione ostensum est ; unde reditus in patriam et theocratiae instauratae splendor imagine a re contraria apte illustratur. Uti consolatio illa divina et pax fluvii instar et animorum laetitia demum habebitur perfectione absoluta in regni Dei consummatione in patria coelesti, ad quam theocratia terrestris sua vi et natura tendit, ita verissime ossa instar herbae florebunt in resurrectione mortuorum beata, ad quam verba haec ultimatim referunt *S. Hier. Cyr. Theod. S. Augustinus* (Civ. D. 20, 21) *Sasb. Sa,* ceterum vide ad 58, 11 et 65, 20-23. Bene notant *For. Pint. Mald.* aliique, uti dicatur a sapiente : spiritus tristis exsiccat ossa (Prov. 17, 22), sic iure spiritum laetum ossa efficere viridia et florida et quasi revirescere et reviviscere. Bona vero ea animi et corporis ita erunt conspicua, ut *manus Domini cognoscatur in servis suis* i. e. omnibus poterit innotescere, quanta potentia et benignitate Deus suos protegat et donis cumulet. Si prior conditio theocratiae cum hac instauratione comparetur, omnes fateri debebunt : haec mutatio dexterae excelsi ; pii enim hanc benignissimam Dei potentiam in se experientur — nota erit manus Domini timentibus eum, LXX — « manus autem pro potentia accipitur, quod possit Deus omnia facere quae promittit » (*S. Hier.*). Sed dum pii ea ratione noscuntur apud gentes (cf. 61, 9), ira Dei pariter innotescet in adversarios suos, quos indignatione et iudicio persequetur. Ita redit sermo ad iudicium in v. 6 indicatum.

Iam Dei iudicis indignatio describitur v. 15 « *quia ecce Dominus in igne veniet et quasi turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis;* v. 16 *quia in igne Dominus diiudicabit et in gladio suo ad omnem carnem et multiplicabuntur interfecti a Domino* » ; — symbolice iudicium igne et turbine declaratur; cf. 10, 17 ; 29, 6; 30, 27. 30 ; 42, 15. Ps. 17, 9 ; 96, 3 etc. idque apte, ut omnia deiectum iri et abreptum neque quemquam obsistere posse significetur. Hoc schemate autem Deum venturum esse ad iudicium de inimicis capiendum eo aptius oculis animisque proponitur, quia Dominus igne et tempestate in Aegyptios animadvertit, in igne et turbine ad montem Sinai descendit legemque suam promul-

gavit; vide ad 64, 1 et ad Hab. 3, 6 seq. Mich. 1, 3. In turbine, ut notat *Sanct.*, designatur celeritas et impetus, in igne acerbitas et cruciatus. Ad bellatorem vel imperatorem exercitus describendum inserviunt *quadrigae* (cf. 59, 17; 5, 28), quibus non solum venti et nubes intelliguntur (cf. Ps. 103, 3. Hab. 3, 8) verum simul declaratur Deum Dominum exercituum agminumque omnium etiam copias mittere nationum per quas iudicia sua contra rebelles exsequatur. Tamquam Dei milites exhibentur apud prophetas exercitus gentium quos mittit ad contumaces puniendos (cf. 5, 26; 7, 17; 10, 5; 13, 3 etc.). Ita Cyrus quoque in nationes advertere dicitur (45, 1 seq.) Ultionis divinae instrumenta ignis et gladius assignantur v. 16, quibus totum genus humanum ita diiudicabitur, ut adversariorum pereuntium numerus magnus sit futurus. Norma iudicii proponitur in universum sicuti moris est prophetarum; ita scil. Deus in hostes suos iam animadvertit et simili modo in posterum animadvertet; « haec communiter ad omnes hostes spectant in quos Dei gravis futura dicitur indignatio » (*Sanct.*), sed ita efferuntur, ut « ad quodlibet tempus sive iudaicum, sive evangelicum, sive saeculorum omnium extremum non difficile accommodes » (*Sanct.*). Sed id tamen speciatim hoc loco ex ipso contextu et serie rerum indicatur (cf. v. 6-8) simul cum partu illo mirabili novi populi Dei coniunctum esse iudicium in contumaces Dei adversarios, et praesertim in eos qui propter nomen Domini pios Dei servos insectentur et a sua societate et communione eiiciant (v. 5). Quare impletione rerum spectata haec omnia in ultimo urbis Ierusalem excidio per Romanos facto accurate per singula accidisse cernimus; erat scil. tremendum iudicium a Christo praedictum, ingruit fundata nova theocratia, ingruit postquam denuo per quadraginta fere annos populus olim electus vocem Domini et legatorum eius audierat: hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra (cf. Hebr. 4, 7 seq.) et postquam illi rebelles et increduli audire et obsequi minime voluerunt (cf. v. 4), ingruit iudicium revera in igne et gladio et magnus erat numerus interfectorum *a Domino;* ipse enim Titus rem et eventum ad numen divinum retulisse dicitur. Unde normam quam h. l. statuit propheta peculiari ratione in eo eventu impletam esse iure asserueris. Neque enim de ultimo iudicio primo et per se sermo esse potest, uti statim ex v. 19 patebit; id tamen iis qui hic ultimum iudicium praedici volunt (*S. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Pint. Lap. Gord.*) concedi potest et debet quod iam saepius advertimus et in cap. 13 et 24 cernitur, iudicia particularia quia cum iudicio universali unum Dei iudicium constituunt magnum, ad notionem Dei iudicis in universum exhibendam iis etiam coloribus vestiri qui demum plene non aderunt nisi in consummatione saeculorum. Eo sensu

fere dici potest cum *Mald.* : « depingit terribilem Christi adventum ad iudicium, quamvis haec omnia non ad illud tantum supremum iudicium, sed etiam ad alia quaedam quae saepe fiunt referenda sint » ; sim. *S. Thom. For.* ; etiam cum primo adventu Christi iudicium esse coniunctum praeter alia vide ad Mal. 3, 2. 3 et Matth. 3, 10. 12 ; ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam, et Matth. 10, 34 : non veni pacem mittere sed gladium, Luc. 12, 49 : ignem veni mittere in terram etc.

Qui sint inimici quibus Deus indignatur (v. 14), ex sui temporis conditione propheta describit v. 17 « *qui sanctificabantur et mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam et abominationem et murem, simul consumentur, dicit Dominus* » ; — Israelitae foedifragi et idololatrae qui gentilium ritibus initiati consecrationes illorum et lustrationes obeunt hic simili modo describuntur, quo 1, 29 et 57, 5 seq. 65, 4. 5 et 66, 3 ; qui mysteriis quae dicebantur initiati erant se prae vulgo profano sanctos et diis consecratos existimabant. Hebr. *qui se sanctificant et mundant ad hortos* i. e. lustrationibus sese praeparant ad sacra in hortis vel lucis obeunda ; *post ianuam* referendum erit ad idololatriam et varias superstitiones quae domi fiunt ; sim. ut LXX ἐν προθύροις ; cf. 57, 8. De carne suilla cf. 65, 4 et 66, 3. Dein ut convivae gentilium et in epulis sacrificalibus idolorum variis cibis gentilium i. e. abominationibus polluuntur vescentes cibis ex immundis animalibus paratis (cf. Lev. 11, 12. 13. 20. 23. 41), haec enim שֶׁקֶץ in lege mosaica vocantur. Ad quae etiam pertinet mus (Lev. 11, 29) « quem nos glirem vocamus vel iuxta orientis provincias μυωξούς » (*S. Hier.*) ; glires inter cupedias helluonum recenseri etiam in libris talmudicis asseritur (cf. *Del.*) ; apud Romanos item in honore habitos fuisse, iam *Lap.* et *Sanct.* advertunt locis ex Varrone, Plinio, Martiali prolatis. Arabes quoque iis vesci solebant et solent (cf. Bibellexic. ed. *Schenkel*, IV p. 145). Cum mentio fiat hortorum et carnis suillae, aliqui cultum Adonidis speciali ratione hoc loco efferri censent (ita *de Lagarde*) et ad eum quoque appellationem *unum* in textu hebr. pertinere.

Hebr. kethib אחד אחר *post unum* recentiores plerumque intelligunt de uno illo qui stans in medio sacras peragat lustrationes et quem ceteri imitentur ; vertunt ergo hebr. *qui se sanctificant et mundant pro hortis post unum in medio, unum* intelligentes hierophantem (cf. *Sein. Del. Naeg. Or. Rohl.*) vel choragum seu mystagogum quem procedentem reliqui sequantur in caerimoniis obeundis (*Kn.*). Sed satis mira expressio esse videtur, ut ille *unus* vocetur ! Quare fortasse optimum erit fateri textum esse corruptum nec prostare

subsidium quo sanetur. Neque veteres versiones quidquam lucis afferunt. LXX praebent ἐν προθύροις, eo scil. loco quo interpretationem illorum verborum exspectares ; forte interpres graecus vocem syriacam אתרא *ianua, fores* (Thesaurus syr. ed. *Payne Smith* p. 121) ob oculos habuit; vox quoque chaldaica אַחְדָא *repagulum* forte huc trahi potest ad hanc interpretationem declarandam ; ad eandem referri potest lectio *vulg.* (si est primitivus *vulg.* textus) *post ianuam.* Ex aliis versionibus affert *S. Hier.* : « *Symmachus* et *Theodotio* hunc locum ita interpretati sunt : qui sanctificamini et lustramini in horto alter post alterum inter eos qui comedunt carnem suillam » ; legerunt ergo אֶחָד, et non qeri אחת et בתוך in statu constructo ad sequentia retulerunt. Similiter *Syrus* : alter post alterum, et *Chald.* : turba post turbam. Haec interpretatio saltem sensum aliquem prae se fert, si studium quoddam et quasi aemulationem in ritibus obeundis ibi descriptum cernis vel vim malam mali exempli quo pertrahantur. — Textus iste obscurus varia interpretationum portenta produxit : alii in *uno* idolum quodvis, vel unum illud cernunt quod omnia idola in se comprehendat et quod in medio horto sit positum, uti olim arbor scientiae boni et mali in medio paradiso ; alii verti posse censent *praeter unum* i. e. omnibus se diis vovent praeter unum verum Deum (Deut. 6, 4); alii in voce nomen alicuius dei deprehendunt Hadad, Adad (cf. *Lap. Reinke, Ges. Naeg.*) ; alii *qeri* praeferentes Echatha i. e. Hecate explicant etc. ; alii duas voces ut glossema eiiciunt.

Ipsa lectio *vulg.* primitiva non est plane explorata. Brugensis haec adnotat : « quidam codices pro *post ianuam* legunt *post unam,* Hentenii septem, parisiensium quinque, correcti Lyrani, antiqui Dominicanorum. Epanorthotes dicit antiquiores habere *post ianuam,* satis antiquos *post unam* ; id quod omnino se ita habere ex nostris deprehendimus exemplaribus ». Fortasse lectio illa *post unam* correctio est secundum hebr. qeri, et *S. Hier.* in sua versione forte secutus est LXX ; sed quid ipse verterit ex eius commentario non potest erui. Martianaeus annotavit in emendatis omnibus libris mss. commentariorum *S. Hier.* legi *unam* et non *ianuam* et *unam* etiam edidit Vallarsius. Etiam Lucas brugensis lectionem *unam* tamquam obscuriorem quam scribarum lectorumve temeritas mutaverit praeferendam esse opinatur ; « facilius enim adduci possim ut credam *post unam* variatum fuisse in *post ianuam,* quam e converso ». Sed haec ratio rem non evincit. Si enim considero, *S. Hier.* vertere in suo commentario interpretationem LXX qui sanctificantur et purificantur in hortis et liminibus, facile video cur *post ianuam* iam non censuerit explicandum esse ; sed satis mirum esset, si *post unam* vertisset tanto discrimine a textu graeco et nihil addidisset explicationis. Neque canon ille de lectione obscuriore et difficiliore quem brugensis appellat hoc loco adeo tuto proferri potest. Ex quo enim studia hebraea florere coeperant saeculo decimo quarto et deinceps, etiam apud complures in more poni coeptum est *vulg.* ex textu hebr. corrigere vel saltem adnotare : Hebraei videntur melius dicere (cf. *Kaulen,* Geschichte der Vulgata p. 280 et seq. ; *Cornely,* Introd. I p. 660) ; unde facile fieri potuit, ut ex eiusmodi emendandi studio lectio illa *unam* secundum *qeri* hebr. produceretur.

Eo autem iudicio (v. 15. 16) gloria Dei per orbem terrarum innotescet v. 18 « *ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam* » ; — textus in hebr. videtur esse corruptus; sensus quem *S. Hier.* in commentario declarat contextui omnino consentaneus est : venit ergo Dominus ut opera et cogitationes singulorum iudicet et cum hoc de Iudaeis iudicio simul coniungitur iudicium de gentibus ; eo autem iudicio cognoscetur gloria Dei. Redit igitur norma illa toties promulgata : dies Domini super omne sublime et humiliabitur et exaltabitur Deus solus in die illa (cf. 2, 12) ; uti Iudaei apostatae, ita gentes quoque iudicabuntur, uti vates exposuit cap. 13-27 et 63, 3 ; cf. Ioel 3, 2. 9. Soph. 3, 8. Hoc loco iudicium denuntiari gentibus *Euseb. Mald. Sa, Lap. Men. Tir. Calm. Troch.* recte censent. Est scil. tempus theocratiae novae conditae (v. 7. 8) tempus quoque iudicii non solum pro Iudaeis verum etiam pro gentibus. Dum enim gentibus affertur nuntius regni Dei, etiam pro iis Messias incipit esse in ruinam et resurrectionem, incipit fieri separatio illa de qua Christus loquitur, mittitur gladius ille, de quo Matth. 10, 34, fit discretio bonorum et malorum, electorum et reproborum. Quemadmodum ergo tale iudicium clarissime factum cernimus in natione iudaica a morte Christi usque ad eversionem urbis et templi, ita simile iudicium fit discretionis ac separationis per orbem universum simul cum annuntiatione regni messianici, fit de nationibus integris aeque ac suo modo de singulis hominibus. Hisce autem gloria Dei manifestatur et qui hanc gloriam viderint et agnoverint, omnibus viribus laborabunt ad eam aliis quoque annuntiandam, uti a v. 19 latius proponitur. Ita series rerum cernitur bene cohaerens et suo ordine contexta, quam illi interrumpunt qui hoc iam versu 18 gentium in regnum Dei collectionem primo et per se enuntiari volunt (*S. Cyr. Sanct. For. Malv. Osor. Mar. Schegg, Reinke, Bade*). At cum de operibus et cogitationibus rebellium Iudaeorum sermo instituatur et de iudicio in eos devolvendo et cum alibi quoque simul cum regni Dei fundatione vel ante eius fundationem mentio fiat iudicii in gentibus, illud *venio ut congregem cum omnibus gentibus* certo de iudicio intelligi debet ; fructus vero iudicii exprimitur *et videbunt gloriam meam* ; gloriam iudiciis cognoscent ; in se experientur ; qua sententia iam indicatur hanc gloriae manifestationem iis *posse* esse in salutem ; eam revera multis *fore saluti*, in v. 19 docemur. Quo rerum nexu simul declaratur, in v. 18 non posse esse sermonem de ultimo iudicio, uti aliqui volunt (*S. Hier. Sasb. Pint.*) ; post illud enim iam non erit nova quaedam legatorum Dei in orbem universum missio. Huius rationis pondus sentiens *S. Hier.* rem ita expedire conatur : « iudicii praedicatur dies, immo comminatur, ut metu futurae poenae

recipiant Salvatoris adventum et apostolorum evangelium qui ante mittendi sunt »; at in v. 18 fieri iudicium sicut et in v. 15. 16 dicitur ipsis verbis satis patet et in v. 19 *ex iis qui salvati fuerint* omnino suadetur.

Textus hebr. ita fertur : *et ego opera eorum et cogitationes eorum — veniet ad congregandas omnes gentes et linguas et veniunt et vident gloriam meam ;* qui textus mancus et corruptus esse videtur. Conantur eum quidem explicare vel per modum aposiopeseos : ego — opera eorum et cogitationes eorum ! — instat, ut congregentur.. vel supplentes : ego visitabo, puniam, scio opera eorum. Sed neuter modus explicationis planus est et obvius. Prior enim in hebr. satis inusitatus est nec tanta animi commotio in vate adesse videtur qua explicetur apiosiopesis, cum sententia satis longa et praecedat et sequatur, sermo vero incitatus et commotus brevibus incisis soleat incedere. In altera explanatione id suppletur quod utique a sensu exigitur ; sed ubinam moris est ea quae rem constituunt omittere ? Arbitrarie vertit *Hahn* : vivo ego, non obstantibus eorum operibus fiet ut congregem omnes gentes ; *Hitz.* : quoad me, opera eorum manifesta facta sunt, ita ut congregem... Neque ex versionibus quid remedii sit adhibendum certo erui potest. LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.* in eo conveniunt quod primam personam *ego veniam* exhibent ; ceterum LXX κἀγὼ τὰ ἔργα αὐτῶν καὶ τὸν λογισμὸν αὐτῶν (alia exempl. addunt ἐπίσταμαι, καὶ ἐγὼ ; ita quoque cod. syr. hex. — alia quoque addunt καὶ ἀνταποδώσω αὐτοῖς) ἔρχομαι συναγαγεῖν. *Syrus* quoque : ego novi opera eorum... quando veniam ad congregandum... venient etiam isti ; *Chald.* : et coram me manifesta sunt opera eorum... et congregaturus sum omnes gentes. Priorem sententiae partem ita esse restituendam : *opera eorum scio,* vel melius *visitabo,* puniam, facile ex contextu patet ; in altera parte *colligere* de se non sufficit ; verbum קבץ *colligere* nimis nude ponitur ; ex v. 19 sequitur gentes congregari *ad iudicium,* sed id debebat exprimi in textu, cum קבץ de se hanc notionem minime induat neque de se eam habeat Ez. 22, 19. Hab. 2, 5. Quare illa lectio apud LXX quae in aliquibus exempl. adest καὶ ἀνταποδώσω textum rite supplet et ad llum modum textus erit restituendus, ut habeatur sensus et antecedentibus et consequentibus cohaerens.

d) Plena est omnis terra gloria Domini 66, 19-24.

Qui salvi evadunt ex iudicio Dei gloriam universis populis annuntiant v. 19 « *Et ponam in eis signum et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam et annuntiabunt gloriam meam gentibus* » ; — *signum ponere in* dicitur Ex. 10, 2 et Ps. 78, 43 de miraculis quae Deus in Aegypto patravit et Ps. 105, 27 de verbis signorum quae posuit in Moyse et Aaron ; unde hoc quoque loco explicandum erit de miraculis

quae Deus patraturus sit in eis et inter eos. Sicut igitur Deus veterem theocratiam miraculis vestitam et insignitam introduxit et tamquam suum opus declaravit, ita nova quoque theocratia iis divinis documentis et testimoniis non carebit. Et cum ex iis in quibus ponit signum mittendi sint ad gloriam Dei praedicandam iis qui Deum eousque ignoraverint, iuremerito speciali quodam modo sententiam explicabimus de miraculis quibus Deus legatos suos et nuntios coram gentibus in evangelii praedicatione insignivit ac adiuvit eorum auctoritatem et missionem divinitus factam declarans atque confirmans. Unde optime explicare videntur illi qui signum hoc spectata impletione accipiunt de charismatis quibus Deus praesertim in initio praedicationem evangelii adiuvit (cf. *S. Cyr. Mald. Men. Calm. Bade*). Tali signo et attestatione divina signati (*Pint.*) mittuntur *ex iis qui evaserunt* (hebr.) scil. qui ex iudicio illo v. 15 seq. servati sunt in orbem universum : *ad gentes in Tharsis* (hebr.) ad gentes quae sunt in extremis partibus occidentis vel ad gentes occidentem versus; de Tharsis cf. 23, 1 ; 60, 9. Ion. 1, 3; deinde *in Phul et Lud, ad tendentes arcum* (hebr.) ; Phul alibi non occurrit ; videtur nomen corruptum pro פוט Phut, uti LXX habent Φούδ ; de qua regione vide quae ad Nah. 3, 9 pluribus adnotavi ; esse oram maritimam cui hodie Somali est nomen censent haud pauci. Duo haec nomina etiam iunguntur Ier. 46, 9 et Ez. 27, 10 ; 30, 5. Gen. 10, 13 Ludim referuntur ad Aegyptios ; sed v. 22 Lud etiam vocatur unus ex filiis Sem ; in hieroglyphicis Lutu nomen est Aegyptiorum (cf. *Ebers*, Aegypten und d. B. Mos. p. 91 seq.) ; sed cum Lud l. c. inter copias auxiliares Aegyptiorum recenseatur et nostro quoque loco nationes non adeo notae enumerentur, valde dubium videtur, num Lud nomen sit Aegyptiorum. Porro mittentur *ad Thubal et Iavan* (hebr.) ; Thubal communiter intelligunt de Tibarenis qui ad Ponti euxini litus australe orientem versus in vicinia Moschorum (unde nomen cum מֶשֶׁךְ iunctum apparet Gen. 10, 2. Ez. 27, 13; 38, 2. 3; 39, 1) sedes habent (cf. *Ges.* Thes. p. 1491 ; Bibellex. ed. *Schenkel*, V p. 525). *Iavan* sunt Iones (Ἰάϝονες) vel Graeci [1]; cf. Gen. 10, 2. 4. Uti ipsis nominibus iam indicatur longinquis et parum notis nationibus gloriam Dei annuntiatum iri, ita commemoratis in fine *insulis remotis* nulli alii fines praedicationi assignantur nisi ipsi fines orbis terrarum. Unde ipsa enumeratione et peregrinis nominibus regnum Dei universale omnes gentes complectens optime describitur. Delineatur itaque verbis propheticis campus ille vastissimus et ager immensus in

1. Aristophanes (Acharn. v. 104) ad Graecos designandos adhibet Ἰάων ; adnotat scholiastes : πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν. (cf. *Sein.*).

quo excolendo Ecclesia Christi continuo laborat et laborabit usque ad consummationem saeculorum. Posuit in ea Deus signum ; adstat conspicua omnibus quasi mons elevatus (2, 2), in ea implentur vaticinia, in ea nunquam non adest sanctitas, adsunt charismata ; in ea demum sola exhibetur radix Iesse in signum populorum, proponitur et invicte propugnatur *divinus* Salvator qui gentibus adorandus exhibetur (cf. 11, 10). — Ad ultima verba cf. 52, 15.

Quale signum Deus ponat, varie explicant. Alii id ad ipsum iudicium referunt vel signum eo contineri volunt quod aliqui evadant (*Sein.*). At iudicium in v. 18 ita absolvitur, ut ultimo membro iam fructus iudicii declaretur ; idcirco signum in v. 19 non potest esse iterum ipsum iudicium neque fructus ille, sed progressu orationis exigitur, ut aliquid post iudicium futurum declaretur. In ipsa missione signum constitui censet *Del.* ; in conversione gentium *Reinke* ; at prius est arbitrarium, cum ponere signum et mittere, uti in se sunt distincta, ita quoque explicite recenseantur ; alterum plane gratuito asseritur, cum ponere signum et mittere exhibeantur tamquam subsidia ad gentium conversionem efficiendam. Alii signum explicant de cruce, quam christiani gerunt, frontibus imprimunt, religionem confitentur (cf. *Theod. Sa, Malv. Lap. Tir. Gord. Rohl.*) ; idem videtur cum *S. Ephr. S. Hier.* intelligere cum dicat : « ponet in eis signum quod in Ezechielis principio sub *thau* literae hebraicae interpretatione monstratur (Ez. 9), quo signo qui fuerit impressus manus percutientis effugiet ; hoc et postes domorum in Aegypto signabantur... hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit sive in nostris frontibus posuit, ut libere diceremus : signatum est super nos lumen vultus tui ». Sed haec acceptio est nimis arcta. Alii Deum in modum imperatoris signum erecturum esse militare, vexillum volunt et undecumque delectus habere militares (*Sanct. Calm.*) ; at tunc adhibuisset propheta ut alibi נס 5, 26 ; 13, 1 ; neque quae sequuntur de bellico apparatu sermonem induci ulla ratione suadent. Aliis placet signum ponere ita accipere ut Deus dicatur illos quasi signo inusto reddere notos et ab aliis discernere ; id quod *Sasb.* de malis h. l. dici, *Calm.* de bonis et electis vult accipi. Demum *S. Thom.* in signo edictum Cyri (Esdr. 1, 1) declarari opinatur. Habes igitur explicationes sat varias ; sed illam quam proposui et verbis ipsis maxime inhaerentem et contextui plane consentaneam et ipsa impletione commendatam prae reliquis censeo.

De nominibus ita disserit ad h. l. *S. Hier.* : « Tharsis lingua hebr. mare appellatur et (ut aiunt) Indiae regio, licet Iosephus litera commutata Tarsum putet nuncupari pro Tharsis urbem Ciliciae, ad quam Ionas de Ioppe fugiens ire cupiebat. Phud autem sive Phul, Libyes omnisque Africa usque ad mare Mauritaniae in qua fluvius hodie qui Phud dicitur et cuncta circa eam regio Phutensis appellatur. Lud autem Lydos vocant quorum coloni Hetrusci qui nunc Thusci appellantur quondam mittendarum sagittarum peritissimi ; pro quo in hebr. legitur *mosche ceseth* quod absque Septuaginta omnes similiter transtulerunt

tendentes arcum, et Septuaginta posuerunt μεσὸχ nomen pro verbo interpretantes; quod si accipiatur Cappadocas significat quorum metropolis Mazaca... Thubal autem sive Thobel aut Italia interpretatur aut Iberia, hoc est Hispania ab Ibero flumine, unde et hodie Hispaniarum regio appellatur Celtiberia.... Graeci autem qui sermone hebr. appellantur Iavan, Ionas significant, unde et graece Iones et mare ionium. Et hoc considerandum quod maxime orientales de Iaphet posuerit nationes uno filiorum Noe, licet in Tharsis et Phud Sem quoque et Cham, id est Indiae et Africae nominum fuerit recordatus, ut totum orbem ostenderet ». Haec simul demonstrant quomodo s. doctor versionem suam intelligi voluerit.

Qui hebr. פּוּל retinent, insulam cui nomen Philae intelligunt in Nilo superiore positam quam secundum Strabonem (17, 1, 49) Aethiopes et Aegyptii communiter incolunt (cf. *Del.*); *Knobel* (Voelkertafel p. 94) proposuit *Apuliam*, Italiam inferiorem, quam Iudaei medii aevi פּוּל appellabant; sed ex medio aevo usque ad Isaiae tempora conclusio vel illatio non valet. Mendum in textu hebr. satis antiquum est, cum etiam *Syrus* legat Phul; *Chald.* praebet פִּילָאֵי quam vocem *Bochartus* explicat de incolis Philarum insulae, aliis id negantibus vel saltem dubitantibus, cum nomen aegyptiacum sit *Pilak* (cf. *Merx* in Bibellex. ed. *Schenkel*, IV p. 581). — Ex iis quae de *Lud* feruntur sententiis unam addam quam *Movers*, *de Goeje* et alii proposuerunt: intelligi gentem magnam Berberorum, Lewata, apud Byzantinos Λευάθας appellatos unde לוּדִים pronuntiari deberi Lewadim; sed res satis dubia est quia ante saeculum 6 p. Ch. nullum exstat de gente hac Lewata testimonium (cf. Bibellex l. c. p. 64; *Riehm*, Handwoerterb. s. Lud). Alii Lydos non posse intelligi ideo censent quia Lydi imbelles fuerint et molles, bella sua per milites mercede conductos gesserint et Lydi teste Herodoto (1, 79; 7, 74) equites lanceis pugnaverint. Sed teste Herodoto eodem (1, 155) Lydi ante Cyri tempora erant fortes et bellicosi, et uno genere armorum commemorato alia certe non excluduntur. In hac autem Isaiae enumeratione id praecipue spectari videtur, ut gloriam Dei *omnibus* annuntiari dicatur, quare non necessario sequitur ut gentes quae simul enumerantur sint vel regione vel cognatione propinquae; unde saltem ratione enumerationis non prohiberis quominus Lydos intelligas.

Quam efficax futura sit ac fructuosa praedicatio legatorum illorum et nuntiorum sequentibus demonstratur (*S. Cyr.*) v. 20 « *et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis et in quadrigis et in lecticis et in mulis et in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini* »; — pro carrucis in hebr. legitur כִּרְכָּרוֹת dromades, camelae veloces [1] ita plerumque explicant; LXX : cum

---

1. Notat *S. Hier.* : « pro carrucis quas solus interpretatus est *Symmachus* quem nos in hoc loco secuti sumus, *Aquila*, *Septuaginta* et *Theodotio mulos* transtulerunt ». Negat

equis, curribus et lecticis (lampenis) mulorum cum umbraculis (μετὰ σκιαδίων); dum *Syrus* solum tria, *Chald.* quattuor vecturae genera afferat. Ii qui missi sunt adducent omnes qui ex gentibus crediderunt et credentes tamquam fratres in populum electum assumpti sunt ad Dominum in Ierusalem. Ita mons sanctus fit centrum ad quod omnes gentes confluunt (cf. 2, 2; 4, 6). Varia vecturae genera symbolice exhibent varias rationes et modos adducendi infideles ad fidem et cultum Dei (*Pint.*), quibus gentes ope divina et gratia adiutae (*S. Hier. Sanct.*) commode et facile (*S. Cyr. Osor.*) ad montem sanctum Dei, ad cultum veri Dei, et ad Ierusalem, sedem theocratiae et caput, adducentur. Etiam hoc loco, uti 2, 2, distinguatur oportet symbolum et res symbolo expressa. Omnes gentes quae Deum colant in Ierusalem confluere vel ascendere in montem Sion imago est symbolica *visioni* propheticae consentanea et apta qua *res* depingatur, qua scil. exhibeatur fore ut regno Dei nomen dent ita revera animis accedentes et adhaerentes urbi illi quae est sedes theocratiae ac centrum. Afferuntur autem a nuntiis Dei tamquam sacrificium mundum Deoque summopere acceptum. Est igitur apostolatus sacrum quoddam officium sacerdotale quo Deo victimae parantur et sistuntur, quo modo S. Paulus quoque se dicit ministrum i. e. sacerdotem λειτουργὸν Christi Iesu in gentibus et se omni conatu in id tendere, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto (Rom. 15, 16). Comparatione in ultimo membro declaratur modo ad prophetae tempora accommodato, uti Israelitae ex tota Palaestina in urbem conveniant primitias offerentes et similam et oleum et thus afferentes ad sacrificia, ita fore ut in nova theocratia nuntii Dei ex omni terrarum plaga veros Dei cultores Deo adducant in oblationem suavitatis.

Non desunt qui explicant : gentes adducent Iudaeos ex omnibus terris (*Mar. Rohl.* et multi ex protestantibus *Ros. Hitz. Kn. Sein. Del. Naeg. Or.* etc.). Sed quamvis id saepius a propheta dicatur 14, 2; 49, 22, tamen non continuo sequitur idem hoc loco annuntiari. Primo enim adverti oportet hoc loco non apparere rationem cur *gentes* dicantur adducere ; nam antecedit *annuntiabunt*

Boettcher (Neue Aehrenlese, II p. 151) voci notionem dromadis ; ipse explicat a כַּר clitellae, ut reduplicatione varia clitellarum genera exprimantur. *Chald.* praebet תּוּשְׁבְּחָן *hymni,* quam vocem corruptam censet pro תּוּשְׁטְּחָן a שׁטח, unde quoque שׁטּחוֹן clitellae ; vide *Buxtorf,* Lex. chald. p. 2376. Mirum enim censet *Boettcher* et plane incredibile nomen pro specie quadam camelorum usitatum iam Hellenistis fuisse incognitum et solum semel in toto ambitu linguarum semiticarum inveniri. Verum recentiores haec dubia neglexerunt, vocem explicantes ex arabico de cursu saltabundo camelorum. Varia iam *Malv.* praebet.

scil. missi et pergitur et *adducent*; proinde sine mutatione subiecti grammaticalis fluit oratio; idque non solum modo obvio et commodiore, verum unice conveniente, cum sequatur *adducent de cunctis gentibus*, cur enim dicendum sit : gentes adducent de gentibus, non apparet. Iam quos adducent legati Dei? *fratres vestros ex gentibus donum Domino.* Cum tam explicite addatur : *munus Domino adducuntur* videtur indicari eos antea non ad Dominum pertinuisse et opus eximium legatorum Dei in eo consistere, ut qui antea non audierant de Domino nec viderant gloriam eius (v. 19) iam annuntiatione facta tamquam oblatio Domino accepta sistantur. Minus apte ita de Iudaeis sermo fieret. Accedit quod legati mittuntur ad gentes; ergo quid in gentibus effecerint, exspectatur; atque gentes adduci ad Dominum elucet ex v. 23, quia omnis caro iam adorat coram facie Domini. Dein nihil obstat quominus arcte iungatur *fratres ex gentibus*, qui ex gentibus fratres vestri, socii eiusdem fidei effecti sunt; *fratres* enim dicuntur (cf. Prov. 18, 9) qui eandem fidem colunt eiusdemque patris vestigia persequuntur (*Osor.*), fratres, quia ipsi quoque filii Dei effecti, uti Israel est primogenitus filius (Ex. 4, 22), fratres, quia cum gentes sequantur vestigia fidei Abraham, revera Abraham multarum gentium pater et heres mundi est effectus; cf. Rom. 4, 12. Gal. 3, 29; 5, 6. Eph. 2, 11-14. Quare gentes conversas h. l. fratres dici plerique interpretum iure censent; ita *S. Cyr. Theod. Procop. Haimo, Osor. Pint. For. Sanct. Malv. Mald. Clarius, Lap. Calm. Allioli, Bade, Reinke, Loch* et ex protestantibus : *Dathe, Umbreit, Ges. Ewald, Stier*; de gentibus et Iudaeis verba accipiunt *S. Hier. Thom. Sasb.* — Demum *Hahn* vertit : afferunt cum omnibus fratribus vestris ex omnibus gentibus oblationem Domino ; — at nemo alius ita intellexit; etiam versiones LXX, *Syri, S. Hier. Chald.* fratres exhibent adducendos.

Gentes ad Deum conversae non solum fratres appellantur populi electi (cf. 19, 24 : Israel erit tertius Aegyptio et Assyrio), verum ex iis quoque Deus assumet ad dignitatem sacerdotalem v. 21 « *et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus* » ; — *ex eis* referri ad gentes longe plerique interpretes rite intelligunt, etiam ex iis qui *fratres* de Iudaeis accipiunt haud pauci gentes hoc loco ad sacerdotium eligi recte viderunt (*Ros. Maurer, Del. Naeg. Or.*). Nam *ex Iudaeis* assumi sacerdotes et levitas minime opus erat dicere, cum ex iis semper sumpti fuerint; ergo ut sensus adsit aptus, de gentibus debet intelligi. Iis qui adducuntur nova et sublimior dignitas promittitur; qua promissione simul remotis limitibus legis mosaicae et huius legis abolitio et novus ordo rerum declaratur. Mutato enim sacerdotio cultus quoque mutatur et « translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat » (Hebr. 7, 12). Hac dignitate gentibus promissa et quae supra vidimus (19, 24 et 56, 3-7) supplentur et quae alias de praerogativis Iudaeorum vel gentium servitute dicuntur suis limitibus circumscribuntur nosque admo-

nemur, ne illa perperam interpretemur, sed potius Iudaeos et gentes eodem ordine ac censu apud Deum haberi existimemus. Elevabuntur ergo ex gentibus ad dignitatem sacerdotalem et leviticam. Quo oraculo clare indicatur fore in nova quoque theocratia ordinem sacerdotalem eumque hierarchicum, ita ut quod in aaronitico adfuerit in umbra, adesse debeat tamquam corpus in nova theocratia (cf. Col. 2, 17). Neque dici potest sacerdotio declarari atque describi veram adorationem Dei; nam omnes afferuntur tamquam donum Deo, omnes ergo tamquam veri cultores Dei designantur, sed praeterea ex iis Deus seligit quosdam electione singulari ad dignitatem sacerdotalem; ergo praeter adorationem et cultum Dei omnibus communem aliquid altius ac sublimius exigitur. Praeclare quoque vocatio Dei ad munus sacerdotale indicatur : *assumam ex eis;* neque enim in novo rerum ordine, ut olim, iure nativitatis confertur sacerdotium, sed « nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo » (Hebr. 5, 4).

Hac autem ratione Deus sibi novum populum sanctum condet. Iudicio discrevit inter Israelitas, gentes evaserunt donum Deo acceptum; adest in officio sacerdotali munus illud mediatoris inter Deum et homines, munus sanctitatis conferendae et augendae. Haec vero instituuntur ordine stabili et quia Deus sapientiae suae consilio novum illum rerum ordinem coelum et terram, tempus et aeternitatem complectentem concepit et opere exsequi statuit, ideo opus illud (v. 18-21) aggreditur. Quare ad totum hoc opus refertur quod sequitur v. 22 « *quia sicut coeli novi et terra nova quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum* » ; — semen et nomen veri Israel, quocum scil. Deus foedus iniit aeternum, nunquam deficiet; semper aderit populus Dei cui nomen et virtus Israel re et veritate conveniet i. e. populus sanctitate illustris, qui propterea benedictio erit orbi et benedictionem Dei longe lateque diffundet. In ea enim re nomen Israel consistit qui fortis fuit fide, patientia, et ita in Deum quasi praevaluit atque obtinuit benedictionem (cf. ad Os. 12, 4). Talem autem populum Deus sibi iudicio facto (v. 18) condet et efficiet, quia coelos novos novamque terram efficere vult et is rerum ordo ad quem perveniendum est iam menti eius obversatur. Ultimam igitur hominum et creaturae glorificationem Deus mente intuens regnum suum in terra constituit; unde hoc regnum necessitate quadam indita ad ultimum hunc finem tendit eumque summo desiderio appetit (cf. Rom. 8, 19-26). Dum autem Deus regnum suum in terris stabilitum comparat novis coelis novaeque terrae i. e. ultimae perfectioni quam ipse sit effecturus (cf. 65, 17), ipse satis indicat et quid excellentiae in regno hoc sit conclusum et ad quem finem et terminum natura sua feratur. Qui ergo divi-

nae gubernationi se animo docili commiserit, ad conditionem illam gloriosam novis coelis novaque terra declaratam perveniet; qui vero repugnaverit, aeternis se mancipabit cruciatibus. Utrumque ultimis versibus vates delineat.

Qui praedicatione gloriae Dei nomen Dei cognoverint et tamquam donum Domini ad montem eius sanctum adducti sunt, non cessabunt a continuo Dei servitio et adoratione v. 23 « *et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus* » ; — modus loquendi umbram refert veteris testamenti et lineamenta, quae tamen ad maiorem perfectionem declarandam multum augentur ; ter in anno Israelitae ad faciem Domini ascendere iubebantur; in nova theocratia iam ascendet *omnis caro,* totum genus humanum, neque solum ter in anno, verum unoquoque novilunio (hebr.), immo sabbato quovis. Quo augmento et praeeminentia novae theocratiae clare proponitur et perspicue docetur non urbem palaestinensem intelligi, verum id cuius symbolum et typus est Ierusalem, utpote sedes et centrum theocratiae. Ecclesia Dei se sistet coram Domino continua adoratione, adoratione universali ; erit igitur quod Malachias (1, 11) praedixit : nomen Dei magnum in gentibus in omni loco. Atque hac adoratione coram facie Domini non solum designari regnum Dei temporale, verum etiam aeternum, proinde quod iam in v. 22 erat praeformatum tempus et aeternitatem una quadam comprehensione a propheta delineari, clare docemur versu sequenti.

Dum cultores Dei sicut coeli novi et terra nova assistunt coram facie Domini gloria et honore coronati eique laudis hymnos perpetua adoratione persolventes, impii suppliciis aeternis deputati impietatis suae poenas luent v. 24 « *et egredientur et videbunt cadavera virorum qui praevaricati sunt in me; vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* » ; — hebr. *et erunt abominationi omni carni;* etsi non eadem verba, sententia recurrit gravis illa qua reliquas sectiones concludit propheta : non est pax impiis (48, 22 ; 57, 21) ; perturbationem impiorum quam pluribus iam 57, 20 descripsit, hoc loco aeternis cruciatibus et summa contineri ignominia declaratur. Ipsa vero adumbratio suppliciorum conformis est regioni hierosolymitanae quae etiam in antecedentibus menti prophetae obversatur. Est enim extra urbem sanctam, in qua cultores Dei versantur coram facie Domini, locus abominationis, Topheth (cf. 30, 33), vallis filiorum Ennom vel gehenna, in qua abominandis incendiis idolo Moloch victimae humanae cremabantur (cf. Ier. 7, 32; 19, 6. 11-14; 32, 35. 4 Reg. 23, 10). Ibi ergo prostrata iacent ignibus tradita cadavera inimicorum Dei, eorum scil. qui a Deo et sacro eius foedere defecerunt (hebr.

cf. 1, 2); sed ardent tamquam cadavera viva, quorum vermis non moritur; continuo enim et vermibus roduntur et ignibus absumuntur neque tamen dissolvuntur neque pereunt, verum vermes perpetuo habent quid rodant, ignis perpetuo urit neque comburit. Non describi poenam hisce in terris luendam neque temporale exhiberi supplicium ipsa natura rei et cruciatuum declaratur. Nam in valle prope Ierusalem cadavera rebellium continuo ardere et cultores Dei adoratione in templo facta ad incendia illa cum voluptate spectanda (hebr. רָאָה בְּ׳) egredi et illa cadavera cum detestatione et abominatione contemplari, res est per se ab omni impletione literali remotissima. Proinde symbolo noto et involucro a sui temporis conditione deprompto vates altius quoddam documentum et monumentum vindictae Dei adumbrat, scil. ad duos tandem ordines totum genus humanum iri redactum, quando coeli novi futuri sint et terra nova : alterum fore in civitate Dei et in sacro Dei habitaculo coram *facie* eius adoratione et laude Dei occupatum et communione gloriae Dei beatum, alterum autem extra regnum Dei vermi traditum nunquam morienti, ignibus ardentem perpetuis corpore et animo luere supplicia conditione miserrima et foedissima.

Cum igitur in v. 24 sine ullo dubio ad aeternitatem remittamur, etiam iure merito eandem aeternitatem iam in v. 23 describi vel connotari censendum est vel saltem vatem rem ita exhibere, ut adumbratione generali et tempus et aeternitatem complectatur. Quare habita ratione aeternitatis quam convenientissime dicitur *coram facie mea* qua sententia quid excelsi cultoribus Dei promittatur, in novo demum foedere clarissime docemur (1 Cor. 13, 12). Huic de aeternitate acceptioni omnino consentaneum est eamque confirmat quod Iudaei ignem aeternum et locum suppliciorum nomine appellarunt ab ea valle desumpto, quae nominis translatio et significatio gehennae ab ipso quoque Salvatore usurpata est et approbata (cf. Matth. 5, 22. 29. 30; 10, 28; 18, 9; 23, 33. Marc. 9, 42. 44. 46; Luc. 12, 5). De verme et igne vide Iudith 16, 21. Eccli. 7, 19. Marc. 9, 43. 45. 47; declaratur genus poenae quo obruuntur et intrinsecus ex ipsis suis visceribus quasi exoriente [1] et extrinsecus apposito et a Deo vindice accenso flammarum incendio. Beati Dei cultores testes sunt iusti Dei iudicii in impios rebelles devoluti et uti cetera Dei attributa, bonitatem, misericordiam laudibus prosequuntur aeternis, ita iustitiam quoque Dei qua in peccatores obduratos animadvertit approbant et

---

1. Singulari ratione *S. Ephr.* explicat *vermem*; intelligit enim propter 41, 15 *noli timere vermis Iacob* etiam hic vermem coetum iustorum et « quia nunquam deficiet Ecclesia Christi eam significat per vermem qui non moritur et per ignem qui non exstinguitur ».

celebrant; inde in textu hebr. cum voluptate videre dicuntur divinae iustitiae manifestationem et triumphum. Apposite notat *Theod* : « ostendit et in sacris evangeliis Dominus et Lazarum divitis supplicium spectasse et illum Lazari iucunditatem ; hinc ergo docet eos qui laetitia illa perfruuntur suppliciis addictos videre eos qui de admissis criminibus poenas luunt ».

Hisce agi de aeterna impiorum sorte plerique interpretes rite explicant (cf. *S. Hier. Euseb. Theod. S. Thom. Osor. Sasb. For. Pint. Mar. Tir. Lap. Schegg, Loch, Rohl. Troch.* et ex protestantibus *Del. Naeg. Or.*). Alii tamen primo et per se describi volunt cladem Iudaeorum urbe a Romanis capta, dein demum extensione quadam ac similitudine illam cladem eiusque descriptionem transferri ad supplicia damnatorum (cf. *S. Cyr. Calm. Bade, Reinke*) ; at illam cladem non posse intelligi, tum ex verbis eorumque amplitudine et re descripta colligitur, tum ex summa totius prophetiae quam hic vates brevi comprehensam proponit. Ut enim antea saepius, ita hic saluti et vitae a Deo concedendae opponit interitum et ruinam (cf. cap. 34. 35) ; uti illa salus est sempiterna (51, 6. 8), ita qui salutem a Domino oblatam spreverint se ipsos ruinae perpetuae mancipabunt.

Terminat igitur Isaias prophetiam suam ad id ad quod saeculum terminabitur, ad extremum iudicium (*Sasb.*). Concludit exhortationem ad populum, uti olim Moyses adhortatus est : proposui vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem ; elige ergo vitam, ut tu vivas et semen tuum (Deut. 30, 19), concludit muneris sui exercitium quo sese tamquam verum theocratiae vindicem et praeconem praestitit eodem modo quo S. Matthaeus refert Christum Salvatorem praedicandi munus absolvisse gravissima illa sententia qua sortes pro omni aeternitate continentur : et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam (Matth. 25, 46). Quare consideratis oraculis eius adeo magnificis concludere iuvat commentarium illa laude qua ipse Spiritus sanctus qui Isaiam inspiravit oraculorum eius amplitudinem, magnificentiam, sublimitatem celebrat : « Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei, spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion, usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent » (Eccli. 48, 25. 27. 28).

A. M. D. G.

INDEX

IMPRIMERIE DE L'INSTITUTION SAINT-MÉDARD. — SOISSONS.